image
not
available

Hist 6511

Digitized by Google

CHRONICON
CAMERACENSE
ET
ATREBATENSE,
SIVE
HISTORIA TRIVMSVVE
ECCLESIÆ, III. LIBRIS
ab Anno sec. Sexagesimo complexa.

AVCTORE
BALDERICO NOVIOMENSI
ET TORNACENSI EPISCOPO.

Nunc primùm in lucem edita. Ex Nicolai Heinsij Bibliotheca Petri Scriverij, & Andreæ Schotti è Societate Jesu, Codicibus MSS.

DVACI,
Ex officina Baltazaris Belleri, Typographi Juratorum.
M. DC. XXIV.

Digitized by Google

TERTVLLIANVS LIB. DE PRÆSCRIPTIONIBVS aduerſus hæreticos cap. 32.

EDant origines eccleſiarum ſuarum: euoluant ordinem Epiſcoporũ ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum apoſtolis perſeuerauerint, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: ſicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert: ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proinde vtique & ceteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingãt tale aliquid hæretici.]

OPTATVS MILEVITANVS lib. 2. aduerſus Parmenianum.

Veſtræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam eccleſiã vindicare.

Digitized by Google

CONCILIVM III.

PROVINCIALE MEDIOlanēſe ſub S. Carolo Borrhomæo celebratum anno 1573. tit. De ijs quæ ad Epiſcopale forum pertinent.

EPiſcopus, id quod vel ab initio naſcētis eccleſiæ inſtitutum fuit, vt rerum Epiſcopali ſtudio curaque geſtarum monimenta exiſterent, conquiri diligentiſſimè curet, tum ſingulorum Epiſcoporum, qui præceſſerunt, nomina, genus, & paſtorales eorundem actiones. Quæ omnia litteris conſignari, ordineque conſcripta, in librum certum referri curet, vt eorum memoria conſeruetur, quæ ab ijſdem, vel acta, vel inſtituta ſunt ad aliquam eccleſiaſticæ diſciplinæ normā perpetuò vſui eſſe poſſint, atque adiumento in illa eccleſia bene gerenda.

ADMO-

Digitized by Google

AD MODVM REVERENDIS DOMINIS, PIETATE ET ERVDITIONE CONSPICVIS, D. D. Præpoſito, Decano, & Capitulo inſignis Eccleſiæ Metropolitanæ Cameracenſis, sẽper in Domino gaudere.

QVIDAM huius æui antiquitatis ſtudioſi, admodum R^di. Domini, magnos ſe theſauros cumulaſſe credunt, ſi vetera aliquot numiſmata, ærea, argentea, aurea, ex ruderibus, & veterum murorum ruinis fortuitò effoſſa cor-

Digitized by Google

raſerint: & ego veros & ſolidos theſauros inquiri & inueniri ab eis ſemper exiſtimaui, qui ex pervetuſtis bibliothecis, vetuſtos ſcriptores, præſertim eccleſiaſticos, ſitu & ſqualore obſitos, & ipſa edaci vetuſtate alioqui interituros, arte typographica in lucem producunt. Qui quidem eò ſunt pretioſiores, quò ſapientia vera, quæ illorum libris continetur, omnibus numis & huius mundi diuitijs præſtantior eſt, dicente Salomone. *Melior eſt ſapientia cunctis opibus pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.* Cui multis antè ſæculis propheta concinit, dicens: *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi ſardonycho pretioſiſſimo, vel ſapphi-*

Prou. 8.

Iob. 28.

ſapphiro, & quæ ibidem conſequuntur. Laudat idem ſtudium, & ad illud nos hortatur alius Sapiens, dum ait: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conſeruabit &c.* Quæ cùm ita ſint, viri grauiſſimi, Chronicon hoc, inſigne antiquitatis eccleſię veſtrę monumentum, hactenus in tenebris deliteſcens, quod Illmo. ac R^mo. Archiepiſcopo vēſtro, D. Frācisco Buiſſeret, heu citò nimis è vita abrepto, paraueram; ſede vacante, vobis offero, qui in locū eius quoad omnem iuriſdictionem ſuccedi-tis. Paraueram illi, quia nemini potiori iure deberi videbatur; vtpote deceſſorum ipſius & Sāctorum totius diœceſeos geſta complectens, & quos illi labores ex- Eccli. 39.

antlauerint, quas perſecutiones & moleſtias excelſo animo pertulerint, veluti oculis ſubijciens: tum etiã, quoniam ab hinc anno vno, & iterum nuperrimè, mihi ſignificauerat, ſibi pergratum fore, ſi à me breui in lucem emitteretur. Quod itaque placuiſſe illi cognoſcitis; vobis confido non fore ingratum, apud quos ille iam pridem omnium officiorum & honorũ titulis, ſucceſſiuè fuit exornatus, Officialis dico, Archidiaconi maioris, Vicarij generalis, & Decani. In quibus ſacris ac publicis functionibus, ea charitate, prudentia, & manſuetudine animi, verſatus eſt, vt eum nihil minus cogitantem S^mus^. Princeps noſter ad Epiſcopatum Namurcenſem evocauerit. Quo paſtorali munere annis quatuordecim

tam

tam vigilanter & infatigabiliter in visitationibus continuis, ac frequenti prædicatione verbi Dei perfunctus est, vt populum sibi creditum, ad sincerum Dei cultum, atque in sui amorem & admirationem mirabiliter accenderit. His virtutum insignibus ad sublimiorem Archiepiscopatus apicem vnanimi vestro consensu, & totius populi desiderio, non ita pridem euectus est. Verùm *consummatus in breui, expleuit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* Vos igitur virtutum ipsius oculati testes & hæredes, quod ipsi destinatum erat lubenti animo accipite: quod & vobis multis nominibus debitum est. Tum quia satis cõstat auctorem vestræ ecclesap. 4.

ecclesię Canonicum fuisse: tum quia ex vobis quidam me in hoc litterario puluere desudantẽ adiuuerunt: tum denique quia res gestas ecclesię vestrę, ex archiuis vestris olim depromptas complectitur. Quid in hoc opere præstiterit labor noster, ex sequenti ad lectorẽ præfatione cognoscetis. Quod supereſt, Deum opt. max. precor vt ecclesiam vestram, virtutibus & bona fama florentem, iugiter conseruet, & eum vobis Pastorẽ & Ducem largiatur, qui vos ad æternæ vitæ pascua deducat. Duaci die 12. Maij, 1615.

RR. DD. VV.
obseruantissimus.

GEORGIVS COLVENERIVS.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

CANDIDE lector, en damus Chronicon Cameracense & Atrebatense diu multumq; desideratum, cui etsi videri possit Historiæ nomen magis congruere, quoniam non seruat vbique exactum temporis ordinem, (vt suis locis in notis nostris interdum notauimus) quia tamen iam olim ita vocatum fuisse patet ex litteris Gerardi ij. Cameracensis Episcopi, & auctoris epitaphio, & passim sub nomine Chronici innotescere cœpit, titulum hunc mutare non debuimus, nec voluimus.

Quæ in eo præstitit labor noster, hæc sunt. Tria nactus exemplaria manu scripta, vnum eorum describi curaui, & postmodum accuratè quod descriptum erat cum tribus illis exemplaribus, verbotenus (vt dici solet) ipse contuli, deinde decenter dispunxi. Primum in membrana descriptum accepi ex bibliotheca Cathedralis ecclesiæ B. Mariæ Atrebatensis, quod signamus littera a. Alterum ex

monaſterio S. Giſleni ſimiliter in membrana exaratum, adeo antiquum, vt litteræ oculos præ vetuſtate fugerẽt, ac deletis penè characteribus eſſent evanidæ, & interdum ad lumen ſolis vix legi poſſent. Hoc notamus littera g. Quod etſi priore ſit antiquius, prius tamen ceteris eſt correctius, & longiùs extẽditur. Nam alteri decſt in fine integer quaternio, & in eo hinc inde partes ſunt aſſutæ alia manu deſcriptæ. Tertium ex monaſterio Rubeæ vallis ordinis S. Auguſtini in Brabantia iuxta Bruxellam, in charta deſcriptũ, idq́ ſatis imperfectè ab annis circiter 60. aut 70. Id ſignamus litterar. In eo multa pro arbitrio mutata ſunt, & pro veteribus noua nomina ſubſtituta. Vt Valencenenſe pro Valentianenſe, Haſſpra pro Haſſprum, & ſimilia. Quod neutiquam probamus in tranſcribendis, aut edendis veterum ſcriptis. Cuius tamen lectionem ſæpius ad marginem notauimus, nõ quòd verè auctoris ſit, ſed quia verã auctoris lectionẽ exponit. Vir quidam doctus ſuſpicatur id fuiſſe tranſcriptũ à F. Antonio Gentio, Canonico regulari Rubeæ vallis, cùm Præfectus eſſet Monialium Querceti, quia in fine codicis dicitur is pertinere ad fratrẽ Antoniũ Gentiũ, patrẽ Monialiũ S. Elizabethæ de Querceto Comitis, qui obijt anno 1543.

Porrò

Porrò nos, etiam in proprijs nominibus, tã hominum quàm locorum, antiquitatem retinendum censuimus, & fidem antiquorum exemplarium, quòd origini seu deriuationi propinquior sit, & ex ea cognoscatur, qualiter olim scripserint & pronunciauerint. In ceteris quoq; nihil mutatum quod non margine, vel in notis indicauerimus, nisi interdum vbi certissimè constabat librarij mendum esse, litteram vnam pro alia scribentis. Quoniam verò etiam idem nomẽ, præsertim proprium, nunc hoc nũc illo modo scribebatur, vt Heinricus & Henricus, inlicitum & illicitum, inregularis & irregularis, eandem varietatem reliquimus. Illud verò obseruare est, quòd secundùm ætatum curricula scriptura variata sit. Vnde cùm in priore parte operis sæpius legatur Camaracum, postea legitur Cameracum. Orthographiam itaque illo seculo vsitatam plerumq; retinuimus, in quibusdam tamen eam correximus, vt in his & similibus, Karta, temptatio, condempnatio, ebdomada, idolatra, ammonitio, parrochia, hij & hijs. Neque enim ita in omnibus antiquitatem sectandam censemus, vt etiam vitia antiquitatis sequamur. Similiter in exemplaribus sæpe duæ dictiones in vnã conflatæ, sæpe vna in duas diuisa, quæ omnia emendauimus. In illis, in quibus etiamnum variant Gram-

De Orthographia.

mati-

matici, ſemper eam reliquimus quæ erat in exemplaribus.

De marginalibus adnotationibus.

In margine, non ſolùm illas ſcripturas quas citat expreſsè, ſed interdum etiam eas ad quas alludit adnotauimus. Item Patrum & aliorum auctorum teſtimonia. Præterea, vt magis referret formam chronici, ſæpe ex poſterioribus auctoribus, vt Sigeberto, Meyero, Baronio, & alijs annum Dominicæ incarnationis ad oram appoſuimus.

Diplomata Pontificum, Regum, & Imperatorum, quæ interſeruntur conferri curauimus ad originalia, vel alioquin exempla authentica quæ extant in archiuis eccleſiæ Cameracenſis vel Atrebatenſis.

De ſummarijs.

Tituli ſeu capitum ſummaria primi & ſecundi libri habentur in vtroque veteri exemplari. At codex Rubeæ vallis habebat tantùm in ſecundo libro, nec integrè. Quæ an ſint auctoris, etſi certò non conſtet, quia tamen ſunt antiqua, intacta prorſus reliquimus. Capitula ſic diſtincta reperimus, ſed numerum initio tãtùm ad nouem aut decem cap. in ora ſignatum, quod perfecimus. Numerum capitulorum ipſi ſummario ſeu argumento, præponi debuiſſe forſitan cuipiam videbitur, propter illud (vbi) quod aliquoties apponitur, vti fit in ſummarijs quatuor librorum Ioannis Diaconi de vita S. Gregorij Papæ,

pæ, in vita B. Lietberti, & alibi. Verùm nihil mutatur in ſenſu ſiue præponatur ſiue poſtponatur. In his enim locum habet illud philoſophi: Nomina & verba tranſpoſita idem ſignificant. In tertio libro capitula fere diſtincta erant vti nunc ſunt, ſed deerat numerus & sũmaria, quæ de noſtro adiecimus. Deniq; totum opus notis ſeu ſcholijs illuſtrauimus, vocabula obſcura aut barbara breui indiculo explicuimus, indices & præliminaria appoſuimus.

De me autem & omnibus ſcriptis meis illud dictum volo, quod de ſe ſcribit S. Auguſtinus lib. 1. *de Trinitate, partim* 2. *partim* 3. *cap.* Nec pigebit me, ſicubi hæſito, quærere: nec pudebit, ſicubi erro, diſcere. Proinde, quiſquis hæc legit, vbi pariter certus eſt, pergat mecum: vbi pariter hæſitat, quærat mecũ: vbi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me: vbi meũ, reuocet me.

Quoniam verò ſuperſunt nõnullæ lacunæ, quas deficientibus exẽplaribus replere nequiuimus, beneuolum lectorem obnixè rogamus, vt ſi alicubi, quod nõ dubitamus, exſtet aliud exẽplar, illius nos commonefacere dignetur.

Non eſt in hoc opere ea dictionis puritas aut orationis ſplendor, qui ab acutis oculis fortè deſiderari poſſet. Sed quia ſub vili pallio ſæpenumero pretioſa reconduntur, non

tam

tam exterior habitus, quàm id quod sub eo latet, inspiciendum est. Particulis quidem, si-quidem, verò, superfluè sæpe vtitur, ita vt quoad sensum redundent.

Argumẽtũ operis.

Vt autem de argumento totius operis, & vtilitate eius pauca dicamus. Complectitur hoc Chronicon tres libros, quorum primus continet seriem & gesta Episcoporum vtriusque diœcesis, Cameracensis videlicet & Atrebatensis, vsque ad Gerardum primum: ideoq; in titulo libri vtramque expressimus, quod etiam requirit auctoris præfatio. Secundus agit de monasterijs, hoc est collegiatis vel conuentualibus ecclesijs vtriusque diœcesis, quæ per annos quingentos & amplius vnitæ fuerunt. Tertius de rebus gestis Gerardi primi & Lietberti.

Vtilitas.

Et ne quis fortè apud se cogitet, laborem quem suscepimus doctore & professore Theologo indignum, defendit nos in primis exemplum S. Caroli Borrhomæi S. R. E. Cardinalis & Mediolanensis nuper Archiepiscopi, ex cuius decreto in Concilio tertio Prouinciali Mediolanensi editus est catalogus Archiepiscoporum Mediolanensium. Et in quarto Concilio Episcopis præcipitur, vt vel omnes, vel eos saltem qui sanctitate vel doctrina

Concil. 3. Mediol. sub finẽ. Concil. 4. Med. parte 3. tit. de Episcopis.

doctrina floruerunt. Decreti verba sunt ista: Ab episcopali domo absit omnis picturæ ornatus quæ prophana sit.

In atrio Episcopos ordine pingi curet qui præcesserunt; si minus omnes, eos saltem, qui sanctitatis, aut doctrinæ, aut rerum episcopalium gestarum laude clari sunt.

Secundò quantum adferat momentum series & ordo Episcoporum contra hæreses; ex iis testimonijs quæ initio præfiximus clarissimum euadit. Hinc enim contra Nouatores huius tempestatis antiquitas fidei ac religionis nostræ catholicæ, eiusq; continua successio euidentissimè cernitur. Ex hoc opere discimus, quis harum prouinciarum olim status, quæ fidei incrementa, quas persecutionum procellas in his locis ecclesia pertulerit. Qui Sancti has diœceses (quæ olim multò latiùs extendebantur) incoluerint, quibus miraculis claruerint, quorum Sanctorum reliquijs ecclesiæ exornatæ & conseruatæ sint. Quæ & quot Canonicorum, aut religiosorum utriusq; sexus Deo seruientium genera & monasteria, & à quibus per has duas diœceses olim fuerint instituta. Quanta piorum principum liberalitas in ecclesias, & contrà

quàm malè cesserit eis qui ecclesiæ bona inuaserunt, vel abbatias militibus, id est nobilioùs attribuerunt. Denique ex hoc opere in promptu est cognoscere illustria diuinæ bonitatis indicia in eos qui Deum sanctè coluerunt: in flagitioſos verò & impios terribilis irati numinis vltiones.

DE

DE AVCTORE HVIVS CHRONICI, QVO TEMPORE ſcriptum ſit, & alijs eiuſdem operibus.

EX hoc Chronico (quod Sigeberto Gemblacenſi antiquius eſt, & ex quo idem Sigebertus quædam verbotenus ferè deſumpſit, vt ad cap. 52. lib. 3. adnotauimus) recentiores quidam multùm ſua ſcripta ditauerunt, vt Boëtius Epo I. V. Doctor quæſtiones ſuas heroicas, Ioannes Molanus Indiculum & Natales SS. Belgij, Autbertus Miræus S. Th. Licent. Origines cœnobiorum Benedictinorum, & Canonicorum Regularium S. Auguſtini, Ferreolus Locrius ſeptem libros de Maria Auguſta, & Chronica Arteſiæ. Quibus duobus poſterioribus mss. mea exemplaria communicaui. Vſus eſt & Meyerus in conſcribendis Flandriæ Annalibus, vt patet anno 951. Quo loco quædam ex eo citat quæ habentur lib. 1.

Vide lib. 1. nu. 217. & ſeqq.

cap. 110. vocans libellum episcoporum Cameracensium. Neque mirandum omnes eos, quibus innotuit, vsos eo fuisse; cùm vix sit scriptor Belga, & rerum Belgicarum antiquior. Verùm hactenus nemo fuit qui auctorem proderet, quem quidam sine vllis legitimis documentis suspicati sunt Lietbertum fuisse Gerardi primi Capellanum, & in Episcopatu successorem. Sciens itaque scriptum esse: Quæ-
Mat. 7. rite, & inuenietis, tandem magna diligentia quæsitum inueni, esse videlicet Baldericum Sacellanum primò ac Secretarium Gerardi primi, deinde Secretarium Lietberti & Gerardi secundi, postea Canonicum & Cantorem ecclesiæ Morinensis, inde Archidiaconum Nouiomensem, ac demum Episcopum Nouiomẽsis ac Tornacensis ecclesiæ, quæ plusquam sexcentis annis fuerunt vnitæ. Cameraci à iuuentute se habitasse indicat multis locis, ac nominatim lib. 1. cap. 4. in fine, & cap. 22. vbi de Cameraco loquens: In hac inquit nostra ciuitate quoddam cõtigit mirabile. Et lib. 2. cap. 5. Pauca ex his quæ vel ipse iuuenculus moderno tempore vidi, annectere ratum duxi. Canonicum Cameracensem se fuisse indicat lib. 2.

cap.

cap. 11. & 21. Quo posteriore loco postquam dixisset. Lambras esse villam sanctæ Dei genitricis, hoc est B. Mariæ Cameracensis, de Lambris loquẽs, addit: Et huic nostræ villæ tantùm dimidia portio telonei soluitur. Perquam familiarem fuisse Gerardo eius nominis primo Episcopo Cameracensi constat ex eo, quòd lib. 3. cap. 12. & 22. de eo sic loquitur: Domnus episcopus nobis referre aut narrare solebat. Item ex ijs quæ habentur eodem libro in fine cap. 17. vti in scholijs ad eum locum adnotaui. Fuisse Lietberto & Gerardo ij. à secretis testis est epistola eiusdem Gerardi ad Hubertum 27. Morinensem episcopum. Ceteri eiusdem tituli patent ex testimonijs quæ infrà ponuntur. In tabulis Antonij Democharis numeratur 52. episcopus dictarum sedium, consecratus, vt idem scribit, anno 1098. Præfuit annis quindecim, vt docet ipsius epitaphium.

Vt autẽ de eiusdẽ progenie pauca attexamus, ex antiquitatibus ecclesiæ Morinẽsis (quæ nõ sine Dei prouidentia, post totale excidiũ an. 1553. eiusdẽ vrbis Morinẽsis seu Tervvanensis, conseruata sunt) desumpta fere ex archiuis eiusdem ecclesiæ

per venerabilem virum Matthæum Archidiaconum dictæ ecclesiæ, & vicarium generalem R. P. Franciſci de Crecquy, penultimi eiuſdem vrbis epiſcopi, mihique amica manu communicata à viro docto Atrebatenſi, quem in notis ſæpe nominaui. Baldericus duos habuit fratres Elboldum & Ellebardum filios Aïberti equitis rubri, domini de Sarchinville & Queant, prognati ex eodem loco, in Arteſia ſito, ſed diœceſi Cameracenſi. Ellebardus fuit Archidiaconus Cameracenſis tempore Lietberti, & cum eo profectus eſt Hieroſolymam verſus, vt ſacrum Domini ſepulcrum præſens veneraretur anno 1054. Durante fratris abſentia Elboldus ſeu Elbaldus eccleſiam S. Crucis Cameraci exædificauit, in cuius choro ſepultus hoc habet epitaphium. Hic iacet Elbaldus Rubeus fundator huius eccleſiæ, qui obijt 1071. Diem exprimit pervetuſtum Metropolitanæ eccleſiæ Cameracenſis Martyrologium: Kalendis Octobris obijt Elbaldus laicus, qui eccleſiam ſanctæ Crucis conſtruxit. Et vetus Martyrol. monaſterij ſancti Sepulcri: Prima Octobris obijt Elbaldus laicus, qui Oratorium S. Cru-

cis

cis ædificauit, & nobis magnam Crucem, & turibulum argenteum dedit &c. Verùm Ellebardus in via præpeditus, tandemque reuersus præbendas fundauit eiusdem ecclesiæ. Vnde vita B. Lietberti cap. 30. comites itineris recensens: Erleboldus, inquit, cognomento Rubeus, quem qualis fuerit prædicat ecclesia sanctæ Crucis. Et cap. 57. eandem ecclesiam ædificasse dicitur, quod & Massæus scribit. Rectè autem id dici potest, quia præbendas fundauit: vel, ob vicinitatem, nomina duorum fratrum in vnum conflata sunt. Valde enim vicina sunt Elboldus & Erleboldus, quomodo scribitur in eadem vita. Pro quo Massæus & alij Ellebardus. In archiuis ecclesiæ Cameracensis exstat adhuc litteræ Lietberti Episcopi datæ anno 1074. in quibus sic ait: Ecclesiam sanctæ Crucis Cameraci sitam petitione cuiusdam conciuis Cameracensis, Erleboldi scilicet Rubei, qui eiusdem ecclesiæ constructor, eandem Canonicorum vsibus deputauerat &c. exaltare curaui. Quibus locis mirum est non exprimi titulum Archidiaconi. Baldericus verò, de fratrum suorum consensu, terram de Queant oneravit triginta mencaldis, vt vo-

cant, tritici, & 14. auenæ assignatis religiosis virginibus in Viridario iuxta Oziacum Deo famulantibus, quæ postea institutum ordinis Cistercienſis sunt amplexæ, & retinent in hodiernum vsque diem. Ex quibus constat Baldericũ chronographum nostrum, non solùm nobili prosapia fuisse exortũ, sed & diuino cultui vehementer addictum. Fuisse & probitate morum insignem patet ex varijs locis huius chronici, præsertim lib. 2. vbi sæpe deplorat mores sæculi in deterius prolabi. Alia quæ in laudem ipsius dici possent abundè supplent testimonia, quæ infra è tenebris in lucem proferimus. Obijt Morinis, & ibidem in choro sepultus fuit per Ioannem 29. eius sedis episcopum.

Illud video controuerti inter viros doctos qui huius operis notitiam habueres Sítne scriptum ad Gerardum primum, an secundum. Scriptum esse ad Gerardum secundum probant quidam ex Molano in Indiculo Sãctorum Belgij in vita SS. Ableberti, Bertiliæ, Pollinæ, & Saturninæ. Pro eadem sententia facit quòd exemplar S. Gisleni exteriùs schedam chartaceam habet affixam continentem hæc verba:

Chro-

Chronicon Cameracenſe ad Gerardum ſecundum Epiſcopum. Tertiò cùm credendum ſit, non ante virilem ætatem ſcribere incepiſſe Baldericũ huius chronici auctorem, dicendum foret eum Gerardo primo (qui mortuus eſt an. 1049.) totos ſexaginta tres annos ſupervixiſſe, vt qui defunctus ſit anno 1112. ſicque oporteret eum vixiſſe ad octoginta quinque, vel nonaginta annos. Verùm id non eſt incredibile. Ad duo priora reſpondeo Molanum id corrigere in poſterioribus ſcriptis ſuis. Nam libro primo de Canonicis cap. 12. & in Natalibus Sanctorum Belgij, qui poſtea editi ſunt, in citatione huius chronici ſemper nominat Gerardum primum, excepto die 2. Nouembris, vbi per errorem ſcriptum credo ſecundum, pro primo. Hinc Boëtius Epo, Autbertus Miræus, Balduinus Deglen, & alij perpetuò referunt ad Gerardum primum. Scheda illa exteriùs affixa, cùm recenti manu exarata ſit, idque ab eo veriſimiliter qui opus non perlegerat, nullã hac in parte auctoritatem meretur. Neque vſquam aſſerit auctor ſe ſcripſiſſe ad Gerardum, Sed, vt eſt in præfatione

operis: Præcipiente domino noſtro Epiſcopo Gerardo. Quem intelligi debere primum clarè patet ex præfatione libri ſecundi vbi rationem reddens, & ſe veluti excuſans, cur geſtis Epiſcoporum vſque ad Erluini obitum primo libro commemoratis, non ſtatim tranſeat ad eiuſdem Erluini ſucceſſorem immediatum, nempe ad Gerardum eius nominis primum, ſic ait: De geſtis Epiſcoporum, prout memoria occurrerit, dicto, & de diuerſis eorum actibus, quantum ariditas ingenioli patitur, vſque ad poſtremitatem domni Gerardi Epiſcopi, qui nunc eſt, pertractato, primus liber finem expoſtulat. Secundus verò, vt ab ipſo domno Epiſcopo incipiat, videtur ordo exigere &c. Vbi illud (qui nunc eſt) manifeſtè indicat ſermonem eſſe de Gerardo primo, ipſoque viuente opus ſcriptum fuiſſe, quamuis, eo mortuo, etiam geſta Lietberti epiſcopi proſecutus ſit à cap. 61. lib. 3. vſque ad finem. Ex ijs enim quæ eodem cap. referuntur conſtat ſaltem omnia ſequentia poſt mortem Gerardi ſcripta eſſe. Idem ſatis apparet de toto tertio libro, vt indicant verba ex cap. 12. & 22. ſuprà allegata. Idipſum apparet ex initio cap.

28.

28. & iterum manifestè ex cap. 49. vbi dicit auctor, Gerardum congregationem monachorum S. Andreæ pia sollicitudine fouisse quamdiu vixit. Ideoque nec inscribit ipsi Gerardo, quia ei mortuus erat antequam opus absolueretur: qui nec verosimiliter tam multa in laudem suam scribi permisisset. Quia verò iam antè liber primus & secundus, sub finem, vt est verisimile, episcopatus iam dicti Gerardi, circa annum Domini 1040. scriptus erat, idcirco lib. 2. nulla fit mentio monasterij S. Andreæ in Cameracesio, neque sancti sepulcri, vel ecclesiæ sanctæ Crucis Cameracensis. Quæ, si ad Gerardum II. scriptum esset hoc Chronicon, prætermitti non debuissent.

Scripsisse eundem Baldericum Chronicon Morinense fidem faciunt testimonia subiuncta.

Quod Chronicon seruatum fuit in archiuis eiusdem ecclesiæ vsque ad tempora Philippi de Luxemburgo Cardinalis & episcopi Morinensis & Cenomanensis, qui Cenomanis obijt 1519. Hic transferri illud iussit ex Morinis ad Collegium S. Benedicti in vrbe Cenomanensi. Denique Baldericus, iam existens episcopus, rogatus

gatus fuit à Godefrido Ambianensi epi-
scopo; qui in tribulis Domenicalis (ut lo-
cum obtinet) ve fecisset quoque chro-
nicon hic subscriptum Gesta Ambianen-
sium, ut patet ex ejus Iconis similem Go-
defridi, qui delineatus fuit ex archivis
ecclesiæ Ambianensis. An præfatus ab-
bas scribere, etiam à den limerunt illu-
minatoribus ante annum

VETE-

VETERVM ET RECENTIO-
rum teſtimonia de hoc Chronico,
eiuſque auctore.

EPISTOLA GERARDI II. AD
Hubertum xxvij. Morinenſem
epiſcopum.

GERARDVS CAMER. ſeu A-
trebatenſis eccleſiæ Epiſcopus reli-
gioſo Huberto Epiſcopo
ſalutem.

MITTO ad te Baldericum, dudum pij Lietberti à ſecretis, & mihi nepoti ad idem ſeruientem, qui te ſuper dubijs in Domino conſoletur. Vir eſt litteratus, & ijs quæ Morinenſium ſunt imbutus, vt tuæ & meæ gentis Chronicum nuperum indicat, quæ tuæ ſunt ſedis edocebit, & ab eo intelliges quæ cupis. Gaudeo ſuper valetudine tua meliore, & te lubentius ſufferre afflictionem deſidero. Nam qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam. Æquiſſimum enim eſt omnibus parcere Epiſcopum, qui à Deo quotidie ſibi pari expetit.

Diſce

Disce boni pastoris proprium esse pati & ferre, ponere faciem vt petram durissimam, & non confundi. In omnibus Deo gratias age, illi soli penitus inhærens, & ita improborum non senties offensam. Datum Camer. in Februario an. millesimo octuagesimo secundo.

RAYNALDVS REM. Archiepiscopus Balderico Morin. Cantori salutem.

Meum, dilecte, de tua historia eccles. Cam. & Atrebaten. requiris iudicium: de qua quæ accepi à F. Sigeberto tibi rescribo. Illi, tanquam sedula apis per piorum deuota circumuolitans loca, nullum præterisse visus es vnde non aliquid decerpseris incredibili sedulitate. Sic itaque mirabilia Dei & SS. non erunt in terra obliuionis, & ædificasti in generatione & generationem. Ideo vsque nunc satis verecundiæ & modestiæ tuæ datum est; reliquum piorum votis, & pij defuncti præsulis voluntati largire: & quod industria infatigabili, & animo vel ad minutissima quæque attentissimo, viuenti consecrasti, mortuo nõ eripias. Excute de manibus, vt in ecclesijs & monasterijs versetur. Mihi etiãnum præsagit animus, rẽ istã tibi gloriæ, posteri-

Verisimile est Sigeb. Gẽblac. intelligi.

steritati vsui, & nunc vtrique ecclesiæ voluptati atque ornamento futuram. Datum Remis Idib. Ianuarij an. millesimo nonagesimo quarto.

DILECTO CONFRATRI BALderico Nouiom. Episcopo Godefridus Ambian. ecclesiæ Episcopus S. in Domino.

Me indignum ad hanc pastoris curam euexit Deus, vt quod dignum deuotione gregis est, faciam. Cùm itaque in hac diœcesi perantiquæ sint ecclesiarum fondationes, & iam iniuria hominum diruta pleraque claustra, vt ea obliuioni perpetuæ non tradantur, sed piorum locorum recordatio subleuet fidelium animos, ad deuotionem propagandi cultus diuini, & vt multis intercessoribus Deus super malitia nostra fiat placabilis, & misericordiam largiatur, precor obnixè in Domino, vt te labori pio accingens, aut potius in eo labore perseuerans, nostræ diœcesis & ecclesiæ fias exscriptor & scriptor, sicut in ecclesijs Cam. & Morin. fuisti fidelis calamus scribæ velociter scribentis. Non abscondas talentum in terra, & benefaciens noli deficere. Salutat te Petrus Archidiaconus, & ego

tuus

tuus conseruus in ouili Christi, in quo vale. Scripsi ad S. Quintinum meas delicias iuxta Peronnæ villam, anno 1108. *in Maio.*

EPITAPHIVM QVOD ANTE vrbis Morinensis destructionem cernebatur in choro cathedralis ecclesiæ.

P. Baldericus huius ecclesiæ cantor & episcopus Nouiomensis an. verbi incarnati M. C. XII. prælationis suæ an. xv. pridie Kal. Iunij obijt, meritis plenus, & Chronico Cameracensi illustris.

IOANNES MOLANVS S. The. Doctor & Professor Louaniẽsis lib. 1. de Canonicis cap. 12.

Exstant ad Gerardum primum eius nominis Cameracensem atque Atrebatensem, coniunctarum tunc temporis Sedium episcopum, Chronica, circa annum Domini quinquagesimum supra millesimum conscripta.

BOETIVS EPO I. V. Doctor, & primarius in Academia Duacena Professor, Heroicarum & Ecclesiasticarum quæstionum lib. 1. num. 217.

Quantus autem fuerit olim per has quoque regiones abusus in inuestituris istis Impe-

Imperialibus atque Regalibus, omnium clariſſimè colligitur ex hiſtoria Cameracenſium ſimul & Atrebatenſium Epiſcoporum, non edita quidem, ſed manibus tantùm conſcripta, cuius exemplar adſeruatur in bibliotheca cathedralis Eccleſiæ Atrebatenſis. liber olim conſcriptus à Sacellano quodam Gerardi primi, Eccleſiæ Cameracenſis pariter & Atrebatenſis Epiſcopi (plurimos enim per annos, immo per ſecula veriùs aliquot, nempe ſex, vnus idemq; præfuit Epiſcopus vtrique ſedi) ſub annum Chriſti 1020. cuius olim deſcribendi quoniam poteſtas mihi data fuit, exemplum penes me retinui. Diſtinguitur opus in libros tres; quorum primus continet Epiſcoporum omnium vtrique ſedi tam Cameracenſi quàm Atrebatenſi communium vitas, ad hunc vſque Gerardum; ſecũdus fundationes Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium diœceſios vtriuſque; tertius res geſtas eiuſdem Gerardi, vnà cum principio Epiſcopatus D. Lietberti, qui Gerardo huic proximus fuit ſucceſſor, & ad annum vſque Chriſti 1076. vixit, vt auctor eſt Chriſtianus Maſſæus Chronicorum ſuorum lib. 13.

TESTIMONIA DE AVCTORE.

AVBERTVS MIRÆVS S. The. Licentiatus, & Antuerpiensis ecclesiæ Canonicus & Bibliothecarius in elẽcho Historicorũ Belgij nondum typis editorum anno 1606.

Cameracense Chronicon, à Gerardi, eo nomine primi, Cameracensis Episcopi Sacellano conscriptum, res gestas Episcoporum eius vrbis, à temporibus Clodouei I. Regis Galliæ Christiani vsque ad annum 1030. *complectitur. Idem Chronicon Molanus, & alij interdum Atrebatense nuncupant, quòd vtriusq; Sedis, olim vnitæ, antistitum gesta contineat. Exstat ms. in cœnobio S. Gisleni in Hannonia, breui typis euulgandum, opera R. V.* GEORGII COLVENERII, *Theologi Duacensis &c.*

IDEM in litteris ad eundem GEORGIVM COLVENERIVM datis.

Vnum porrò rogo, vt ante omnia edas Chronicon Cameracense, ex quo multus in ecclesiam fructus, & magna tibi laus. Est enim Sigeberto vetustius, & valde hîc laudatur ab eruditis.

CATA-

CATALOGVS EORVM QVI AB AVCTORE IN hoc Chronico citantur.

AVguſtinus.
Benedictus in regula.
Biblia ſacra vtriuſque teſtamenti.
Canones ſacri.
Capitula.
Catalogus epiſcoporum, ſcilicet Cameracenſium, lib. 1. c. 16.
Concilium Africanum.
Dionyſij papæ deſcriptiones prouinciarum.
Ebonis Archiepiſcopi Remenſis epiſtola ad Halitcharium.
Fulco Archiepiſcopus Remenſis.
Fulbertus doctor, lib. 1. c. 77.
Gerardus I. Epiſcopus Cameracenſis.
Geſta Remorum pontificum.
Gregorius Magnus.
Gregorius Turonenſis.
Halitcharius.
Hieronymus.

Hincmarus Remensis Archiepiscopus.
Historia Francorum.
Iulius Cæsar.
Liber iubente Iulio Cæsare, ex senatusconsulto de Cosmographia scriptus.
Liber de passione S. Saluij Episcopi & Martyris.
Liber de vita S. Gisleni.
Liber de vita S. Landelini.
S. Remigij testamentum.
Vita S. Aïcadri.
Vita S. Aldegundis.
Vita S. Autberti.
Vita S. Gaugerici.
Vita S. Gudilæ.
Vita S. Hugonis epis. Rotomagensis.
Vita S. Vedasti.
Wiboldus.

Plurima verò accepit ex archiuis ecclesiæ præsertim B. Mariæ Cameracensis, vt sunt priuilegia & præcepta regalia Pōtificum, Imperatorum, Regum, & alia diplomata donationum, quæ omnia habentur libro primo, quorum hic est index.

S. Vindiciani donatio, & eiusdem confirmatio à Iohanne papa V. cap. 25.
Choneberti abbatis donationis instrumen-

mentum, cap. 27.
Ludovvici Pij præceptum immunitatis, in quo citantur litteræ aui ipsius Pippini regis, & Karoli Magni, cap. 37.
Macharij & Gõdradæ donationis instrumentum cap. 52.
Arnulfi Regis præceptum immunitatis, cap. 62.
Karoli Simplicis regis Francorum, in quo fit mentio regalis præcepti Zuentebolchi regis, cap. 66.
Aliud donationis eiusdem Karoli, ca. 67.
Ottonis primi Imperatoris, cap. 72.
Aliud eiusdem, cap. 76.
Ottonis tertij, cap. 1076.
Aliud eiusdem Ottonis, cap. 108.
Gregorij V. Pontificis, cap. 111.
Aliud Ottonis tertij, cap. 112.

CATA-

CATALOGVS EPISCOPORVM CAMERACENsium & Atrebatensium quorum gesta in hoc Chronico describuntur, excepto primo & vltimo.

Hic est 1. cuius est memoria.

1. S. Diogenes *missus à Siricio papa circa annum* 390. *martyrio coronatus à Wădalis eadem tempestate qua S. Nicasius, id est, sub annum Domini* 407.

Vacauit sedes episcopalis vsq; ad tempora S. Vedasti annis ferè 100.

2. S. Vedastus *circa annum* 500. *sedit annis* 40. *obijt die* 6. *Feb.* 540.
3. Dominicus. (*Cameracũ.*
4. B. Vedulfus. *Hic sedem trãstulit*
5. S. Gaugericus *circa annum* 555. *sedit annis* 39. *obijt* 11. *Aug.* 594.
6. Bertoaldus.
7. S. Ablebertus *qui &* Emebertus *obijt* 15. *Ianuarij* 640.
8. S. Autbertus *consecratus die* 21. *Martij* 642. *sedit annis* 33. *obijt* 13. *Decembris* 675.

9. S. Vin-

9. S. Vindicianus *consecratus* 24. *Iunij* 676. *sedit annis* 36. *obijt* 11. *Martij* 712.

10. Hildebertus *consecr. an.* 713. *obijt* 24. *Iunij* 715.

11. Hunoldus *consec.* 715. *obijt* 9. *Ian.* 717.

12. S. Hadulfus *consecr.* 717. *obijt* 19. *Maij* 719.

13. Travvardus 730. *obijt* 7. *Octob.* 752.

14. Gũtfridus 753. *obijt* 13. *Iul.* 770.

15. Albricus *obijt* 7. *Ianuarij* 790.

16. Hildovvardus *obijt* 4. *Iulij* 816.

17. Halitcharius 817. *obijt* 25. *Iunij* 830.

18. S. Theodericus 832. *obijt* 5. *Augusti* 863.

Quo defuncto tribus circiter annis vacauit sedes.

19 S. Iohãnes 866. *obijt* 15. *Aug.* 878

20. S. Rotradus 879. *obijt* 13. *Oct.* 886

21. Dodilo *cõsecrat.* 17. *Martij* 887. *vixit vltra annum* 900.

22. Ste-

22. Stephanus *obijt* 11. *Febr.* 934.
23. Fulbertus *obijt* 1. *Iulij* 956. *chro. Flodoardi.*
24. Berengarius 956. *ſedit vno circiter anno.*
25. Engrannus 957. *ſedit* 3. *annis, obijt* 12. *Octob.*
26. Ansbertus *ſedit* 5. *an. obijt* 13. *Se.*
27. Wiboldus *ſedit vno anno, obijt* 965. *vel circa.*
28. Tetdo *obijt* 28. *Auguſti* 976.
29. Rothardus 977. *obijt* 20. *Septēb.* 994. *vel* 995.
30. Erluinus 996. *obijt* 3. *Feb.* 1011. *vel* 1012.
31. Gerardus I. 1014. *ſedit annis* 35. *obijt* 14. *Martij* 1049.
32. B. Lietbertus *ſedit annis* 27. *obijt* 22. *Iunij* 1076.
33. Gerardus II. 1078. *obijt* 11. *Auguſti* 1092.

Poſt hunc diuiſus eſt epiſcopatus, & eccleſia Atrebat. propriū recepit epiſcopū an. 1094.

CHRO-

CHRONICON CAMERACENSE, ET ATREBATENSE.

Præfatio ſequentis operis.

PRæcipiente Domino noſtro Epiſcopo Gerardo, in quantum verè indagari potuimus, de antiquitate noſtrarum urbium, Cameraci videlicet atque Atrebati; ſed & de earum quoque paſtoribus memoriæ commendauimus, non quidem ingenio freti, ſed monitoris dignitate compulſi: qui noſtram puſillitatem apud peritiſſimas aures periclitari maluit, quàm diutius tot temporum ordinem, tot geſtorum ſeriem conticeri. Quæ

quamlibet ruſtico ſermone edita, ſatis tamen apparent liquida. Nec tamen eo lector temere moueatur, quòd tam antiqua modernis reddidimus, quia nihil dubium, nihil fictum poſitum eſt, nihil etiam reuera præter quod aut in annalibus atque hiſtorijs patrum, ſeu etiam in geſtis Regum, ſed & in chartis quoque, quæ adhuc in archiuo ipſius eccleſiæ ſunt, reperimus, aut à certis relatoribus & viſa & audita accepimus. Alioquin melius eſt tacere, quàm falſa proferre.

Vnde ſua auctor acceperit.

Cauſa conditarum vrbium prænotatur.

CAPITVLVM I.

VRBIBVS quondam ædificandis ea primùm cauſa ab auctoribus extitiſſe dicitur; vt homines paſſim ritu ferarum oberrantes, quibus neque mos, neq; cultus ratione magiſtra regebatur, nihilque diuinum aut humanum ſapiebant; ſed propter errorem atque inſcientiam, cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad ſe explendam viribus corporis abutebatur perniciosis ſatellitibus; illi inquam, homines, inſtructis vrbium mœnibus in vnum conuenirent, fidem colere & iuſtitiam retinere diſcerent, & alijs parere ſua voluntate conſueſcerent: ac non modo labores excipiendos communis commodi cauſa, ſed etiam vitam amittendam æſtimarent. Quæ nimirum cauſa, licet non *improperanda videatur extitiſſe (non enim vile aut abſurdum fuerat, homines agris & tectis ſilueſtribus abditos, ex feris & immanibus mites reddi ac manſuetos) in conſilio tamen

*r. improbanda

prouidentiæ ordinantis omnia Dei longè altior rerum cauſa portendebatur; per quam humana prudentia, dum ſuis conſulere vſibus putabat, ſuperuenturæ poſteritati vtiliter miniſtraret: videlicet, vt ipſis ſuis mœnibus nihil aliud prætendere viderentur, niſi quædam, vt ita dicam, regia ædificia conſtruere, in quibus mox futura ſancta mater eccleſia, principalem ſuæ dignitatis arcem, & apoſtolicam ſedē obtineret. Habet namq; Pentateuchus Moyſi, quia Hebræorum populo ab Ægyptia dominatione reuocato, Deus ciuitates gentium poſſidendas myſticis beneficijs promitteret, & donaret, iuxta illud Pſalmiſtæ: Dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt. Vnde & occiduæ quoque regionis vrbes, quas gentilitas muralibus machinis, & miris nobilitauerat officinis, infuſa per orbem eccleſia, velut regiæ maieſtatis arces occupat.

Conſilium Dei arcanū in condēdis olim vrbibus.

Pſal. 104.

Conditores vrbium Cameraci & Atrebati neſciuntur: Iulius verò Cæſar, ſuperatis Alpibus, & Gallis, Atrebatum vſque deueniens, Comeum ducem ſubiugauit.

CAP. II.

SEd hæc de cauſa ædificandarum vrbium

bium dicta, sufficiant. De auctoribus verò earum dissensio plerumque inuenitur, adeo vt nec vrbis quidem Romæ origo diligenter possit agnosci. Nam plerique à Troianis, atque Aboriginibus, alij ab Euandro, alij à Romulo eam conditam fuisse asserunt. Vnde nos nec historicos, nec commentatores varia dicentes imperitè condemnare debemus, quia antiquitas ipsa creauit errorem. Sed si tantæ ciuitatis certa ratio non apparet, non mirum si in aliarum opinione dubitatur. Facturus igitur mentionem sanctorum Patrum, quos prouida Dei dispositio Atrebatensi, seu Cameracensi ecclesiæ præesse constituit, harum duarum conditores vrbium scripto annotare debueram. Sed quia nomina, aut memoriam eorum nec historiæ, aut annales, aut etiã fama superstes seruauere, de his consultius reticere cẽsuimus, quàm fabulosum quid conficere. De temporibus quoque conditarum eadem constat ratio, vt quorum auctores nesciũtur, & tempora sileantur: præter quòd inter antiquiores, & nobiliores vrbes, Atrebatum nomen obtinere, si quis historias Iulij Cæsaris retexuerit, non ignorabit. Hic namq; postquam *Isidor. lib. 15. Orig. c. 1.*

totius pene Orientis orbem Romano ſubiugaſſet imperio, Regesq; gentium tributarios feciſſet, videns quod ei incerta bellorum proſperauiſſent, Occidentales quoque regiones ſuo imperio adiungere meditabatur. Vnde ſuperatis Alpibus, Gallisq; ad deditionem coactis, aut gladio trucidatis, fortè Atrebatum, quæ ſupererat in extremis Galliæ finibus, ſeptus militaribus copijs deuenit. Cui cùm ciues, Comeo duce, viro militiæ veteris ſtipendijs egregio; & gentis ſuæ, & patriæ ſalute feruentiſſimo, reſiſterent, indignatus quòd Romanæ potentiæ reſiſtere auderent, cui extrema Indiæ paterent, Aſſyrius, atque Ægyptius parerent, Macedonia, & omnis Palæſtina regio ſeruiret, Scotia, quæ nihil terris debebat, atque Saxonia inacceſſa paludibus, & inuijs ſepta regionibus, iam tremebat, poſtremò omnia ſubiecta erãt, niſi quæ nimio æſtu, aut gelu inuia ſunt; & ideo extra Romanum imperium, quia eadem extra humanum vſum: ſuper his indignatus, vehementius obſidioni incubuit. Conflictum promptiſſimè ab vtraq; parte, donec memoratus Comeus, Romani Principis fortitudinem ſuſtinere non valens, cum ciuibus

Comeus Atrebas.

uibus ad deditionem cogeretur. Alij rebellionis ausum, & moras obsidionis in virum * capiti vlciscendas acclamabant. Fit concursus, ad eius aduenientis spectaculum Romanis confluentibus. Alij videre deiectum desiderabant, quem paulo ante in amplissimo honore positum summæ rei præesse intuebantur. Alij certabant illudere capto. Alij vices rerum humanarum, tam varias atque flexibiles, mirabantur. Pleriq; consultius ingemiscebant, qui in alienis casibus sibi eadem posse accidere æstimabant. Cæsar præ cæteris mouebatur ingenita animi mansuetudine, illum dudum bellatorem superbum, subitò potestati addictum hostium, alieni nutus sortem operiri, vitæ naufragum, exulem spei, incertum salutis. Tantum valere momenta in prælijs, vt breui casu dispares sui reddant, cùm aut potentes deijciuntur, aut afflicti leuantur. Itaq; pars melior, eorum scilicet qui honore potiebantur, in quos potius Cæsaris consilia reclinabant, mitiora cõsilia dabant. Maxima tamen apud Cæsarem portio salutis viro fuit deuotus patriæ animus, & spectata in rebus bellicis virtus. Aduertens namq; in * eum fidei

* *fortè capite*

* *eum pro eo*

& egregij animi constantiam, inter primos militaris negotij viros, & regios cõsiliarios promouit, per quem postmodum multa strenuæ virtutis insignia peregit. Nam bello strenuus, consilio bonus, quàm frequenter innumeras hostium copias parua manu fuderit, non est præsentis persequi negotij. Parent autem vsque in hodiernum, constratis aggeribus loca apud Mariolum, vbi Romanæ acies castra metauerant.

Aggeres Romanorum prope Mariolum.

Quòd Clodio Rex, missis exploratoribus, cum grandi exercitu Cameracum ingressus, Christianis interfectis, vrbẽ obtinuit.

CAP. III.

DEnique Cameracæ vrbis licet auctor & ætas certa non pateat, inter antiquiores tamen nomen & famam obtinere eam, res ipsa indicat, quòd in gestis antiquorum scripta sæpe memoratur. Liber namq;, qui iubẽte Iulio Cæsare ex senatus consulto à prudentissimis viris de Cosmographia inscribitur, vbi quidẽ totius orbis Romani nominis vniuersa loca famosa distinguit, Cameracum etiã intromittit, & quanto à Bagaco castro distet, id est XVIII. milibus euidenter ostẽ-

Cosmographia iubẽte Cæsare facta.

oſtendit. Narrat item Francorum hiſtoria, quòd poſtquam Dominicæ ſanctionis ſententia, gentili gladio ferienda Gallia traderetur, Iuſtino Imperatore, Clodio Rex habitabat in Disbargo caſtello, in finibus Toringorum, regione Germaniæ. In his autem partibus, id eſt, ad Meridianam plagam citra Rhenum habitabant Romani, vſq; Ligerem fluuium. Vltra Ligerem fluuium, Gothi dominabantur. Burgundiones quoque Arrianorum ſectam ſequentes, habitabant trans Rhodanum, * quod adiacet ciuitati Lugdunenſi. Clodio autem, miſſis exploratoribus ad vrbem Cameracum, in qua Romani habitantes, iam Chriſtianæ religionis culturã exhibebant, ipſe poſtea cum grandi exercitu Rhenum tranſijt, & Carbonarias ingreſſus, Tornacẽſem vrbem obtinuit, exinde vſque ad Cameracenſem vrbem veniens, pauco temporis ſpatio reſedit, Romanoſq;, quos ibi inuenit, interfecit. Exinde vſque Somnam fluuium occupauit.

Galliarum conditio tẽpore Clodionis regis Francorum.

r. qui

Sigebertus in chro. anno 445.

Carbonaria ſylua.

Quòd Clodoueus Rex quartus à Clodione Ragnacharium conſobrinum ſuum, pro eo quòd eum in vrbe non ſuſcepit, congreſſione habita interfecit. CAP. IV.

Sed

Gregor. Turo. lib. 2. hist. Frãc. c. 42. Aimoin. l. 1. c. 23. Ragnacharius rex Cameracensium.

SEd & eiusdem historiæ textus indicat, quòd Clodoueus Rex quartus post Clodionem, in vrbe Cameraco, Ragnachario cõsobrino, aut nepote suo, custode relicto, in terris & ciuitatibus, quas vsque Aurelianum occupauit, morabatur. Vnde cùm quodam tempore reuerteretur, ipse Ragnacharius mundano fastu superbus, mutata fide, ei vrbis ingressum negauit. Hic propter obscenitatem morum, & insolentiam, Francos sibi aduersos fecerat, maximè pro eo quòd effrenis in luxuria, Venereo adeo feruebat incendio, vt nec à ciuium, nec propinquorum coniugibus suas comprimeret cupiditates. Quæ quidem ei lætalis exitij causa extitit. Nam huiusmodi famoso ludibrio Franci efferati, causas quibus Regi exitium maturetur nectunt, cõmentumq́; proditionis Clodoueo Regi significãt. Qui promissis proditores corrumpens, subærato fefellit auro. Pactio hæc fuit, vt Regem hostibus congressuri desererent. Sumpta itaque de suis manu valida Clodoueus aduersum Ragnacharium mouit exercitum. Qui & ipse directa acie Regi occurrere parat. Missis itaq; exploratoribus ad contemplandum exer-

exercitum Clodouei, non aduertit dolum nunciorum, qui factiosè regi audaciam ex maioribus copijs ſuſcitabant. Huiuſmodi erant verba nunciorum, cùm quæreret ab eis: Cui exercitus fortior comitabatur: Tibi, inquiunt, tuoq́; Faroni. Neſcius ipſe dolosè fictum, propter Faronem conſiliarium ſuum, quem ille ſolum, poſthabitis Palatinorum primoribus, ſuper negotia regni conſtituerat: de quo, cùm muneris aut cibi aliquid allatum foret, dicere conſueuerat: Sint iſta mihi, meoq́; Faroni. Regibus igitur cõgreſſis, hi Dominum ſuum in ipſo conflictu prælij iuxta conuentum deſerunt, ipſi per prona fugientes, ſimulato terrore, hoſtibus terga vertunt. Comprehenſus Ragnacharius occiditur. Proditoribus autem, propter vitiatum aurum, aduerſum Regem ſuſurrantibus, ille reſpondiſſe fertur: Tali eos pretio meritos, qui Dominum ſuum ſponte ad mortẽ ducunt. Hoc illis quòd viuerent debere ſufficere, ne deteſtandæ proditionis pœnas luerent in tormentis. Legimus autem in geſtis Remorum Pontificum; quòd Rege præfato Clodoueo, vt poſterius liquet, à ſancto Remigio, ac ſancto Vedaſto baptizato, cum

Flodoardus lib. 1. hiſt. Remẽſis c 13. Cap. 6. & 7.

cum ſororibus ſimul & cum magno Francorum exercitu, pars quidem magna Francorum adhuc incredula, necdum conuerſa cum iſto Ragnachario Principe in locis trans Somnam fluuium, id eſt, in vrbe Cameraco, in infidelitate aliquandiu morabatur, donec ſuperna gratia diſponente, ſed & Clodoueo triumphante, idem Ragnacharius flagitiorum ſectator ac turpitudinum, vinctus à Francis, & à ſuis, vt modo diximus, traditus eſt, & interemptus, omniſq; Francorum populus ad Chriſti fidem per beatum Remigium conuertitur, & baptizatur, ſicut inibi legimus, ſed potius per beatum Vedaſtum credimus. Nunquam enim ſanctum Remigium in noſtris partibus verbum Dei populo prædicaſſe audiuimus: ſed ab illo, & à Rege nouiter baptizato, huic noſtræ vrbi ad conuertendam gentem directum beatum Vedaſtum cognouimus, quare illum huius negocij auctorem credimus.

Sæuitia paganorum, & clades Chriſtianorum exprimuntur. CAP. V.

IGitur propoſiti operis ratio exigit patres vtriuſq; ſedis, ſtilo proſequi, vel quibus

quibus qui ad Pontificale ſolium ſucceſſere. Porrò has duas fuiſſe matres eccleſiæ ſedes certa res eſt, quæ nunc vnius paſtoris moderamine reguntur, quod facilè ex deſcriptionibus Dionyſij Papæ perpenditur, qui vniuerſis prouincijs ſingulas ſedes proprijs terminis diſcreuit: ſicut etiam Hincmarus Epiſcopus, in ſuis libris diffinit. Has duas ſedes beatus Vedaſtus, quia poſt tot infeſtationes, quas diximus, & dicturi ſumus, plurimum vaſtatas reperit, ſub vno regimine cohibuit. At verò primos earum patres quædam vetuſtatis obſcuritas à noſtra ſecluſit memoria, immò ea, quæ, peccatis exigentibus, Galliarum eccleſias paganorum perſecutio ſubuertit: quæ adeo in Chriſtianorum populum efferbuiſſe legitur, vt Chriſtiani, qui ea tempeſtate fuerant, per latibula diuina celebrarent myſteria. Si qui autem à paganis reperiebantur, aut verberibus afficiebantur, aut gladio trucidabantur; multi in ſpeleis aut foſſis ſubterraneis abſconſi, ſuffocabantur. Sic, obeuntibus ſacerdotibus, intermiſſa ſacrorum officia; quicquid ad ſacri cultus obſeruantiam ſpectabat, remiſſum. Incumbentibus ruinis, alij ſe præcipitabãt, alij

Camerac. & Atrebatum duæ fuerunt ab initio ſedes epiſcopales.

Prouinciale Dionyſij Papæ.

Hinc. epiſt. 6. c. 18.

Vtriq; eccleſ. præficitur S. Vedaſtus.

Primi epiſc. ignorantur.

alij patriæ incendijs exurebantur: paucis tamen vſque ad vltimum in ſuo munere perſeuerantibus, atq; inuicem ſe hortantibus: ne in poſterioribus ponerent ſacræ religionis officium, quàm ſalutis præſidium. Rectè ſecum agi, ſi pietati impenderent, quod deberetur neceſſitati: pulcherrimum ſi in patriæ ſinu ſepeliri liceret. Quid enim iuuaret euadere, & ſuperſtitem viuere religioni? Præclarum potius commori pio muneri. Quod ſi quis, periculi metu, deſerat, ſacrilegium eſt; ſi quis impleat, ſacrificium eſt piæ paſſionis victoria. Infulati itaque ſacerdotes inter ſuas hoſtias, immolabantur, & amicti ſacerdotalibus ſtolis inter corpora occiſorum humi iacebant. Sed nec ſolùm in ſacris miniſtris tanta ſtrages deſæuierat, ſed & reliquum vulgus miſerrima cæde cruciabat. Humana itaq; pariter atq; diuina maculabantur. Nonne & de
Pſal. 78. his dixerat Dauid: Venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt mortalia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli. Effuderunt ſanguinem eorum velut aquam in circuitu Hieruſalem, & non erat qui ſepeliret. Simul enim tunc & gentes venerunt

nerunt in hereditatem Dei, quæ auferrẽt omnia, & templa Dei polluta ſunt manibus impiorum, & inſepulta iacuerunt cadauera interfectorum, ad eſcam auium, & beſtiarum voracitatẽ. Effuſus ſanguis, vt ſtagnaret in templum, deeſſet qui ſepeliret; quia à viuentibus in mortuos, à mortuis in eos qui tunc adhuc viuerent, furor transferebatur. Soluebas Gallia antiquæ feritatis mercedem. Si quis cæſorũ ſtragem recẽſeat, Babylonios in Hieruſalem reuertiſſe arbitretur. Huius perſecutionis meminit beatus Hieronymus in epiſtola de monogamia, dum barbaricæ perſecutionis planctum faceret ad Aggerundiam nobilem viduam, exhortãs eam de perſeuerantia viduitatis, ita memorando inter cætera. *Innumerabiles & ferociſſimæ nationes vniuerſas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, VVandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alamanni, (ô lugenda Reſpublica!) hoſtes Pannoniȝ vaſtauerunt. Etenim Aſſur venit cum illis. Maguntiacus nobilis quondam ciuitas, capta atq; ſubuerſa, & in eccleſia multa hominum milia trucidata. VVangiones longa obſidione deleti.*

Hieron. epiſt. 11. ad Gerontiam ſiue Agerucchiam.

Quenam gentes Gallias vaſtarint.

Pſal. 82.

deleti. Remorum vrbs præpotens, Ambiani, Atrebatus, extremiq; hominum Morini, Tornacus, Nemetes, Argẽtoratus, translatæ in Germaniam. Aquitaniæ, nouemq; populorum Lugdunensis, & Narbonensis prouinciæ, præter paucas vrbes cuncta populata sunt, quas & ipsas foris gladius, intus vastat fames.] & cætera.

Virgil. 8. Æneid.

Sanctus Vedastus, diuina dirigente gratia in hanc prouinciam deueniẽs, Clodoueum Regem, ob eucntum belli minus prosperi, ad cultum Christianæ fidei coactum, ad S. Remigium ducit baptizandum.

CAP. VI.

ITaque dum hæc tyrannica rabies in Christi ecclesiam desæuiret, fuit ciuitas Atrabates sine Principe sacerdotij vsque ad tempus sancti Vedasti. Ecclesia destructa, locus in solitudinem redactus, ferarum habitatio factus est. Hic sanctus Dei confessor, & egregius prædicator, temporibus fortissimi Regis tunc temporis Francorum Clodouei, in has, diuina dirigente gratia, ob multorum salutem peruenit regiones. Cuius rei ordinem & causam, quantum breuitas patitur, stilo prosequamur. Porrò memoratus Princeps fanaticis

fanaticis adhuc tenebatur erroribus inuolutus, ſed erat ei vxor religioſa, baptiſmiſque ſacramentis initiata, Crhothildis nomine, filia Chilperici Regis, quem Gundebaldus Rex frater eius, ortis ſimultatibus, interfecerat. Hæc Chriſtianiſſima Regina, Regem cotidie blandiebatur, ſuadens ab idololatriæ cultura, ad vnius veri Dei cultum conuerti, vt per mulierem fidelem ſaluaretur vir infidelis. Sed 1. *Cor.* 7.
Rex Reginæ conſilium minus audiebat, quia deorum ſuorum auxilio fieri æſtimabat in omnibus, quæ ſibi proſperè accidiſſe videbantur. Anxia de Regis potius ſalute, quàm de regni potentia Regina, vbi ſalutis conſilium Regem cõtempſiſſe videt, dari ab excelſo poſtulat oportunitatis euẽtum, quo vel ſic Rex compulſus, ſalutis ſuæ ſumeret occaſionem. Bellum itaque Rex Alemannis indicit, ſed imparatos, vt voluit, non offendit. Nam hi collecta manu valida, circa ripas Rheni fluminis Regi occurrere, patriamq; ſuam bellica virtute defendere tentant. Inuocatis ad auxilium Regis dijs ſuis, Franci in ipſo congreſſionis apparatu, cœperunt mente deficere, & languentibus dextris, terrore ſimul & formidine diſſoluti, vitæ potius deſperationę, quàm victoriæ di-

ſpendio agitari. Videns Rex palantem exercitum, ſupra vim terroris, virtutem animi gerens, prohibet trepidare milites, magiſque in prælium accendit, ne tanti æſtimarẽt mortis periculum, quàm gloriæ triumphum. Ipſe itaq; ſignifer reuocans acies, primus equum in hoſtem egit, & clamore magno ſequuti cæteri, acriter dimicabant. Alemanni è contra, viribus & numero præſtantiores, quibus pro vita, & patriæ libertate res erat, cœperunt fortiter Francos vrgere; alij ſagittis, alij telis, alij baliſtis cedentes confodere. Rex autem, vbi multorum amiſſione videt dilabentem non poſſe ſubſiſtere exercitum, nec vocatos Deos inſtanti periculo ſibi ſubueniſſe, rebus deſperatis fortiſſimum Deum Chriſtianorum, quem Regina colendum ei ſuaſerat, inuocauit, voto ſe obligans, ſe cum ſuo exercitu ſacro fonte diluendum, ſi conuerſis rebus victor ab hoſtibus remeaſſet. Nec mora, recreatis viribus, & reparatis agminibus, cum auxilio Trinitatis hoſtes inuadunt, & pene ad internecionem omnes deuincunt, niſi quibus fuga aut deditio fuit ad vitam. Intelligens Rex, non tam ſua virtute, quàm Dei munere hoſtes ſuperatos, cui ſe fidei voto conſtrinxerat,

Aimoin. lib. 1. c. 15. & 16.

Tullum

Tullum mox oppidum adijt, audito ibi beatũ Vedaſtum laudabili religione Deo ſeruire. Cui cùm aduentus ſui cauſam exponeret, & pugnæ euentum, qui ex deorum inuocatione in aduerſum ceſſerat, ad Chriſti nomen ſecundo ſucceſſu proueniſſe notificaret, vir Domini, gratias agens Deo, qui gentibus regnum ſuum aperire dignatus eſt, cœpit catholicæ fidei myſterium Regi adnuntiare, & euangelicis aſſertionibus inſtructum duxit ad venerabilem virũ Dei Remigium, qui tunc temporis Remenſis eccleſiæ arcẽ tenebat; vir ex ſapientia, virtutibuſque factus, cuius ſpiritualium virtutum inſignia teſtatur gens Gallica, per eum ad Chriſtum conuerſa. Cui etiam Ormiſda Papa vices ſuas quondam in Gallijs agendas commiſerat. Vedaſtus igitur feſtinantem ad vitæ fontem deducebat Regem. Quo in itinere cuidam cæco ad ſe clamãti vir Dei lumen reddidit oculorũ, non ſine admiratione palatinorum procerum, immo etiam Regis, quem præſentis exhibitio miraculi Chriſtianæ fidei feruore accendit. Cernitur vſque in hodiernum eccleſia in teſtimonium virtutis huius conſtructa, in qua orantibus, & credentibus beneficia præſtantur diuina.

Galli per S. Remigiũ conuerſi.

S. Vedaſtus cæcum illuminat.

Beatus Vedaſtus vinum de ſicco vaſe protulit, & à S. Remigio ordinatus epiſcopus, claudo veſtigium, & cæco reddit viſum. CAP. VII.

anno 499. Baron. BAptizatus itaq; Rex cum optimatibus ſuis ad ſceptra regni regreditur: ſanctus verò Vedaſtus cum beato Remigio, per aliquod temporis detinetur; ad quem nobilium, & religioſorum multus, ob celebrem conuerſationis famam, fit concurſus. Inter quos cùm eum doctrinæ cæleſtis amore familiariter vnus præ cæteris viſitare conſueſceret, & quadam die, veſpere incumbente, ſol ad occaſum rueret, noluit virum abſq; caritatis viatico dimittere. Rogatus igitur puer vinum deferre, cùm exhauſtum omne renunciaſſet propter hoſpitum frequentiam, de fidei diuitijs haud dubius, vinum de ſicco vaſe ſuperexcreſcere dedit precioſum. Aduertens beatus Remigius in * virum conuerſationis, & ſpiritualium donorum inſignia, indignum duxit ſidereæ lampadis lumen claudi ſub tenebris, quæ ad ſalutem & illuminationem melius luceret multorum. Fauente igitur Rege Clodoueo, per Dei prouidentiam ordinatum Epiſcopum ad euangelizandum Cameraco

r. viro

S. Vedaſtus 1. epiſcopus

raco & Atrebato dirigit vrbibus. Liquet ergo quòd Rex iſte, quantò impenſius paternas ſedes amauerat, tantò probatioris vitæ paſtorem eo loci delegauerat. Ibi enim præter cæteras ſedes, vt paulò ſuperius dictum eſt, ſpecialius verſabatur: ideoq; maiori gratia ductus, paſtorali regimine parochiam ditare conabatur. Quippe nullum meliorem quàm beatum Vedaſtum, & ad ferocem populum edomandum, & ad gratiam fidei excitandam arbitratus, per quem ipſe fidem catholicam fuerat adeptus. Notandum verò, quòd, vt ſuprà tetigimus, hæ duæ parochiæ antea gemina Epiſcopali adminiſtratione gaudebant: nunc autem, quia ab hoc ſancto Pontifice vaſtatæ repertæ ſunt, vno regimine colliguntur. Qui in Atrebatæ vrbis introitu claudum vnum, alterum cæcum, clamantes ad ſe, hunc lucis ademptæ, illum ambulandi facultate donauit. Introgreſſus, ſtupet flenda vrbis deiectione. Nam antiquis ferme temporibus, ſacræ eo loci fidei floruiſſe religionem agnouit. Sed propter offenſam incolentium, occulto, ſed iuſto Dei iudicio, tradita eſt, cum cæteris Galliæ, vel Germaniæ ciuitatibus, pagano & perfido Hunorũ Regi Attilæ vrbs quoq;

cuius in hoc Chronico fit mẽtio.

Cap. 4.

Cap. 5.

S. Vedaſtus Atrebatũ ingreditur.

illa deprædanda. Qui propter animi fæ-
Cap. 5. uitiam, nec ſacerdotibus Dei, vt ſuprà
defleuimus, nec eccleſijs Dei reuerẽtiam
nouerat impendere, ſed omnia quaſi tem-
peſtas immaniſſima ferro vaſtauit, &
igni. Perſcrutanti, ſi quod ſignum eccle-
ſiæ patuiſſet, nullum veteris templi indi-
cium parebat, quia loci ſitus, vepribus, &
ſpinis iam inhorruerat: & vbi quondam
pſallentium chori, ibi luſtra ferarum vi-
Ara B. Virginis per tot annos ill. ſa Atrebati. debantur. Tandem inter fragmenta mu-
rorum diligentius contemplatus, inuenit
aram ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quam,
licet inter ſtragem murorum, tamen in-
læſam adhuc ſeruari diuinitus non am-
bigit. Qua in re intellexit vir ſanctus,
(nobis quoq; intelligere datur) ibi Ponti-
ficalis cathedræ arcem extitiſſe, præſer-
Dionyſius Papa. tim cùm & Dionyſius Papa, quem iuxta
chronicorum fidem, annis CCLXIII.
ante Hormiſdam Papam, qui tempore
fuit beati Vedaſti, conſtat Romanæ ec-
cleſiæ ſedem tenuiſſe; inter cæteras, has
quoq; vrbes, Cameracum, atq; Atrebatum
adſcriptas, & cum ſuis parochijs æquè
diſtinctas reliquerit, cùm ſingulas Diœ-
ceſes, circumſcriptis finibus, ordinauit;
& editiores quaſq; Metropolitanas, infe-
riores verò ſuffraganeas eſſe inſtituit.

Quòd

Quòd in vrbe Vienna, habita ſynodo à B. Mamerto, vocatus Sanctus Remigius, pro ſe S. Vedaſtum direxit: vbi coëpiſcopi, inter cætera quæ tractarunt, ieiunium, quod triduo ante aſcenſionem Domini agitur, obſeruari decreuerunt.

CAP. VIII.

REparatis templi ædificijs, beatus Vedaſtus circumiacentis prouinciæ populos ab idololatria cultibus diuinis mancipauit, fana deorum diruens, eccleſias ad ſummi decoris culmen erigens. Claruit vbique diuinæ cognitio legis, Chriſti nomen cunctorum audiebatur in ore. Signa autem & virtutes, quæ per eum diuina exhibuit potentia, quia breuitatis ſtilus non capit, curioſis lectoribus liber vitæ eius plenius indicat. Huius temporibus habita ſynodus Vienna vrbe deſcribitur: ad quam Galliarum Epiſcopi, à beato Mamerto conuocati, penè omnes conuenerunt: vbi & ipſi beatum Remigium, vt pote diuinis eloquijs eruditiſſimum, & præſtantioris gratiæ priuilegio facundiſſimum, venire petierunt. At vir ſanctus, ſenio grauis, cùm corporis imbecillitate detineretur, beatum illuc Vedaſtum vicariæ ſollicitudinis cooperarium

rium direxit. In ea namq; vrbe, vt beatus Gregorius Turonenſis vrbis Epiſcopus ſcribit in geſtis Francorum, tunc temporis inaudita ciues prodigia terruerant. Hinc enim motu terræ maximo, multarũ eccleſiarum ſubita euerſione, & ruentium pallatiorum concuſſione, grauis animis deiectio incubuerat, inſtantibus prodigijs, mundi terminum, & extremum iudicij diem ſuperuenturum ſpectantibus. Porrò ibi beſtiæ multæ oberrantes, lupi, vrſi, ac cerui ingreſſi per portam ciuitatis, homines plurimos deuorantes, hoc per totum annum faciebant. Superueniente ſolenni die Paſchæ, ſanctus Mamertus eiuſdem vrbis Epiſcopus cùm in ipſa vigilia ſacrum myſterium celebraret, palatium quoque regale, quod editiore vrbis loco eminebat, diuino igne ſuccenſum eſt. Hanc diuinæ indignationis animaduerſionem ex offenſa hominum accidiſſe aduertentes Epiſcopi, communi conſilio decreuerunt ſeruari ieiunium, quod triduo ante aſcenſionem Domini vſq; nunc per omnes Galliarum eccleſias agitur, ſicq; ipſa tribulatio atq; ſubuerſio quieuit,

Gregor. Turo. lib. 2 hiſt. Franc. c. 34.

Beatus

Beatus Vedaſtus de hoc ſeculo migrauit, cuius exitum columna lucis illuſtrauit.

CAP. IX.

REXit igitur egregius Dei ſacerdos Vedaſtus prædictæ vrbis eccleſiam annis circiter XL. Cuius mentionem beatus Remigius benignè recolit in teſtamento ſuo, ita ſcribens: *Eccleſiæ Atrebatenſi, cui, Deo auctore, Vedaſtum fratrem meum cariſſimum Epiſcopum conſecraui, ex dono iam dicti Principis*, id eſt Hludouuici, quem de ſacro fonte ſuſcepi, *villas duas in ſtipendijs clericorum delegaui, Orcos videlicet & Sabucetum.* Eius exitum columna lucis viſa à cellula eius ad cælum vſq; conſpicuæ lucis tractu pertingere, deſignauit, quam mox ſubſequentis obitus ſacra illuſtrauerat dies. Mirum illud quòd inter lacrymantium gemitus in terra, pſallentium voces audiebantur in cælo. Sepultus eſt autem in eccleſia beatæ virginis Mariæ, haud procul ab ipſo altari, ab auſtralem plagam. In quo loco per aliquot temporis quieuit, quouſque, reuelante Domino, à viris ſanctis Autberto atq; Audomaro, ad locum, vbi nunc eius memoria fulget, fæliciter eſt tranſlatus, ſicut in libro vitæ eius, & plenius in geſtis

Duæ villæ eccleſ. Atrebatenſi à S. Remigio datæ.

To. 6. Surij.

gestis beati Autberti legitur. In qua trãs-
r. corru-ptibile latione beatus Audomarus receptũ * cor-
ruptile lucis munus, fertur, reimpetrata
cæcitate, vitasse. Huius post obitum mi-
racula aliâs diligens lector inueniet.

De homine per aduocatiam S. Vedasti in campum sustentato. CAP. X.

PAuca verò quæ nostris diebus meri-
tis huius beati Confessoris, à viden-
tibus facta accepimus, nequaquam præ-
Dernienſe territoriũ. tereũda æstimauimus. In Dernienſi nãq;
territorio, quendam ex familia sancti Ve-
dasti hominem, mali rapinatores, alienæ
substantiolæ inhiantes, prauis insimula-
a. ideo tionibus adorti sunt, & * ob hoc suum
aduocatum in ius quærentes, ipsum qui-
dem hominem ad singulare certamen,
quod rusticè dicimus campum, prouo-
cauerunt. Qui aduocatum suum adfutu-
rum pollicitus, intra huius legis diffinien-
dæ terminum, sumpta pera cum baculo,
ad cœnobium viri Dei pergere festina-
uit, causamq; proclamans, abbatis aduo-
catiam implorauit. Abbas autem pro
difficultate longi itineris detrectauit fer-
re suffragium, immo diuinum monuit
expectare auxilium. Omnino itaq; deso-
latus ad sua reuertitur, solaq; in Domini

fisus

fiſus clementia, ſuſceptam legem refellere nequaquam æſtimauit. Ergo præſcripta die, iudicio ſe repræſentans, aduocatiam Dei, & ſancti Vedaſti ſibi profuturam aſſumpſit: nullumq; aliud ſcutum, quàm peram ſibi opponendam fiducialiter ad dirimendam pugnam exclamauit. Factumq; eſt, diuina operante clementia, quòd vbi obluctator alter diligenter armatus, congreſſu habito, illius inermis peram ingenti ictu percuſſerit, tanta & tam denſa nebula inter eos de ipſa pera ſtatim exoritur, vt neuter alterum videre potuiſſet. *Nebula ex pera.*

De homine quoq; per S. Vedaſtum liberato.

CAP. XI.

IN vna quoq; eccleſia, quæ in Epiſcopio Leodecenſi ſita, in honore ſancti Vedaſti colitur, raptor quidam peſſimus, compoſitis fraudulenter calumnijs, hominem cepit, nexiſq; poſt tergum manibus, & fune aſcellis ſuppoſito, torquendũ durius abducebat. Quem mox cælitus emancipatum reſpiciens, equo deſilijt, illumq; per ſe fore ſolutum quoquo modo exiſtimans, malè verberatum iterum arctius vinculauit. Equoq; aſcenſo, repente quoq; laxatum intuitus, cum furore etiam

per

per comam arripuit, verberibuſq; affectum, tertiò per genitalia ligauit. Nec longum verò diſſolutum reſpexit, ſicq; tandē deuictus, diuinæ potentiæ cedendū æſtimauit. Hoc autē meritis ſancti Vedaſti à Deo conceſſum nemo qui dubitet.

Solutio vinculorum per S. Vedaſtum.

Poſt Vedaſtum ſucceſſit Dominicus, poſtea Vedulfus, deinde B. Gaugericus.

CAP. XII.

BEato Vedaſto ad Pontificale ſolium Dominicus ſucceſſit, cui Vedulfus. Ab iſto, cæteriſq; ſucceſſoribus eius, Cameracenſis eccleſia ſpecialem principatus aulam accepit, quæ ſacerdotali regimine multo antè tempore, ſicut & Atrabatus vacarat, ex quo Galliarum quoque eccleſias barbaricæ perſecutionis cædes vaſtauerat. Sed non idcirco iure quis dubitabit, an huic eccleſiæ aliqui antè præfuiſſent rectores; cùm hoc ex deſcriptionibus Dionyſij Papæ facilè datur intelligi, vt ſuperius expreſsè oſtenſum eſt: vel quòd Clodio Rex, Romanos quos ibi Chriſtianos inuenerat, interfecerit. Huius Vedulfi epiſcopi, licet aliqua fortè memoranda geſta fuiſſent, incertum tamen, an deſidia, an raritate ſcriptorum, quibus ſæpe multa ſilentio conſeneſcunt,

Vedulfus ſedem epiſcopalem transfert Cameracum.

Cap. 5. & 7. ſup. c. 3.

ad

ad noſtra vſq; tempora, ſuperſtite fama, non durarunt, præter quod in geſtis beati Gaugerici, qui ei ſucceſſit ad Pontificatum, legimus, illum rebus humanis exemptum ad meliora tranſiſſe. Per quod datur intelligi, non eum huiuſmodi meriti fuiſſe, cui ſupplicia pro culpa, verùm præmia reddantur pro innocentia; quod eſt ad meliora tranſiſſe.

B. Gaugericus, qui ſedit 39. annis, & obijt an. 594.

De Bertoaldo epiſcopo.

CAP. XIII.

POſt exceſſum beati Gaugerici ſucceſſit in ſede Pontificali Bertoaldus ex Francorum nobilitatis proſapia, vir Apoſtolicus, ac dote virtutum præclarus. Hic amore, ac veneratione beati Gaugerici ductus, qua ſemper vt filius flagrabat, in * cubiculum ſancti viri, vnde animam ad cælos emiſit, lectum ſuum conſtratum locauit, non præſumptione lubrici animi, ſed certus, quia hunc locum nullæ aduerſæ partis fantaſticæ inſidiæ vexarent, quem vir tantus ſui obitus caſu dicauit. In quo cùm * aliqua nocte pauſaret, apparuit illi per viſum beatus Gaugericus, blandè quidem, ac leniter alloquens, vt promptius, emoto lectulo, præſumptionis culpam meminiſſet piare, ſi propi-

* r. cubiculo

* r. quadam

propiciũ ſibi eum habere voluiſſet. Mox ille ſummoto lectulo, quod iuſſum fuerat expleuit, & in eodem cubiculo, altare Domino in * memoria beati Gaugerici dedicauit, pigneribuſq; ſanctorum compoſitis, diuinis cultibus aptauit, vbi vſq; in hodiernum celebratio ſancta peragitur, immo & Deo vota ſoluuntur.

a. honore

In cubiculo S. Gaugerici dedicatum altare.

Interfuit ſynodo Bertoaldus epiſcopus cùm S. Arnulfo, & multis alijs, vbi neceſſaria Eccleſiæ tractata ſunt.

CAP. XIV.

REperimus etiam in geſtis Remorum epiſcoporum, quòd ipſe Bertoaldus epiſcopus interfuit ſynodo, quam Sonnatius Remorum epiſcopus celebrauit, cum Theoderico Lugdunenſi, Sindulfo Viennenſi, Sulpitio Bituricenſi, Medegiſelo Turonenſi, Senoco Eloſanenſi, Leontio Sanctonenſi, Modoaldo Treuerẽſi, Chuneberto Colonienſi, Riclerio Senonenſi, Donato Veſontionẽſi, cum multis etiam alijs epiſcopis, quorum nomina breuitas neglexit. Reperitur quoq; ſanctus Arnulfus interfuiſſe Mettenſium Præſul. In qua ſynodo multa leguntur vtilia conſtituta, de rebus ſcilicet Eccleſiæ, qualiter tractãdæ ſint. De clericis videlicet, ſi qui rebellionis

Flodoard. lib. 2. c. 5.

Synodus Remenſis, eiusq; decreta ſaluberrima.

bellionis ausu, sacramentis se, aut scripturæ coniuratione constrinxerint, atq; insidias episcopo suo callida allegatione cõfecerint, vt si admoniti emendare contempserint; gradu proprio omnino priuentur. Item si quis Iudex cuiuslibet ordinis clericum publicis sanctionibus inclinare præsumpserit, aut pro quibuslibet causis, absque conscientia & permissu episcopi distringere, aut contumelijs, vel iniurijs afficere præsumpserit, communione priuetur. Item si quis homicidium sponte commiserit, & non violentiæ resistens, sed vim faciens impetu hoc fecerit, cum isto penitus non communicandum: sic tamen, vt si pœnitentiam egerit, in exitu communionis viaticum non negetur. Item si clericus proficiscens de ciuitate ad alias voluerit ciuitates, aut prouincias pergere, Pontificis sui epistolis commendetur. Quod si sine epistolis profectus fuerit manifestis, nullo modo recipiatur. Item si quis in quolibet gradu vel cingulo constitutus, aut potestate suffultus, decedente episcopo, res cuiuslibet conditionis, in * domos, vel agros ecclesiæ positas, ante reserationem testamenti, vel audientiam, ausus fuerit occupare, vel ecclesiæ repagula effringere, &

g. domus

supel-

ſupellectilem infra domum eccleſiæ poſitam contingere, vel ſcrutari præſumpſerit, à communione Chriſtianorum penitus abdicetur. Item, vt clerici cuiuſlibet ordinis, neque pro proprijs, neque pro eccleſiaſticis cauſis, aliter adire debeant forum, nec cauſas dicere audeant, niſi quas cùm permiſſu, & conſilio epiſcopi agere eis fuerit omnino permiſſum. Item viduas, quæ ſe domino conſecrari petierunt, vel puellas domino conſecratas, nullus neq; per auctoritatem regiam, neq; qualicunque poteſtate ſuffultus, aut propria temeritate rapere, vel trahere audeat. Quod ſi vtriq; conſenſerint, communione priuentur. Præter hæc etiam alia multa tractata ſunt, quæ licet ſatis vtilia, tamen breuiloquio gaudentes, prætereunda æſtimauimus.

Iſto præſule, fur in Baſilica S. Gaugerici, ſancto Gaugerico intimante comprehenditur. CAP. XV.

SVb huius tempore fur quidam intempeſta nocte baſilicam ſancti Gaugerici ingreſſus, ſacrum viri ſepulchrum, quod miro artificij opere, auro, & gemmis renitebat, ſpoliare cupiebat. At vir domini ianitori ſuo per viſum apparuit, memo-

memoriamq; ſuam, à latronibus tentatam intimauit; denuncians, vt captum furem ſine læſione abire permitteret, ſicq; factum eſt.

Subnectitur Ablebertus, ſiue Emebertus ex ſancta ſtirpe progenitus.

CAP. XVI.

POſt Bertoaldū ſucceſſit beatus Ablebertus, qui ita in catalogo epiſcoporum nominatus, ab incolis verò & vicinis Emebertus dicebatur. Hic ex Bracbatenſi pago oriundus; parētibus ſiquidem & vitæ, & generis dignitate clariſſimis, patre videlicet Witgero Comite, ſancto viro, atque Amulberga matre editus eſt. Cuius etiam quatuor ſanctæ ſorores fuerunt hæ; Reinildis, Sarachildis, Ermenlindis, beatiſſima quoq; Guodila, iunior ætate, ſed non minus præſtantior ſanctitate. Quæ profectò antequam nata, ab angelo beatiſſimæ matri nunciata, dies ſuos bonis operibus vincere ſtuduit, multiſque virtutibus & miraculis, vt ipſius vitæ liber editus inſinuat, coruſcauit. Qui etiam liber Ablebertum Pontificem, & mira ſanctitate clarum proteſtatur, & morum ingenuitate conſpicuum: quod nec dubitandum, præſertim cùm & tam

SANCTAE *Reinildis, Sarachildis, Ermēlindis, Guodila ſiue Gudila.*

extat apud Sur. 8. Ian.

sanctis, & tam magnificis natalibus ortum*. Hic nimirum prælibatæ ororis, id est Guodilæ, iam triduo sepultæ, tumulũ à latrone pestifero violatum audiens, ingemuit, latronemq; anathematis vinculo innodauit, immo etiam exerta inprecatione, vt signis fatentibus, saltem posteros non lateret, obtinuit. Hoc modo sanè, vt si vir esset, claudus, vel quolibet modo debilis fieret: si fœmina, vitio, quod vulgò dicimus gutteriam, semper non careret. Et hoc mirabile dictu, namque omnem ipsam progeniem hæc ita postea habere, liber ipse fatetur. Vnde datur intelligi virum altioris meriti extitisse. Fuit autem huic, vt ferunt, prædium, quod Martinas dicitur, familijs quidem & rebus circumfluis locupletissimum, de quo Dei genitricis ecclesiam * hæredem fecerat, sed nescimus qua causa, nisi infestatione paganorum, amiserit. Hic superueniente die suæ vocationis, in eodem pago, villa videlicet quam loci habitatores Ham dicunt, defunctus, migrauit à mũdo, illucq; sepultus. Deinde ad Martinas deportatus: postea verò ad Melbodium translatus, ibiq; nunc quiescens, resurrectionis diem expectat.

subaudi, *protestetur.*

f. Cameracensem.

De

De ſancto Autberto.

CAP. XVII.

POſt hunc in ſede Pontificali beatus ſucceſſit Autbertus, vir egregius, & vitæ merito conſpicuus temporibus Dagoberti Regis Frãcorum. Qui pro familiaris amicitiæ gratia qua eum ſingulariter amabat, fratribus, qui in eccleſia beatæ Mariæ famulabãtur, vbi vir Dei Pontificalis cathedræ fungebatur officio, vnũ Regalis munificentiæ fiſcum donauit, quem Oneng ab antiquo dicebant. Huius beati viri geſta, pro raritate ſcriptorum, non plenè patuerunt, præter quod in geſtis ſanctorum, qui ipſius fuere temporibus, pauca reperimus, in quibus celebri memoria ipſe recolitur, de quibus aliqua breuiter narramus. Puerum quendam ex ſacris fontibus ſuſceptum, & ſacris literis traditum, cùm attentius ad ſacros ordines promouere meditaretur, fallentibus verbis deceptum, diabolus ad exteriora retraxit. Qui aſſumptis ſibi nequiſſimis & ſeditioſis hominibus cœpit viatores infeſtare, trahere, ſpoliare. Qui cùm his ſtudijs attentius inſiſteret, & vir beatus eius ruinam defleret, fortè vnus ex complicibus ſuis raptus ad ſupplicia,

Obijt Dagob. an. 645. Sigeb. Autbertus claret 650. idem.

S. Landelinus.

iuueni cui dabatur hæc vidiſſe, magnum incuſſit horrorem. Cui poſt horrendam viſionem Angelus de cælo apparens proteſtatur talibus eum quoq; ſupplicijs debitum, pro eo quod virũ Dei Autbertum reliquiſſet. Hoc terrore correptum iuuenem vir ſanctus recepit, aluit, & ad ſacerdotium vſque promouit. Cuius multa in libro vitæ eius miracula, vſque in præſens, ſi cui eſt otium, inueniet.

g. Giſlani *Quod S. * Giſleni eccleſiam conſecrauit, ſanctum Vincentium excoluit; ſanctam VValdetrudem, & ſanctam Aldegundem, velauit.* CAP. XVIII.

S. Giſlenus. SVb eodem ferè tempore beatus Giſlenus ab Athenis digreſſus, dum, ortis ſimultatibus, apud beatum Autbertum accuſaretur; ille aduertens ſimulationis cauſas, non ſolùm non condemnandum æſtimauit, ſed cùm magna veneratione ſuſcepit, eccleſiamq́; quam idem ſanctus Giſlenus conſtruxerat, aſſumpto ſecum beato Amando, in honore Apoſtolorum conſecrauit. Hic beatum Vincentium, qui antè Madelgarius dictus eſt, cùm vitæ ſæcularis actibus occupatus teneretur, & militaribus negotijs, & Regij generis coniugio eſſet nobilis, in tantum diuini amoris

S. Amandus

S. Vincentius, qui antè Madelgarius.

amoris feruore accendit, vt militiæ cingulo poſtpoſito, laxoq́; coniugio, monaſtico habitu ſumpto, ſub ſanctæ conuerſationis regula ſe conſtringeret. Cuius vxor, beata ſcilicet Waldetrudis, aſsũpta ſibi germana ſua, quæ virginitatis propoſitum domino dicarat: hæ ambæ ſumptis à beato Autberto ſacris velaminibus, hæc in monte qui dicitur Caſtrilocus: illa in loco qui dicitur Melbodium, diuinis ſe cultibus vſq; ad finem exercuerunt. Erat verò in Melbodio monaſterium à beata Aldegunde conſtructum, quod beatus Põtifex in honore beatæ virginis Mariæ, & ſanctorum Apoſtolorum conſecrauerat, adhibitis ſecum viris religioſis, quos vitæ ipſius liber editus inſinuat.

S VValdetrudis vxor S. Vincẽtij.

S. Aldegũdis ſoror S. VValdetr.

Sanctum Vedaſtum leuauit.

CAP. XIX.

ATrebato etiam in honore beatæ Dei genitricis Mariæ eccleſia fuerat dedicata, in qua Pontificalis apicis thronus habebatur. In hac beatus Vedaſtus, cuius ſuprà meminimus, haud procul ab altari, verſo ad auſtralem plagam ſepulchro, quieſcebat. Quem beatus Autbertus, deſignato ſibi ab Angelo ædificandi oratorij loco, & fundata eccleſia,

cap 6 & ſequentib.

adhibito secũ beato Audomaro Tervvanensis vrbis episcopo, transtulit. In qua translatione, idem beatus Audomarus, cùm esset cæcus, receptum lumen parui pendens, amissam subito cæcitatem reimpetrauit. Vbi in memoria præsentis seculi ecclesia constat adhuc in honore beati Autberti constructa. In loco verò diuinitus designato vir domini monasterium construxit, & ex rebus suis ecclesiæ, in vsum famulantium, pro rerum oportunitate donauit. Cuius rei seriem libellus vitæ eius plenius ostendit. Beatus Vindicianus, qui ei successit in episcopium, existentibus causis Abbatiam Theoderico Regi donauit, retento sibi pastoralis priuilegio regiminis. Beatus verò Autbertus, populo suo ad cultum Dominicæ fidei mancipato, feliciter clausit diem, sepultusq; est in ecclesia beati Petri quæ extra muros vrbis Camaracæ erat ædificata: nunc autem, ampliatis mænibus, & monasterio meliorato, intra mænia vrbis ipsius quiescit.

Ecclesia Atrebati in honorẽ S. Autberti.

Cõstructio monasterij S. Vedasti per S. Autbertum.

Nunc eccl. S. Autberti vocatur.

S. Vindicianus episcopus succeßit, & de martyrizato S. Leodegario.

CAP. XX.

POst eius excessum beatus Vinditianus

nus eiuſdem eccleſiæ ſedem regendam ſuſcepit temporibus Theoderici Regis, filij Clodouei ex Badhilde prudentiſſima regina. Hic Theodericus poſt Clotharium fratrem, qui prior in regnum patris cum Badhilde matre ſucceſſit, ſummam regni ſuſcepit, renitentibus plurimis ex Francorum Principibus, maximè propter Ebroinum, qui maior domus regiæ, illis permoleſtus erat. Vnde conſurgentes aduerſum Theodericum & Ebroinum, vtroſq; tonſis capitis crinibus, in Burgundia Luxouio monaſterio recludunt, & Childericum tertium fratrem, qui in Auſtraſijs partibus imperabat, ſuper cũctum regnum ſuſcipiunt. Sanctum verò Leodegariũ Auguſtidunenſem Pontificem ſuper domum regis conſtituunt. Sed non multo poſt, Franci, Regem propter leuitatem & inſolentias ſuas non ferentes, coorta ſeditione eum interfecerunt. Sicq; Theodericus in regnũ, Ebroinus verò in priorem gradum reſtituitur. Qui nequiſſimis doctus conſiliarijs, æſtimans ſe memorati Pontificis factione ab antiqua poteſtate deiectum, crudeliſſimis eum tormentis affecit, & in territorio Atrebatenſe tranſductũ, decollari fecit in loco qui dicitur Silua ſancti Leodegarij,

Theodericus regnare incepit. an 666. Sigeb.

Clodou. ij. filius Dagoberti j.

Luxouium mon ſterium.

S. Leodegarius.

an. 685. Sigeb.

Sercin. sepultusq; est in villa quæ dicitur Sercin, quæ est in confinio Cameracensis Episcopij & Morinensis.

De corpore huius martyris, episcopis Ansoaldo, Hermenechario, & S. Vindiciano contendentibus, sorte Ansoaldus habuit.

CAP. XXI.

NEc mora, miraculorum eius fama circumquaq; diffusa, ad palatium Regis vsq; celebriter innotuit. Vbi tunc fortè inter cæteros proceres Ansoaldus Pictauensium, & Hermenecharius Augustidunensium Episcopus, sanctus quoque Vindicianus aderant. Quorum primus sancti martyris corpus monasterij quodam & consanguinitatis priuilegio vendicare cupiens, alter verò episcopatus iura præferens, tertius, id est beatus Vindicianus, locum martyrij & sepulchri, quem in Diœcesi sua, Deo volente, martyr susceperat, contestatus, hanc inter se non improbandam disceptationem confecerant, donec ex sententia cæterorum Pōtificum, tribus epistolis, horum trium nominibus subscriptis, & confusè sub palla altaris obtectis, factaq; in commune oratione, Pictauensi episcopo, ex indicijs sanctum corpus deberi declaratum est.

Mira-

Miraculum de S. Amato, quod tempore S. Vindiciani præſulis contigit Cameraco.

CAP. XXII.

SVb huius quoque pontificis tempore in hac noſtra ciuitate quoddam contigit mirabile, quod huic operi neceſſarium duxi inſerere. Ea namq; tempeſtate, dum præfatus rex Theodoricus in ſanctos Dei ſæuiret, diabolica agitatus ſtimulatione, ſanctum Amatum Senonienſis eccleſiæ præſulem exilio religandum deputauit: longeq; ab illis partibus, in municipio Viromandenſi quod Perrona vocatur, ſub cuſtodia admodum reuerentiſſimi viri Vltani abbatis mancipandum deſtinauit, ſcilicet, vt quem ferro non audebat perimere, longa ſaltem exilij tribulatione maceraret. Sancto igitur Vltano † de medio facto, timens rex impius, ne ſanctus præſul repatriaret, elegit quendam virum nomine Maruntum Adalbaldi Ducis, atq; ſanctæ Rictrudis filium, quem Perronam direxit, atq; vt beatum præſulem aliâs ſecum dignè cuſtodiendum duceret, imperauit. Siquidem præclarus Dei athleta huiuſmodi præcepto parere non diſtulit, ſed quod iuſſum fuerat, quantocius properans, exulem

S. Amatus epiſc. Senonenſis.

S. Vltanus.

.i. mortuo

S. Maurũtus filius S. Rictrudis.

exulem ſanctum honorificè tractando, ſecum inde adduxit. Illis ergo ad Auſtreuandenſem pagum tendentibus, contigit vt refocillandi gratia Cameracum diuerterent ad vrbem. Vbi cæteris circa miniſterium ſatagentibus, beatiſſimus præſul
Luc. 10. parti quam Maria, teſtãte Domino, optimam elegit, ſemper intendens, eccleſiam ſanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ haud longè ab hoſpitio ſubintrauit, ibiq; quantum Domino carus erat euidentiſſimè claruit. Intranti enim, vt in vmbris ſolet, lumen oculorum, ſolis claritate perculſum, obtunditur. Vnde ipſe minus perſpicax, radio ſolis, qui per foramen parietis infulgebat, pro ſeruo vſus eſt.
Miraculũ ſtupẽdum. Quoniã fatigatus itinere, materiale onus, vt ſpirituale leuius aſſumeret, deponens, cappam ſuam atque manicas ſuas radio ſolis, tanquam ibi protenſæ ferulæ ignoranter iniecit. Quæ ſol ipſe ſuſcipiens, dum orationi proſtratus incumberet, famulando ſuſtinuit. Diſpoſitis interea quæ domi neceſſaria erant, beatus Mauruntus ſancti veſtigia ſubſecutus, cùm eccleſiam introiſſet, & exuuias Sancti de ſole pendere deprehendiſſet, Deumq; mirabilem glorificando prædicans, tanti viri pedibus ſe proſtrauit, ſuamq; ignorantiam accu-

accuſans, ſi quid in eum peccaſſet, veniam poſtulauit. Non enim illi antea competenter ſeruierat, vtpote quem tanti meriti apud Deum fuiſſe nondum nouerat. At mitiſſimus præſul clementer indulſit, & non multo poſt, viribus reſumptis, iter quoq; reſumunt quod cœperant, laboremq; ſuum diuini ſermonis dulcedine lenientes, Hamaticum deueniunt. Quo in loco diutiſſimè commorantes, non minimum profecerunt. Relicto denique Hamaticæ cœnobio, ſacer præſul educitur, Broilumq; perductus eſt. Ipſe verò iuxta baſilicam cellulam ſibi fabricari præcepit, intra quam, quandocunq; oportunum erat, ſeſe continens, vigilijs, orationibus, atque ieiunijs inceſſanter corpus fatigauit, vſq; dum tam egregium militem Dominus de terris ad cælos euocauit.

Hamaticum monaſt nunc Prioratus Marchianenſis.

Broilus.

Quod tempore huius ſancti viri virgo Dei Maxelendis martyrizatur, percuſſorq; excæcatur. CAP. XXIII.

SVb hoc ferè tempore, quædam virgo in territorio Cameracenſi, nobiliſſimis orta natalibus, circumuenta eſt à quodam iuuene non ignobilis generis, ſed ignobilis animi, vt eius coniugio iure matri-

paſſa eſt 670.

matrimonij copularetur. Quæ dum nec auro, nec gemmis, nec vllo ornamentorum genere frangi potuisset, quo minus virginitatis propositum laxaret, & more nobilium feminarum viro potenti iungeretur, nec parentes suos super huiusmodi consilium audire vellet; desperato iuuenis amore, captaq; oportunitate qua puellam paternis ædibus solam posset offendere, assumpta secum nefandorum turba sociorum, domum omnem circumuallauerunt, & facta irruptione, domum omnem perscrutati sunt, tandemq; loculum, in quo virgo latebat, curiosius contemplantes, inuentam violenter traxerunt vsq; ad locum, vbi nunc constructa est basilica in honore omnium sanctorũ, præcipuè quidem sancti Vedasti, nec non & veneratione ipsius sacræ virginis. Tũc funestus carnifex, dentibus frendens, euaginato gladio percussam interfecit. Qui mox vt sanguinem virginis vidit, iusto Dei iudicio cæcus factus est. Sepultaq; est in basilica beatorũ Apostolorum Petri & Pauli, sanctiq; Sulpicij confessoris, quæ constructa est in villa quæ vocatur Pomeriolas.

Pomeriola.

Quòd

Quòd beatus episcopus virginis corpus ad locum interfectionis retulit, & Harduinus lumen recepit. CAP. XXIV.

TRiennio verò expleto post passionem eius, quædam matrona nobilis, nomine Amaltrudis, voce diuina commonita est, vt beatum Vindicianum Cameracensem Episcopum adire deberet, vt ipse cum clero suo ac plebe vicina, sacrum corpus ad locum interfectionis cum summa veneratione referret, quia locum illum Dominus signis & miraculis clarificare dispoſuerat. Quod beatus Põtifex, mox vt referentis verba audiuit; implere curauit. Porrò Harduinus qui eam interfecerat, licet miserrimè, & cum ignominia, adhuc in cæcitatis suæ tenebris viuebat. Qui vt sacrum virginis corpus ad locum memoratum referri audiuit, damnans & recognoscens peccatum suum, obuiam corpori se iubet duci, & ante feretrum se prostrauit. Ad quem mox vt sacri corporis baiuli peruenerunt; lumen recepit, currensq; ad Episcopum, narrauit quanta sibi acciderant. Ex præsentis igitur occasione miraculi, Episcopus, verbo dato ad populum, sanctum corpus in ecclesia suprà memorata sepeliuit.

pia Amaltrudis.

Quòd

Quòd super res Atrebatensis ecclesiæ S. Mariæ, priuilegium à Iohanne Papa confirmari obtinuit. CAP. XXV.

HOc autem scriptũ reperimus, quòd vir Dei venerabilis Episcopus sanctæ Dei genitricis ecclesiam Atrebatensem, ex rebus proprijs, vnâ etiam cum Rege Theoderico, augmentans, villis, ecclesijs, terris, molendinis cæterisq; subsidijs ampliauit, atque in generali placito residente rege præfato, seculares ac iudiciarias potestates, per Pontificalem auctoritatem, præsentibus quidem multis coëpiscopis, cum Rege etiam iam dicto, astipulantibus, scripto priuilegio, & à Iohanne Papa confirmato, ab illa ecclesia omnes penitus excluſit. Quod priuilegium tale est.

Nota titulos Rom. Pontificis. *Sancto & vniuersalis ecclesiæ prouisori, beatissimo Iohanni Papæ Romano, Episcoporum Episcopo, Vindicianus seruus seruorum Dei minimus, in Christo Domino quicquid felicius.*

Notum sit paternitati vestræ, seu omnibus sanctæ Dei ecclesiæ prolibus, si aliquid de rebus nostris, locis sanctorum; vel in substantiâ pauperum conferimus, hoc nobis procul dubio in æternam beatitudinẽ retribui confidimus.

fidimus. Nos quidem de tanta misericordia & pietate Domini confidentes, in conuentu venerabilium Episcoporum nostrorum, coram Rege pyssimo Theoderico in generali placito, hanc epistolam roborauimus, roboratamq; in perpetuum fore optamus. Lex priscorum quoque exposcit auctoritatem, vt quicumq; voluerit de rebus suis proprijs vendere, cedere, condonare, suum strumentum, secundum legem Salicam, licentiam habeat alligare. Quapropter nouerint omnes fideles, præsentes ac futuri, Pontificali auctoritate hoc episcopale priuilegium constructum à memorato Rege Theoderico, vt inuiolabiliter conseruetur, ab hodierno die & deinceps, per Pontificalem auctoritatem omnes seculares & iudiciarias potestates excludimus, omnẽq; clamorem & omnem inuasionem ab ecclesia sanctæ Mariæ Atrebatensis ciuitatis. Sed vt liceat canonicis Deo inibi famulantibus, ex hoc & in reliquum tempus quietè viuere, ab omni mundano strepitu sequestramus. Si autem talis extiterit causa, vt successores nostri precaria vel beneficia de rebus ad clericorum vsum pertinentibus patrare maluerint, hoc interdicimus interdictu etiam anathematis, & Pontificali auctoritate stabili mus, vt ipsum monasterium cum his villis Belrenio, Medonivilla: inter has duas villas

Lex Salica in vsu.

Pagi Artesiæ Belrenium. Medonivilla.

mansos

manſos lx. *culturas* xj, *eccleſias* ij. *cum omni dote & omnibus appendicijs, Aquis in pago Atrebatenſe, cum eccleſia & dote ſeu omnibus appendicijs, Friſcini curte cum omnibus appendicijs, Batſala cum eccleſia, & omnibus eius appendicijs, Berleta cum omnibus appendicijs, Squauia cum eccleſia & dote, & omnibus eius appendicijs, Ors cum omnibus appendicijs.* * *Sautſcido cum ſuis appendicijs. Radonivilla cum molẽdino vno ſuper Crientionis fluuiolum, aliud molendinum in Dominica curte, Maraculo cum integritate, eccleſia cum dote, decimancula in Rodulfi curte, ſimiliter in Vnziaco, ex hodierno die, & in reliquum tempus ſit in poteſtate canonicorum in ipſo monaſterio Deo ſeruientium. Nec aliquis præſumat ex his quæ diximus, quæ memoratus inclytus Rex de rebus propriis, & de alijs per regale præceptum eidem loco delegauit ad opus clericorum, inferre aliquam moleſtiam, ſed liceat eis quietè omnia poſſidere, quo valeant liberius pro pace ſanctæ Dei eccleſiæ, & vita Regis & coniugis, ac filiorum ac ſtatu regni, Domini clementiam exorare. Si quis verò obſeruator huius priuilegij à nobis editi extiterit, accipiat mercedem à Domino, & benedictionem à vobis, & ab omnibus nobis in præſenti vita, & in futura vitã æternam, Amen. Qui verò noſtræ auctо-*

Aquæ.
Friſciniũ.
Batſala.
Berleta.
Squauia.
Ors.
a. Suïtſcido
Radonivilla.
Crientio fluuiolus.
Dominica curtis.
Maraculũ.
Vnziacum.

auctoritati paruipenderint, & hanc pontificalem auctoritatem manu noſtra roboratam infringere voluerint, inde dirigimus ad veſtram clemẽtiam, vt quod à nobis roboratum eſt, ſtabile permittatis non ſolùm à vobis, ſed ab omnibus noſtris epiſcopis qui ſunt erga vos. Deus omnipotens qui cathedra vnitatis doctrinam poſuit veritatis, faciat vos memorem intellectoremq; ſui, placeatq; vobis propter eum, in orationibus veſtris meminiſſe etiam mei. At ille.

Vindiciano cum coëpiſcopis degentibus Galliarum finibus fraternam viſitationem, & paternam benedictionem. Reſcriptũ & confirmatio Iohan. Papæ V.

Audite ſententiam quam dico. Si quis de ſucceſſoribus veſtris, vel comes ſeu cupiditas iudicum, aut vlla oppoſita perſona hanc donationem vel confirmationem quam pro Dei intuitu & amore diuino fieri vel firmare accreuiſtis, minuere, aut à loco diſtrahere maluerit, Apoſtolica ſententia damnamus, & per Pontificalem auctoritatem à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ſequeſtramus, & à cœtu ſupernorum ſegregamus, & à regno Dei excludimus. Sancti Petri Chriſti ianitoris atque clauigeri cæleſtis regni interdictu interdicimus, & cum Iuda traditore Domini noſtri Ieſu Chriſti ſorte permittimus, vt in die iudicij cum diabolo & miniſtris eius, Forma excommunicationis.

luctu quatiente, inferno perfruantur sine gaudio. Amen.

Ego Iohannes Papa hoc priuilegium à mea paruitate editum firmaui ac roboraui.

Ego Marinus vicarius sedis Apostolicæ firmaui ac roboraui.

Ego Andreas episcopus subscripsi.

Ego Bonibertus episcopus subscripsi.

Ego Laurentius episcopus subscripsi.

Ego Pedelbrandus episcopus subscripsi.

Ego Nautor episcopus subscripsi.

Ego Hilarius episcopus subscripsi.

Ego Constantius episcopus subscripsi.

Ego Martinus episcopus subscripsi.

Ego Christophorus episcopus subscripsi.

Ego Thomas episcopus subscripsi.

Ego Felix episcopus subscripsi.

Ego Audoinus Archiepiscopus subscripsi.

Ego Austregisilus episcopus subscripsi.

Ego Rauengarius episcopus subscripsi.

Ego Siluinus episcopus subscripsi.

Ego Leodegarius ab impio iudice Ebroino, cathedra Augustidunense depositus scripsi, & subscripsi. Data octauo idus Maij, anno septimo regni domini nostri Theoderici Regis, indictione ij.

Ego Vindicianus episcopus iussu domni Theoderici Regis, & rogatu Iohannis summi Pontificis scripsi, & subscripsi.

Quòd

Quòd vir domini Vindicianus, adhibito secum S. Lantberto in villa Hunolcorth ecclesiam consecrauit.

CAP. XXVI.

PRæterea verò idem præfatus Pontifex Vindicianus in vico, qui à sede Cameracense fere VII. milibus distans, vocabulum Hunolcurth ab antiquis accepit, monasterium, accersitis secum non paucis coëpiscopis, vnaque etiam beato Lantberto Leodecense martyre preciosissimo, ad laudem Dei & veneration em sancti Petri consecrauit, ibiq; clericos & sanctimoniales constituit. Postea verò vir domini in villa Squauia, suo videlicet prædio, in oratorio quidem sancti Martini aliquandiu conuersatus, sacris operum indicijs non parum claruerat, creberrimisq; collocutionibus, exhortationibus, Apostolicis prædicationibus multos inibi ad normam vitæ salubris exequendam excitauerat.

Hunolcurth Monast.

S. Lambertus.

Squavia Gal Esquauere.

Donatio à Choneberto Abbate facta monasterio Maricolensi sub præsentia & fauore B. Vindiciani Episcopi.

CAP. XXVII.

VEterem verò chartulam in archiuo ecclesiæ sãcti Huntberti reperimus, quam

S. Hũtbertì ecclesia.

quam ſub præſentia & fauore huius ſancti pontificis, ipſe vir ſanctus tunc temporis Abbas de villa Macerijs ſcripſit, ita ſe habentem. *Anno duodecimo regni domni noſtri Chilaerici glorioſi Regis, decimo quinto Kalendas Aprilis. Ego in Dei nomine Chonebertus, etſi indignus peccator, cogitãs de Dei timore vel æterni boni retributione, ſeu abluẽdis meis peccatis; quia dicit ſcriptura:* Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis qui vos perducant in æternas manſiones ſanctorum. Rurſumq́ dicit:* Luc. 12. *Facite vobis ſaccos eleëmoſynæ qui non veteraſcũt. Iccirco dono, quod in perpetuum donatum eſſe volo, aã ſacroſanctum monaſterium quod vocatur Maricolas, quod vir illuſtris Huntbertus quondam ſuo opere conſtruxit, vbi ego ipſe indignus peccator Abbas præeſſe videor, conſecratum in honore ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri* IESV CHRISTI, *& ſancti Petri & Pauli Apoſtolorum, vel reliquorum dominorum qui in ipſa baſilica venerantur, ſitum in pago Fanomarcenſi ſuper fluuiolum qui vocatur Helpre: hoc eſt partẽ maximam de poſſeſſione noſtra in villa nũcupata Macerias, ſita in pago Laudunenſi ſuper fluuium Iſeram, quam de auia mea Deo ſacrata Audeliana, quondam dato precio per venditionis titulũ comparaui, hoc eſt manſos*

Maricolas monaſt.

Fanomarcẽſis pagus. Helpre fluuiolus.

Domi-

*Dominicos, vbi ipsa Audeliana mansit, vel postea nos ædificauimus, & terrationes, & seruos, & ancillas illos & illas. Hos igitur mansos cum terris * concidis, & pascuis in integrum per hanc seriem epistolæ nostræ donationis, quam Vlfinum notarium scribere rogauimus, ad ipsam basilicam sanctæ Mariæ Maricolis constructam, à præsenti die tradimus ad possidendum. Hæc omnia suprà nominata ad ipsum monasterium delegauimus, vt ipsi monachi vel successores nostri, in suo iure vel dominatione à præsenti die recipiãt ad possidendum, tam in terris, quàm domibus, ædificijs, mancipijs, vineis, siluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumq́; decursibus, absq; vllius iudicis interpellatione: habeantq́; in sua potestate tenendi, dandi, vendendi, commutandi, vel quod ex inde voluerint faciendi. Propterea in ista epistola definimus, vt nulla altera ratione calumnia in postmodum inter ipsos seruos Dei, vel hæredes nostros non adcrescat. Si quis verò post nos, quod futurum esse non credimus, si aliquis de hæredibus nostris, aut quælibet opposita persona, contra hanc donationem nostram, quam fieri rogauimus, venire aut infringere voluerit, primitus iram trinæ maiestatis incurrat, & sit anathema, & deleatur nomen eius de libro viuentium cælesti, & cum iustis non*

f. consitis

Forma imprecandi violatoribus instrumẽtorum, & similibus.

Ps. 68.

scribãtur, sed sint consortes Iudæ Iscariotis, qui Dominum tradidit: & si emendare noluerit, mutet Deus sensum eius, & in illo iu-
Act. 5. *dicio recipiat, quod Ananias & Saphira receperunt in præsenti, & insuper* * *inferat cogenti fisco auri libras decem, & decem ar-*
f inferat
a. quod *genti pondo coactus exsoluat. Nec si* * *quid repetit, nihil valeat vindicare, & merces nostra in antea proficiat ad salutem. Et si aliqua strumenta, aut anterioris, aut posterioris, quolibet ingenio vel argumento, de nomine nostro in propinquis meis, vel extra-*
r. fuerint ostensa & apparuerint *neas personas* * *fuerit ostensus, aut vllo vnquam tempore* * *apparuerit, falsarius esse cognoscatur, & inanis permaneat. Sed præsens donatio a me facta omni tempore firma & inuiolata permaneat, stipulatione subnixa idoneorum estium domini videlicet Vindiciani episcopi, & Fulberti mei fratris, sed ill. & ill. Actum Maricolis. Ipse tamen Chonebertus, etsi peccator, abbas, propria manu confirmo.*

Sepultus est in monte S. Eligij.

CAP. XXVIII.

DE vita huius beatissimi Pontificis atq; glorioſissimi confessoris Christi pauca retulimus, quæ aut pro raritate & ignauia scriptorum neglecta putamus, aut

aut pro ſeditionibus procelloſis, quibus ſanctas Dei eccleſias ſemper naufragaſſe ſuprà diximus, ſcripta diſperijſſe credimus. Quod profectò minimè eſt dubitandum. Fieri enim poteſt, vt cum tantis ſubuerſionibus eccleſiarum, vnà etiam volumina, quibus ſeries vitæ & miraculorum huius ſancti viri continebatur, auris quidem ridentibus, diſperirent. Quoniam verò pro ſuprà memoratis cauſis exiſtentibus, incertum eſt etiam, quanto videlicet tempore eccleſiam Camaracenſium rexerat, & quæ perſonæ eius funebritati interfuerant: Ideo ex his melius eſt ſilere, quàm fabuloſum quid conficere. Hoc autem pro certo audire ſufficiat, quod ad remunerationem ſui laboris die obita v. Idus Martij migrauit ad Chriſtum, ſepulcuſq; eſt in baſilica, in loco videlicet qui dicitur Mons ſancti Eligij, vbi quondam ipſe, cùm ægrotaret apud Broſellam diœceſis, ſuæ territorium, iuſſit ſe transferri, pro eo quòd ibi beatus Eligius habitationis ſuæ fecerat diuerſorium, cui beatus Vindicianus familiari vſu dilectionis inhæſerat. *Cap. 5.*

s. Eligij domicilium vbi.

Clericus quidam tumulo S. viri nescienter insultans, lumine priuatur, & item illuminatur. CAP. XXIX.

POst multum temporis, cùm iam Dominus sanctũ suum mirificari disponeret, causa interuenit quæ signis euidentioribus iacentis merita manifestaret. Erant Atrebati nobilium virorum filij literalibus disciplinis sub magistro erudiendi. Et tempus aduenerat quo ipsi pueri, ab eodem magistro rogati, † ad scriptoriam artem liquorem facere deberent. Locus autem quo vir Dei sepultus quiescebat, iam vepribus & spinis plenus erat, nec habitator inibi erat, pro eo quòd gentilium infestatione, locus ex multo tempore desertus fuerat. Huius rei quam narro testes vsque ad nostra tempora superfuere. Supra memorati namq; clerici, cùm circumiacentis nemoris spineta lustrarent, ad basilicam fortè diuertunt. Vbi dum hi, quibus altior mens fuerat, orassent, iuniores situm interioris ecclesiæ curiosius contemplabantur. Vnus autem ex his ad tumulum viri Dei incautius accedens, sicut terra dehiscens, à summo vsque deorsum rimam fecerat, ille arrepto sarculo cœpit speluncam quasi insul-

† i. atramentum

insultans fodicando pertentare. Qui statim cæcitate percussus, cœpit palpando ducem quærere, ducem clamare. Exterriti qui aderant subita euentus immutatione, magis sibi quisq; timebat, ne percussi simili sententia plecterentur. Sciscitantibus autem priuati causam luminis, respõdit ex insultatione temeraria, quam tumulato intulerat, sibi misero hoc accidisse. Inuento igitur salutaris remedij consilio, puerum, capitis sui deditione, tantæ animaduersionis iram placare suadent. Sicq; factum est. Mox, lumine recepto, puer haud mediocriter castigatus redijt.

Vbi Fulbertus episcopus sanctum corpus beatì Vindiciani honorificè leuauit.

CAP. XXX.

HVius itaq; miraculi fama per vicinam regionem pertonuit, plebemq; longè lateq; super veneratione tanti viri excitauit. Qua etiam Fulbertus Pontifex attonitus, qui post illum quintus decimus in episcopio extitit, sanctum corpus leuare disposuit, & honorificè in locello lapideo conditum reperit. Suum autem Archidiaconum, vt ferunt, Honoratum iuxta quiescentem intactum reliquit.

Vbi

Vbi meritis ſancti Vindiciani cæcus illuminatur. CAP. XXXI.

ERat præterea in territorio Atrebatenſi mulier habens vnicum filium, cui, patentibus oculis, lux ipſa multo ex tempore negabatur. Hunc mater ſecum adſumptum ad ſepulchrum beati Vindiciani conduxit. Vbi perductum ſuper altare cereum offerre fecit, ipſaq; paululum oratura proſternitur. Manifeſta Dei virtute puer lumine recepto, recto itinere cœpit regredi, nihil hæſitans, & viæ ducem non requirens.

Item quædam mulier cæca viſum recepit. CAP. XXXII.

MVlier item quædam in territorio Pontico erat non ignobilis, ſed priuato lumine debilis. Quæ, paratis viaticis, proficiſci Romam ad limina Apoſtolorum, pro recipienda ſalute diſpoſuerat. Nocte igitur ea qua ſequentis diei mane profectionis iter parauerat, diuinitus commonetur, vt ad ſepulchrum beati Vindiciani cum oblatione ſua properaret, ibi optatæ lucis, cõmercia receptura. Facto itaq; crepuſculo, carpento ſuperimpoſita, vt monita fuerat, expleuit. Veniẽs

igitur

igitur ad tumulum viri Dei, mox vt terram oculis attigit, aperti sunt oculi eius, & sic gaudens redijt ad propria.

Multi diuersis cruciatibus plexi sunt, quòd templum eius violarunt.

CAP. XXXIII.

HEinrico autem quondam Imperatore, ortis simultatibus inter Balduinum & Arnulfum Comitem, Balduinus collecta manu Arnulfum, quia numero inferior erat, à Valentianis expulit: quod quidem castrum imperio Heinrici subiugatum fuerat. Indignatus Imperator rerum insolentia, castrum & ipse obsidione clausit. Ad hunc Rotbertus Francorum Rex innouandæ amicitiæ gratia, sed & Richardus Rotomagensium Dux, cum infinita multitudine conuenerunt. Gens ipsa ferox & inquies, & auaritiæ studijs feruens, nec ecclesias Dei immunes reliquerant incursionis. Porrò Atrabatensem prouinciam peragrantes, patriam misera cæde vexabant. Ex his aliqui ad montem sancti Eligij, de quo suprà disseruimus, deuenientes, audierunt monasterium multis pecunijs & congestionibus refertum. Facto igitur agmine, templum irrumpere nitebantur: renitentibus

Valentianense bellũ 1006. Meyer.

c. 28. & seq.

tibus clericis, vnus barbarico furore cõmotus, telo vibrato vnum ex ſacerdotalibus viris in ipſo aditu templi proſtrauit: cæteri verò, fraternæ necis dolore accẽſi, pertinacius rebellabant. Difficultate igitur facta, cùm hoſtes templum effringere non poſſent, vnus eorum veſano ſpiritu armatus, tectum templi aſcenſu ſuperauit, & per laquearia ſeſe intro ſummiſit, & improuiſus viros à tergo ferire cœpit. Turbati qui aderant, cùm hoſtem in medio ſui cernerent; dum poſteriora defendunt, liberum anterioribus aditum præbuerunt. Qui irruentes plerolq; necauerunt, & cruentis manibus ſancta contaminantes, theſauros eccleſiæ, veſtes etiam ſacerdotales ſuſtulerunt. Nec longum tamen lætati, mox vt inter ſe ſpolia diuiſerunt, pleriq; arrepti à dæmonio torquebantur: alij linguis aduſti, alij proprio morſu præciſis: pleriq; cruribus exuſtis, miſero cruciatu plectebantur. Fama huiuſmodi cæteris terrorem incuſſit, ne de ſpolijs eccleſiæ illius attactis, ſæua quoq; peſtis eos incenderet. Sed & Comes mox vt in patriam reuerſus eſt, quæſtione facta de theſauris dictis, ſub poſito ſacramento, vſque ad minimum quadrantem fecit perſolui. Vnus autem ex illis qui

interfuerat violatoribus ecclesiæ, vnam in partem sibi campanam retinuit, quam cùm diu celasset, parte corporis præmortua, tandem confiteri coactus est, quod, auaritia suadente, negauerat. Missa igitur legatione ad matricularios duplò restituit, sicq; saluti pristinæ redditus est.

Hildebertus succcssit, pòst Hunoldus, tum Hadulfus. CAP. XXXIV.

BEato Vindiciano Hildebertus in Episcopium succesſit. Cui Hunoldus. Hoc defuncto ad episcopale solium Hadulfus eligitur, quem asserunt quidam filium fuisse sancti Ragnulfi martyris, de quo hi qui nostris superfuere temporibus fideles, testati sunt, multa se ad sepulchrum eius vidisse miracula. *an. 717.* *S. Ragnulfus.*

Hunc Engranus episcopus leuauit, in cuius eleuatione mulier à dæmonio liberata est.

CAP. XXXV.

HIc Hadulfus in ecclesia sancti Petri Apostoli, quæ intra muros castelli Atrebatensis est iuxta monasterium sancti Vedasti, sepultus est. Huius verò sanctitas procedente tempore multis mirisq; portentis ostensa est. Quorum præcipuus testis edituus monasterij sancti Vedasti, *S. Hadulfus.*

Engrano

Engrano Cameracensi Episcopo, visiones quas plerumq; viderat, propalauit: Qui ergo testem idoneum animaduertes, sanctum corpus leuauit. In qua eleuatione, ad declaranda sancti viri merita, mulier quædam ab immundo spiritu mirificè liberata est. Vnde Episcopus lætus, verbo facto ad populum, beati Hadulfi solemnia in numero Sanctorũ notificauit.

De Trauuardo, Gorfriao, & Albrico episcopis. CAP. XXXVI.

POst Hadulfum Trauuardus substituitur in sedem. Post quem eiusdem monasterij Guntfridus rector extitit. Post cuius excessum Albricus.

De Hildoardo episcopo.

CAP. XXXVII.

POst Albricum Hildovvardus, tempore Caroli magni, successit, qui duas tabulas eburneas pulchrè sculptas, anno duodecimo sui episcopatus, vt in eisdem tabulis liquet, fieri iussit. Hic autem vsque ad tempus Ludouici Pij superfuit, multisq; commodis ecclesiam instruere curans, ab ipso Imperatore inmunitatis præceptum huiusmodi obtinuit.

Liter. Imp. super im-

In nomine Domini Dei & Saluatoris nostri IESV CHRISTI. *Hludouuicus diuina ordi-*

ordinante prouidentia Imperator Augustus. Cùm petitionibus seruorum Dei iustis & rationabilibus, diuini cultus amore, fauemus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Proinde nouerit industria seu sagacitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm futurorum, quia vir venerabilis Hildoardus Cameracensis vrbis episcopus obtulit obtutibus nostris inmunitates aui videlicet nostri, Regis Pippini, & genitoris nostri Caroli, bonæ memoriæ, præstantissimi Imperatoris, in quibus continebatur insertum, qualiter idem genitor noster, & antecessores Reges prædictam sedem, quæ in honore est sanctæ Dei genitricis Mariæ, semperq; virginis, ob amorem Dei, tranquillitatemq; consistentium fratrum, sub plenissima tuitione, & inmunitatis defensione habuissent. Pro firmitate tamen rei postulauit à nobis præfatus episcopus, vt eorundem Regum auctoritatẽ, in amore Dei & reuerentia sanctæ Dei genitricis Mariæ, nostra confirmaremus auctoritate. Cuius petitioni libenter adquieuimus, & ita in omnibus concessimus, atque per hoc præceptum nostræ auctoritatis confirmauimus. Præcipientes ergo iubemus, vt nullus iudex publicus, vel quilibet ex iudiciaria potestate, in ecclesias, vel loca, vel agros seu reliquas possessiones prædictæ eccle-

munitate Cameracensis ecclesiæ.

siæ,

sia, quæ moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem nostri imperij, iustè & legaliter memorata tenet, vel possidet ecclesia, vel ea quæ deinceps à catholicis viris eidem ecclesiæ fuerint collata, ad causas audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuo quàm seruos, super terrã ipsius commorantes, nequaquam destringendos: nec vllas redditiones, aut inlicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt exigere præsumat. Sed liceat memorato Præsuli suisq; successoribus prædictæ ecclesiæ, cum cellulis, & rebus, vel hominibus sibi legaliter subiectis, immunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere imperio, atque pro stabilitate nostra, vel totius imperij à Deo nobis collati, vel conseruandi, vnâ cum clero & populo sibi subiecto, liberè Dei misericordiam exorare. Et quicquid exinde fiscus noster exigere poterat, in luminaria ipsius ecclesiæ concinnanda perpetualiter concessimus ad habendum. Continebatur etiam in eodem præcepto Domni & genitoris nostri quòd si quis Dux, Comes, Vicarius, seu quislibet ex iudicaria potestate auctoritatem Domni genitoris nostri.

Frederum exactio.

Serui ecclesia.

stri, vel anteceſſorum Regum irrumpere, aut violare præſumpſerit, ſolidorum ſexcẽ orum culpabilis iudicetur. Videlicet vt duæ partes in archiuum ipſius eccleſiæ admittantur, & tertiam fiſcus regalis recipiat, vt nullus tale quid audeat perpetrare. Quod ita & nos per hanc noſtram auctoritatem confirmamus, vt ſicut à domno genitore noſtro, vel anteceſſoribus Regibus collatum atq; confirmatum eſt, ita deinceps inuiolabiliter conſeruetur. Hæc quippe auctoritas, vt a fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ & noſtris, verius credatur, manu propria ſubter eã firmauimus, & anuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus. Signũ Hludowici ſereniſſimi Imperatoris.

Ego Durandus Diaconus ad vicẽ Heliſacharij recognoui.

Amen. Data eſt XVII. *Kal. Maias, anno Chriſto propitio tertio domni Hludouuici piiſſimi Auguſti. Indictione* IX. *Actum Aquiſgrani regio palatio, in Dei nomine. Amen.* Hic etiam interfuiſſe ſynodo inuenitur, quam anno ab incarnatione Domini noſtri IESV CHRISTI DCCC.XIV. Vulfarius Remenſium Archiepiſcopus in eccleſia Nouiomenſi cum alijs coëpiſcopis habuit, vbi videlicet ſententia ventilata eſt inter Wendilmarum & Rothardum epiſcopos, de

Synod. Noùiomenſis.

de terminis parochiarum suarum.

De Halitchario, quem Ebo Archiepiscopus subiecta epistola humiliter alloquitur.

CAP. XXXVIII.

HIldovvardo verò Halitcharius successit, vir doctrina Apostolicus, & fide catholicus. Hic precibus Ebonis Remensis Archiepiscopi sex libellos de remedijs peccatorum, & ordine vel iudicijs pœnitentiæ conscripsit: ad quem Ebonis talis extat epistola. *Reuerẽtissimo in Christo fratri ac filio, Halitchario episcopo, Ebo indignus episcopus salutem. Non dubito tuæ id notum esse caritati, quanta nobis ecclesiasticæ disciplinæ, quantisq́ nostrorum necessitatibus subditorum, & insuper mundialium oppressionibus, quibus cotidie agitamur, cura constringat. Idcirco, vt tecum contuli, ex Patrum dictis, Canonum quoque sentẽtijs, ad opus consacerdotum nostrorum, excerpere pœnitentialem minime valui: quia animus cùm diuiditur per multa, fit minor ad singula. Et hoc est quod in hac re me valde sollicitat, quoniam ita confusa sunt iudicia pœnitentium, in presbyterorum nostrorum opusculis, atque diuersa & inter se discrepantia, & nullius auctoritate suffulta, vt vix propter dissonantiam possint discerni.*

Halitcharij opuscula de remedijs peccatorum & ordine pœnit.

Vnde

Vnde fit, vt concurrentibus ad remedium pœnitentiæ, tam pro librorum confusione, quàm etiam pro ingenij tarditate, nullatenus valèant subuenire Quapropter carissime frater noli te ipsum nobis negare, qui semper in diuinis ardenti animo disciplinis, ac solertì cura scripturarum meditationibus perfectissimo otio floruisti. Arripe quæso sine excusationis verbo, huius sarcinæ pondus à me quidem tibi impositum; sed à Domino, cuius Mat. 11.
onus leue est, leuigandum. Noli timere neq; formides huius operis magnitudinem, sed fidenter accede, quia aderit tibi qui dixit: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Scis Ps. 80.
enim optimè paruis parua sufficere, nec ad mensam magnatorum, pauperum turbã posse accedere. Noli tuæ deuotionis nobis subtrahere scientiam, noli accensam in te sub modio ponere lucernam, sed præcelso eam superpone Mat. 5.
candelabro, vt luceat omnibus qui in domo Dei sunt fratribus tuis, & profer nobis, veluti scriba doctus, quod accepisti à Domino. Mat. 13.
Aderit tibi huius laboris itinere illius gratia, qui duobus discipulis euntibus, tertium Luc. 24.
se socium addidit in via, & aperuit illis sensus, vt sanctas intelligerent scripturas. Spiritus paraclitus omni veritatis doctrina, & perfecta caritatis scientia, tua resplendeat pectora carissime frater. Vale.

Ad Ebonem Halitcharius epistolam rescribit. CAP. XXXIX.

AD quæ idem talia rescribit Halitcharius.

Domino & venerabili patri in Christo, Eboni Archiepiscopo, Halitcharius minimus Christi famulus salutem.

Postquam, venerãde pater, directas beatitudinis vestræ accepi litteras, quibus me hortari dignati estis, ne mentis acumen inerti torpentiq; otio summitterẽ, sed cognitioni ac meditationi cotidie sacræ scripturæ me vigilanter traderẽ, & insuper ex sanctorũ Patrũ Canonumq; sententijs pœnitentialem in vno volumine aggregarem, durum quidem mihi, & valde difficile tremendumq; hoc quoque fuit imperium, vt hanc susciperem sarcinam, quam à prudentibus cognosco relictam. Multumq; renisus sum voluntati vestræ, non velut procaciter durus, sed propriæ infirmitatis tarditate admonitus. Hac etenim cura sollicitus, necessarium duxi, vt aliquandiu me à scribendi temeritate suspenderem, quia sicut perpendi iniuncti operis difficultatem: ita & iniungentis auctoritati, nec volui, nec debui vsquequaq; resistere, certus quia imbecillitatem meam multo amplius vestra adiuuaret præcipientis dignitas, quàm grauaret meæ ignorantiæ difficultas. Valete.

De

De Constantinopoli plurima Sanctorum pignora attulit. CAP. XL.

HIc ab Imperatore * Karolo Constãtinopolim missus, & à Michaele Imperatore, sicut inde reuersus ipse retulit, honorificè susceptus est. Vnde ipse multa & precioſa ſanctorum pignora, ſancti videlicet protomartyris Stephani, Cosmæ, Anthimi Nicomediensis episcopi, & Theodori martyris, quæ in ecclesia beatæ Mariæ continentur adhuc, asportauit. Nec non & tabulas eburneas, quibus libri cooperti ibidem esse spectantur. Huius verò tempore Ludvvvicus Pius Rex per Cameracum transiens, Aquisgrani ad hibernandum reuertitur. Beatus verò Pontifex in pace cum patribus suis dormitionem suscipiens, sepultus est in Monte sancti Eligij.

corrigend. Ludouico

Reliquiæ in ecclesia Cameracensi.

anno 818.

Succeſsit beatus Theodericus, quem Ebo Archiepiscopus sibi in synodo iudicem elegit. CAP. XLI.

POst hunc summi sacerdotij munus Theodericus à Ludvvvico Imperatore suscepit, vir spectatæ sanctitatis, & prophetiæ spiritu diuinitus illustratus. Cuius tempore Lotharius patrem Lu-

duvbicum Regem, consentientibus falsis episcopis, maximè Ebone Remorum Archiepiscopo, à regni Imperio deiecerat, Principibus tamen iniustè deiectum animaduertentibus, & eisdem Episcopis, qui ante consenserant, acclamantibus, in pristino honore restitutus est. Post hæc congregata synodo in Metensi ecclesia sancti Stephani, Imperator præ cūctis Ebonem accusat, quòd eum falsò fuerat criminatus; & eisdem falsis criminibus appetitum à regno deiecerat, armisq; ablatis, nec confessum, nec conuictum, contra regulas ecclesiasticas ab ecclesiæ aditu eliminauerat. Qui obiecta erubescens, seq; malè feciſſe recognoscens, vt in synodo omnia legaliter adimplerentur, secundum Affricanos canones, sibi iudices episcopos delegit, inter quos etiam Theodericum Episcopū conuocauit. Iste etiam anno Domini DCCC. XXXII. XVI. Kal. Decembris ordinationem clericorum fecit in monasterio Laubiensi. Anno etiam DCCC. XLIIII. dedicauit monasterium in Vasslero, petente Hariberto abbate.

Ludouici Imp. deiectio an. 833. restitutio 835.

Concil. Affric can. 65. aliàs 70.

Monaster. in Vasslero.

Vbi sanctum corpus beati Vedasti quæsiuit, implorantibus monachis, & inuenit.

CAP. XLII.

Dani

DAni verò tunc temporis per vicinam huius diœceseos malè debachantes, ecclesijs insultabant. Quare vir domini Theodericus, piè monentibus & implorantibus monachis, quia dubitabatur & incertum erat, quo in loco positum crederent, preciosissimum corpus sancti Vedasti quæsiuit, & inuenit anno quidem Dominicæ incarnationis DCCC.LII. Inuentum verò ita parauit, vt si fortè metus Danorum cogeret, fugientes aliorsum deferrent. *Danorum per has regiones grassatio.* *6 Nonas Iulij. Molan.*

Vbi in synodo de Ebonis depositione, & Hincmari ordinatione scriptum protulit.

CAP. XLIII.

HVius etiam diebus honorabilis præsul Hincmarus, post Ebonem depositum, eiusdē ecclesiæ episcopus, anno sui episcopatus VII, synodum habuit conprouincialem apud Suessonicam vrbem in monasterio sancti Medardi, cū Venelone Sennensi Archiepiscopo, Amalrico Turonensi, & hoc Theoderico Cameracensi Episcopo, & multis alijs episcopis & Abbatibus, residente quoq; in medio glorioso Rege Karolo. Vbi quædam necessaria ecclesiæ Dei sunt pertractata negotia. Ad quam synodum accedētes quidam *anno Domini 853. Synod. Suessionē-sis. Carol. Caluus.*

dam Remensis ecclesiæ Canonici ac monachi, clamauerunt, suspensos se à præfato Archiepiscopo suo ab administratione ordinum ecclesiasticorum, ad quos ab Ebone quondam prouecti fuerant. Electi igitur iudices vtriusq; partis .i Archiepiscopi, & clamatorum, auditis causis altrinsecus, iudicauerunt: quòd si Ebo Archiepiscopus in suo statu manens, canonicè hos fratres ordinauerit, deberẽt ministrare: si autem iniustè deiectus & canonicè restitutus, post suam canonicam restitutionem eoldem ordinauerit, sine vlla quæstione deberent etiã ministrare. Interrogatis itaque ordinatoribus Hincmari de Ebonis depositione, & Hincmari ordinatione, surgens Theodericus Camaracensis Episcopus, porrexit in conspectu principis & synodi scriptum continẽs ordinem depositionis præfati Ebonis. Tunc ventilatum est, qualiter exauctoratus episcopus restitui debeat, & quia idem Ebo restitutus canonicè non fuerit: insuper & ab Apostolica sede, Sergio Papa confirmante deiectionem illius, damnatus extiterit, vt in laica tantummodo commúnione maneret. Sicq; decretum est, vt quicquid in ordinationibus ecclesiasticis Ebo post depositionem suam egerat,

De ordinibus ab epis. deposito collatis iudiciũ.

Sergius ij.

egerat, secundum traditionem Apostolicæ sedis, præter sacrum baptisma, quod nomine sanctæ Trinitatis perfectum est, irritum haberetur, & ordinati ab eo ecclesiasticis gradibus priuarentur. Tunc vnus ex delectis fratribus libellum proclamationis exposuit in medio, in quo continebatur, quòd ideo se ab Ebone permisissent ordinari, quia viderant suffraganeos Remensis ecclesiæ in vnum cum litteris Imperatoris Lotharij conuenisse, & eundem Ebonem restituisse. Sed & litteras, quasi ex nomine Theoderici Episcopi, & ceterorum eiusdem diœceseos episcoporum manibus roboratas, ostenderunt: quibus recitatis, falsisq; comprobatis, iussi sunt communione priuari, pro eo quòd episcopis talia obijcere præsumpsissent. His ita terminatis, Hincmarus Archiepiscopus primatus sui locum recepit. Cuius extant scripta plurima, quæ ipse de fide catholica, & de conseruando iure catholico conscripsit.

Scripta Hincmari ad Theodericum, & ad alios quosdam. CAP. XLIV.

INter quæ etiam Immoni Nouiomagẽsi episcopo, pro consilio & auxilio dando Theoderico Cameracensi præsuli, super quodam *Flod. lib. 3. c. 21.*

quodam inobediente qui Dominum non timebat, & ecclesiasticum ministerium non reuerebatur. Ipsi etiam Theoderico pro quodam *Hettone Lotharij Regis vasallo, cui communi consensu pœnitentiam iniunxerant, qui se absolutum à præfato Theoderico fuisse fatebatur, & pro quodam presbytero, quem idē Theodericus excommunicauerat, pro quo Papa Romanus Hincmaro litteras miserat, quas ipse eidem Theoderico mittebat. Item pro præfati Hettonis absolutione. Item pro rebus Remensis ecclesiæ, quas sibi per præstariam Theodericus delegari petebat. Maioni quoque illustri Comiti, gratiarum referens actiones pro benignitate & sollicitudine quam domno Theoderico Camaracensi præsuli, viro sancto, & ecclesiæ ipsius exhibere curabat. Scripsit etiam Lothario Regi, filio Imperatoris Lotharij pro electione Episcopi ecclesiæ cōcedenda Cameracensi. Nec non Gontario Colonienſi, vt intercedat apud Lotharium Regem, & satagat pro electione canonica Cameracensis episcopi post decessum Theoderici venerādi præsulis. Mortuus enim erat. Item secundò vel tertiò pro eadem re, affirmans non nisi regulariter in diebus suis illic episcopum

Flod. Hettone.

Flod. lib. 3. c. 26.

Flod ibid. c. 20.

Flod. ibid. c. 21.

pum ordinandum.

Domno Theoderico ſuis prædicente, coxa frangitur. CAP. XLV.

HVius verò tale factum, quibuſdam qui ſuis prope temporibus fuere referentibus, cognouimus, quòd progrediens ad quendam diœceſis ſuæ iocũ pro ſanctione eccleſiaſtica, cùm adhuc tribus ferè milibus ab vrbe diſtaret, in ſpiritu caſus ſui periculum agnouit, quod comitantibus ſecum intimauit, dicens: Noueritis fratres haut longè periculoſam nobis inſtare ruinam. Cui cùm comitantes, vt locum declinaſſet, monerent, nequaquam inquit, fratres mei voluntatem Dei effugere debemus, qui ideo percutit vt ſanet: idcirco vulnerat vt medeatur. Nec-dum verba compleuerat, & ecce in occurſum eius vir quidam mendicus aduenit. Qui cùm ſe ad ſalutandum Epiſcopum pronior inclinaſſet, mulus cui epiſcopus inſederat, ex ſalutantis motu territus, ſubito in diuerſum reſilijt, & ruentis eliſo crure, apertum campum tenuit. At comites ruentem Epiſcopum excipientes, proprijs vlnis ad vrbem baiularunt.

S. Theodorici præſagamen.

Inau-

Inauditum miraculum ſuper quodam prædone à ſancto Epiſcopo excommunicato.

CAP. XLVI.

POſtea verò vir quidam negotijs militaribus deditus, ſed rapacitatis ſtudijs intentus, poſſeſſiones ſanctæ Mariæ, quæ in territorio Atrebatenſi coniacebant, frequenti incurſione depopulari conſueuerat. Qua de re ſæpe ab Epiſcopo vocatus, cùm maleficij ſui finem dare noluiſſet, Præſul Apoſtolicæ auctoritatis virga feriendam eius rabiem æſtimauit. Semel igitur, bis, & tertiò vocatum, ſed renitentem, excommunicauit. Ille ad augmentum damnationis ſuæ, reatus ſui culpam non ſolùm recognoſcere noluit: verùm ipſam Præſulis excommunicationem furioſius ſpernere, verbiſq; tumentibus reprobare cœpit, & maiorem tyrannidis ſuæ violentiam minari: cùm repente inter furentis blaſphemiam infelix, per * ſecretam naturam fuſis viſceribus, Dei iudicio percuſſus, interijt, ſepultuſq; eſt procul ab vrbe iuxta viam publicam, vbi nec mortuus partem cum fidelibus habere meruiſſet. Porrò manifeſto diuinæ animaduerſionis iudicio, terra quò ſepulturæ locus ambiebatur, tribus

* ſecreta naturæ

per

per circuitum cubitis ab imo ita exarſit, vt ab occultis meatibus incendio emiſſo fatiſceret, & cùm id cernentibus mirum & formidandum eſſet, illud magis ſtupebant, quòd per triennium in agro illo ros aut pluuia non cecidit, nec gramen apparuit. Expleto verò triennio, cùm vir Dei nocte quadam per extaſim in ſublime raperetur, vidit miſerum miro & formidando ſupplicio cruciari, cuius ſorte miſerrima compunctus, mox vt in ſe rediit, ſumptis ſecum quos voluit, ad ſepulturam vſq; peruenit, expoſitoq; conſilio, licet auctoritatem non haberet, ſeruum vnum, qui ei habendis vſibus inhæſerat, cauſas defuncti agere iubet, & vt impoſitum modum pœnitentiæ pro eo ipſe expleret, data ſibi ab epiſcopo pro hac expletione, libertatis optione. Poſtea verò tellus viſa eſt herbidare.

Quòd tempore huius, beati Gaugerici templum inceptum eſt, & eodem anno obijt.

CAP. XLVII.

SVb huius beati Pontificis diebus, anno videlicet incarnationis Domini noſtri IESV CHRISTI DCCC.LXIII. XVI. Kal. Iulij inceptum eſt templum ſancti Gaugerici ædificari, quod poſtea hono-

honorificè conſummatum: ſed tempore quidem Rotradi eiuſdem ſedis, ab ipſo Theoderico tertij epiſcopi, vt in ſequentibus legitur, à Normannis etiam cum ciuitate incenſum eſt. Eodem verò anno, Nonis Auguſti, Theodericus epiſcopus ad remunerationem ſuorum laborum vocatus, diem clauſit, ſepultuſq; eſt in monaſterio ſancti Autberti, ſed tempore † tertij Ottonis Imperat. ſub Fulberto eiuſdem ſedis epiſcopo, tranſlatus eſt in Germaniam, ſicut in ſequentibus legitur.

cap. 59.

† fuit Otto 1.

cap. 77.

Poſt hunc eccleſia à paſtore tribus annis vacauit, Hilduino contra canones inſtituto.

CAP. XLVIII.

POſt huius exceſſum eccleſia Cameracenſium à paſtorali regimine per tres circiter annos vacauit, hac ſcilicet contentione habita inter Hincmarum Archiepiſcopum, & Imperatorem Lotharium. Siquidem Imperator cuidã clerico Guntberto epiſcopij contulit dignitatem, ſed Archiepiſcopus cum ſuis coëpiſcopis, hoc fieri contra ſacros canones aduertens, cum omni auctoritate refragatus eſt, cunctiſq; ipſius eccleſiæ clericis ac militibus ſub anathemate interdixit, ne quis eorum cum adultero paſtore vllũ aſſen-

Contentio de epiſcopatu Cameracenſi.

assensum, aut familiaritatem habere putasset: vlumfructum verò terræ, quod Imperatoris erat, tantummodo commodarent. Quare non diu moratus, inuitus abscessit. Dehinc verò Imperator Tetboldum quendam clericum intromisit, sed similiter ea contentione frustratus, exiuit. Tertiò quoque Hilduinum suum cognatum, sed & suum Capellanũ, ipsi ecclesiæ præficere æstimauit. Sed quia contra legem canonicam erat, Hincmarus quoq; benedictionem cum omni virtute negauit. His ergo ita contendentibus, ecclesia pastorali regimine destituta labefactabatur. Vnde Nicolaus Papa grauiter motus sæpe Lotharium, immò quoque Hincmarum, quasi super id negotij negligentem & incuriosum, directis epistolis succensebat. Hunc itaque litteras huiusmodi ad Nicolaum Papam direxisse reperimus. *Nicolaus j. ep. 63. & 64.* *Flodoard. lib. 3. c. 12.*

Domino vnicè singulariterq; suscipiendo, patrum patri, & summa veneratione honorando, reuerentissimo Papæ Nicolao, Hincmarus nomine, non merito, Remorum episcopus, ac plebis Dei famulus.

In epistola vestræ sanctitatis per Odonem Episcopum Episcopis in regno Lotharij, pro præiudicio Cameracensis ecclesiæ directa, re-

legi

legi vestram auctoritatem sciscitaturam, cuius neglectu eadem ecclesia vltra decimum mensem pastore vacaret. Vnde, vt non negligens à vestro Apostolatu succensear, iudico auctoritati vestræ post directas Hlotha-

Ha sunt Nicol. epist. 63 64. & 65.

rio & Episcopus regni eius, atq; Hilduino, qui eandem ecclesiam inregulariter occupauit, ita vt antè quam ipsas mittere tis epistolas, hactenus præiudicium permanere. Méq; Lotharium Regem, & legatis & litteris, prout potui, sæpe & eousq; inde commonuisse, donec Regys suis litteris mihi respondit: Hilduinum ad vestram auctoritatem suum legatum misisse, & nihil aliter de præfata ecclesia, nisi, vt egerat, disponere debuisse, donec à vobis inde responsum acciperet.

Hilduinus expellitur, Sanctus Iohannes subrogatur. CAP. XLIX.

ITaq; supra dicta contentio inter Imperatorem & Archiepiscopum tam diu processit, donec Imperatore Lothario mortuo, Hilduino expulso, anno Dominicæ incarnationis DCCC. LXVI. Iohannes sanctæ memoriæ Episcopus, à Lothario minore filio Lotharij Imperatoris, præordinante diuina gratia, substituitur. Hic autẽ regia in aula nutritus, cantoris officio

officio fungebatur. Huius enim in superficie sepulturæ tale scriptum constat marmori caraxatum.

Epitaphium B. Ioannis.

Regum magnifica fueram nutritus in aula,
In qua Cantoris nomine functus eram.
Non proprijs meritis, sola pietate tonantis,
Antistes ista factus in vrbe fui.
Quã præstante Deo monui cõtemnere semper
Illecebras mundi, gaudia vera sequi.
Nunc autẽ facto carnisq; animæq; diremptu,
Septima post sexta sabbata perficio.
Donec in aduentu Christi sua mẽbra resumat
Spiritus; octaua iam radiante die.
Qui legis hunc titulũ frater subsiste parũper,
Et dic æternam promerear requiem.

Quod Iohannes ordinationi Bertulfi episcopi interfuit. CAP. L.

HVnc in ordinatione Bertulfi Treuirensis Archiepiscopi venerabilis Hincmarus, cuius paulò antè mẽtionem fecimus, ex iussione Karoli Regis, cum Hincmaro Laudunensi Episcopo, & Odone Beluacensi, ad petitionem Aduentij Mettensis, & Arnulfi Tullensis Episcoporum eiusdem Treuirensis diœceseos, miserat, informans eos quomodo id ritè fieri deberet, canonica Apostolicaq; auctoritate, vt sacris regulis, nulla aut negligentia,

gligentia, aut præsumptione in aliquo discederent.

Plurima scripta Hincmari Archiepiscopi ad Domnum Iohannem.

CAP. LI.

Flodoard. lib. 3. c. 23

HVic, id est domno Iohanni Cameracensi, petenti commendatitias dari sibi Romam proficiscenti litteras, ex nomine domni Hincmari Adriano Papæ offerendas, rescribit: quòd si redditurus obsequium Cæsari, Romam velit ita pergere, vt obsequio Deo debito, Cæsaris contrarium non esset obsequium, Canonicas libenter ei litteras tribueret. Sin autem pro causa Lotharij Regis, quæ inter eum, & ipsius vxorem diu ventilata fuerat, quoniam commendatitias in hac re dare litteras non valebat, reprehensibiles dare non audeat, quia nec debeat: præsertim cùm nuper dominus Adrianus litteras ei suæ auctoritatis per Actardum Namnetẽsem Episcopum miserit, in quibus significauerit, se certamina quæ sedes Apostolica per antecessores suos, Benedictum, & Nicolaum, in hac causa certauerat, sequi; monens eum, vt quod super hoc negotio gestum est, nullatenus eneruari consentiat: intimansq; qualiter excom-

Est Adriani ij. epist. 13.

excommunicata fuerit Waldrada. Addit etiam, quòd ſine conſilio coëpiſcoporum litteras ei dimiſſorias, maximè pro re incerta, dare nequiret. Item de obitu Lotharij, exhortans vt ſine dilatione ad Karolum Regem veniat. Item pro quodam presbytero Cameracenſis parochiæ, qui ſeipſum caſtrauerat, frequenti monitus id agere viſitatione, neſciens quid inde ſacri decernerent canones, cõſiliumq; dat, monens, vt diligenter inueſtigetur quibus ſit modis admiſſum, & interim per indulgentiam presbyter idem maneat in ordine ſuo, donec in prouinciali ſynodo, quid exinde tenendum ſit, inueniatur, quod nec præceptis euangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum reperiatur aduerſum. Item gratiarum referens actiones pro beneficijs ſæpe ſibi abeo impenſis, petens vt requirat ſermonem ſancti Auguſtini de lapſu monachi & viduæ, ac ſibi ad tranſſcribendum mittat, vel tranſſcribi faciat, & ad proximam ſynodum ſibi afferat. Expoſitionem quoq; Bedæ in prouerbijs Salomonis ad eandem ſynodum ſibi deferri petens. Intimat etiam quòd Papa Romanus Karolo Regi, & epiſcopis ipſius regni quædam mandata direxerit, de quibus in ſynodo ſit neceſſe

Carol. Calui.

De presbytero qui ſe caſtrauerat.

tractari. Vnde & Rex Metropolitanis regni sui litteras miserit, præcipiens, vt coëpiscopos suos ad eandem cõuocarent synodum. Item pro parte decimæ quam sibi significatum fuerat ab antiqua regia capella tulisse, & alteri, quam nouiter sacrauerat, addidisse. Quod, quia contra regulas esset, emendare, si sit actum, suadet. Item pro quodam presbytero qui ad sedem Remensem proclamauerat, præiudicium se pati questus ab eodem præsule suo, interdicto sibi cum rebus suis officio quoq; sacerdotali, nec sponte confesso, nec regulariter conuicto, pro tumultu & homicidio perpetrato, vbi interfuerat, & inuitus, arma, defendendo se, sumpserat, hominemque vulnerauerat, non tamen eum qui occisus fuerat. In quibus litteris ostendit ex auctoritate sacra, quid discretionis in huiusmodi sit causa tenendum, & quæ sacrorum canonum sint adhibenda capitula. Scribit ad eundem & alia quædam.

Præceptum super possessiones quas in pago Condrense, Sanctæ Mariæ adquisiuit.

CAP. LII.

Condrensis pagus quomodo

HIc Iohannes possessiones in pago Condrense, sanctæ Dei matris ecclesiæ

cleſiæ à quodam Machario adquiſiuit, cõuentione quidem inter ſe facta huiuſmodi, & ſcripto præcepto. *cuſſeriteccl. Cameracenſ.*

Bene poſsidet ille res in hoc ſæculo, qui de terrenis atq; caducis comparat præmia ſempiterna.

Quapropter nos in Dei nomine Machārius & coniunx mea Gondrada, cogitantes de Dei amore, vel æterna bona retributione, pro animarum noſtrarum remedio, ſeu pro anima domni ac ſenioris noſtri Iohannis Cameracenſium Epiſcopi, aliquas res noſtras, quas ipſe ad hoc faciendum nobis donare dignatus eſt, & quas illi domnus Imperator Lotharius, per ſuam miſericordiam, & per ſuum præceptum in ius proprium dedit, quæ habentur in pago Condroſtinſe, donamus atque transfundimus ad partem eccleſiæ ſanctæ Dei genitricis Mariæ, vbi iam dictus venerabilis Pontifex domnus Iohannes præſidere videtur: hoc eſt in vico Hoia, ſuper fluuium eiuſdem nominis Hoio, eccleſiam in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ, manſum Dominicatum cum caſtitijs, ad quem aſpiciunt de terra arabili buñaria IV. *de ſilua buñ.* CC. *ſunt ibi molendini* II. *In alio loco in villa Haidis, manſum Dominicatum cum caſtitijs, & arboreto ſuper fluuium Scleuum, ad quem aſpiciunt de terra arabili buñ.* XXXIII. *de* Hoio fluuius. & pag. g. a. Bunum. Haidis pagus. Scleuus fl.

prato buñ. IX. *de ſilua buñ.* C. *Manſi ſeruiles* VI, *eſt ibi camba j. In alio loco in villa Bacilla manſum dominicatum cum caſtitijs ſuper Gorbia, ad quem aſpiciunt de terra arabili buñaria* XLVII. *de prato buñ.* III, *de ſilua buñ.* L. *manſi ſeruiles* IV. *eſt ibi camba* I. *In alio loco in villa Halogis ſuper fluuium Pauleia manſos* III. *habentes de terra arabili Buñ.* XXXV. *In alio loco qui dicitur Falmana, in villa Grandicampo manſum dominicatum cum caſticijs, ad quem aſpiciunt de terra arabili buñ.* XXX. *de ſilua buñ.* CC. *manſi ibidem deſeruientes* VIII. *Et in loco nuncupato Gleuo eſt manſus* I. *In alio loco, in villa Harſanium, ſuper fluuium VVenna manſum dominicatum habentem de terra arabili buñ.* XII, *de prato buñ.* II. *de ſilua buñ.* L. *quæ habetur in loco Carcinio, manſos ſeruiles ibidem deſeruientes abſos* IV, *vnus ex illis eſt ſitus in loco Carcinio, alter verò in loco VVadingo, ſuper iam dictum fluuium. Quæ colligunt in ſumma manſi* XXXI, *& inter terram arabilem & prata ad dominicatum pertinentia buñ.* CXL, *& de ſilua buñ.* DC. *& eo amplius, exceptis communijs quæ habentur in loco nuncupato Carcinio, & quicquid ad prædicta loca aſpicit cum omni integritate, & terras cultas & incultas, peruia, vua, diſcaptia, prata, paſcua, ſiluas,*

Bacilla pagus Gorbia fl.

Halogis pagus Pauleia fl.

Falmana Grandicampus pagus.

Gleuo.

Harſanium VVenna fl.

Carcinium

VVadingum.

ſiluas, communias, aquas, aquarumq; decurſus, & mancipia vtriuſq; ſexus, quorum CL. *ſunt. Ea videlicet ratione hæc omnia ſuperius dicta ad partem ſuprà dictæ ſanctæ Dei eccleſiæ Cameracenſis tradimus, vt dum nos aduixerimus, liceat nobis vſu fructuario excolere & poſſidere: & infans, nomine Achildis, quam ipſa coniunx noſtra Gundrada de alio viro peperit, nec non & infantes qui de eadem ipſa coniuge nobis naſcituri ſunt, ſi ſuperſtites nobis fuerint, ſimiliter habeãt, dum aduixerint, vſu fructuario ad excolendum & poſſidendum. Et ſic poſt noſtrum, & noſtrorum infantum de hac luce diſceſſum, hæc omnia cum omni integritate, & emelioratione ad præfatam ſanctæ Dei genitricis eccleſiam Cameracenſem reuertantur. Similiter & in compenſatione huius meriti dedit nobis idem ſenior noſter Iohannes Epiſcopus, per conſenſum ſupra fidelium clericorum Cameracenſium, & laicorum, ex rebus ſanctæ Mariæ Cameracenſis eccleſiæ, villã quæ dicitur Villare, quæ eſt ſita in pago Hagnoenſe, ſuper fluuium Vnctium, vbi habet manſum dominicatum, & de terra arabili ibi aſpiciẽte buñ.* CXII. *de prato buñ.* IV. *de ſilua per æſtimationem inter Villare & loco nuncupato Harilegias buñ.* C. *& eccleſiam vnam In Gentlinio cum eccleſiaſtico manſo habente*

Villare. Vnctius fl. Harilegia Gentlinium.

de terra arabili buñ. XII. *& molendina* II. *In ipſo Villare cũ manſis* II. *& cãbis* II. *Manſos etenim qui ad ſupra dictum mansũ Dominicatum deſeruiunt veſtitos* XII. *& alios qui nuper veſtiti ſunt* XII. *qui nec adhuc integrum poſſunt ſoluere cenſum abſos* XVI: *Manſuras etenim in ipſo Villare* IX. *quæ debent ſolucre ſolidos* VI. *& dicitur* VIII. *& ſunt absi* ..... *In loco nuncupato Grando-villare inter manſuram & terram arabilem buñ.* III. *In alio loco nuncupato Munliaco inter manſuram & terram arabilem buñ.* III. *quæ colligunt in ſumma manſi* XLIIII. *& mancipia vtriuſq; ſexus, quæ ad ipſum Villare aſpiciunt, ſeu quicquid ad prædictum locum cum omnibus appendicijs & integritatibus ſuis pertinet, terras cultas, & incultas, peruia, vua, diſcapia, prata, paſcua, ſiluas, aquas, aquarumq; decurſus. Hæc omnia nobis conceſſit domnus ſenior noſter Iohannes epiſcopus, eo videlicet tenore, vt ſicut ſuperius diximus, dum aduixerimus, † vtrũ & quod dedimus, & quod accepimus poteſtatem habeamus, nec non & ſupra dicta Acheldis, ſeu & cæteri infantes noſtri, qui de iam dicta coniuge mea naſcituri ſunt, ſi ſuperſtites nobis fuerint, ſimiliter dum aduixerint, poteſtatem habeant vſu fructuario excolere & poſſidere, & pro ipſo vſu cenſui-*

Grando-villare.

v. Miniliaco.

Mancipia eccleſiæ.

for. vt cùm

mus

mus annis singulis solidos 11. *vt ipsos, dum aduixerimus, exsoluere faciamus: similiter & nostri infantes, dū aduixerint, exsoluere faciant ad partē supradictæ ecclesiæ Cameracensis, in festiuitate purificationis sanctæ Mariæ. Et si de ipso censu tardi aut negligētes apparuerimus, fidem exinde faciamus, & contra supradictam sacrosanctam Dei ecclesiam hoc componamus, & de ipsis rebus vel mancipijs vllo modo potestatem non habeamus dandi, vel commutandi, aut alienandi, nisi ad saluandum & emeliorandum, dum aduixerimus, & post nostrum & nostrorum infantum de hac luce discessum, hæc omnia supra dicta cum omni integritate & emelioratione ad sanctam Dei ecclesiam Cameracensem reuertantur, si verò, quod futurum esse non credimus, aliquis de heredibus ac proheredibus nostris contra hanc donationem nostram siue precariam venire, aut eam inquietare tentauerit, iram Dei omnipotentis, & sanctæ trinitatis incurrat: & à liminibus sanctæ Dei ecclesiæ alienus existat. Et insuper ad partem fisci auri lib.* x. *argenti* * *pōdo* xxx. *coactus exsoluat. Et hæc donatio pariter cum precaria firma & stabilis permaneat cum stipulatione subnixa. Actum Cameraco ciuitate, ante altare sanctæ Mariæ idibus Aprilis anno Dominicæ incarnationis* DCCC.

g. a. ponda.

DCCC. LXXXV. *indictione* VII. *& anno* XXXV. *regni Domni noſtri Karoli Regis, & in ſucceſſu Lotharij Regis* V. *Ego Iohannes epiſcopus hanc donationem relegi, & propria manu firmaui* ✠ *Signum Macharij & vxoris eius Gundradæ, qui hanc donationem pariter cum precaria fieri vel firmari rogauerunt. Ego Ernaldus indignus presbyter, & manualis notarius, hanc donationem, iubente Domno Iohanne Epiſcopo, ſcripſi.*

Eccleſiam Laubienſem ab inquietudine Karlenſium liberauit. CAP. LIII.

Karlenſium & Lotharienſium diſcordia.

EXcreſcente denique diſcordia inter Karlenſes & Lotharienſes, Eccleſia Laubienſis malè labefactabatur: adeò quippe, vt euerſo penitus loco, famulantes pulſum iri crederentur. Epiſcopus tamen diuino cõſilio vſus, poleticum, quod adhuc in eadem Eccleſia reſeruatur, ſcripſit: & hoc ab Apoſtolica auctoritate, ſed & à conprouincialibus Epiſcopis confirmato, omnes eccleſiæ ipſius peruaſores, à Chriſtianorum ſocietate ſequeſtrans, tali modo eccleſiam à tanto naufragio immunem reliquit.

Quomodo ſeruata ſint monaſteria ab iniurijs inuaſorum.

Hunc

Hunc Hincmarus Laudunenſis epiſcopus in ſynodo ſibi iudicem elegit. CAP. LIV.

HOc verò in ſcriptis Remenſium Epiſcoporum inuenimus, quòd Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus, pro multis culpis, ac prauorum obſcenitate, ab Archiepiſcopo Hincmaro, ſuo auunculo, diſtrictè in conuentu ſynodali impetebatur. Qui itaque ſecundum Africanum concilium, iudices electos expetijt; inter quos etiam dominum Iohannem obtinuit. *Flod. lib 3. c. 22.* *Can. 63. al. 70.*

Sepultus eſt extra monaſterium S. Mariæ in eccleſia ſanctæ Crucis: ſed à Gerardo epiſcopo in monaſterium tranſlatus eſt. CAP. LV.

POſtquam autem ipſe domnus Iohannes dormitionẽ accepit in Chriſto, ſepultus eſt in baſilica quæ erat in * honorem ſanctæ Crucis cõſtructa iuxta monaſterium ſanctæ Mariæ ad auſtralem plagam, ibiq; quieuit vſque ad tempus Gerardi Epiſcopi, qui ei tredecimus in ſedem ſucceſſit. Nimirum prædicta baſilica iam ex parte corruerat: ex quo verò ſtare videbatur, ex vetuſtate ruinam minabatur. Quumque ipſe domnus epiſcopus *a. honore.*

pus prædictum monasterium ampliorari vsq; ad sepulcrum Iohannis Episcopi dispositerat, cõdigna veneratione corpus de sepulcro leuauit, & infra monasterium sepeliuit. Vbi nonnulla postmodum patrata probantur miracula, vbi frigoritici atq; diuersis ægritudinibus occupati veniẽtes, optata merentur sospitate donari.

S. Ioannes episc. miraculis claret.

Contractus homo ad sepulchrum Sancti Iohannis salute donatur. CAP. LVI.

SVper est adhuc homo, VValterus nomine, cui mẽbris * adeptis, languor à puero gressũ, cætera quoq; corporis officia negauerat. Nã marcẽtibus neruis * talares cruribus adhæserant, vt nullo conamine seiungi valerent. Hunc lectulo impositũ mater ad sepulchrũ viri Dei baiulari fecit, ibiq; per aliquot dies orationibus cũ filio perstitit. Superueniente natiuitate sanctæ Mariæ quæ vi. idus Septembris agebatur, inter ipsa matutinalia officia, cùm fortè paululũ obdormisset, vidit, vt ipse adhuc refert, senẽ quẽdã sibi assistere, cuius tactu consolidata sunt crura eius. Hic autẽ per aliquot ãnos ex stipẽdijs ecclesiæ alitus est.

r. adempti

in a. correctum tali.

De puero contracto, sed meritis beati pontificis sospitato. CAP. LVII.

NEc dissimile illud quoq; videtur, quod iterum diuina clementia meritis

ritis ſancti viri contulerit. Quendam namq; puerum, nomine Heribertum, ex familia ſancti Gaugerici viuere adhuc cognoſcimus, quem poſt ſuæ natiuitatis triennium, tanta debilitas cruſculorum, fortè contractis neruis, obrepſerat, vt alio penè triennio, pedum officia non haberet. Vnde mater ſedulò gemens, vnicum vehiculo impoſitum per multa loca ſanctorum deportauit, ſed nullius medicinæ profectum adepta, tandem ante ſepulchrum huius beati Pontificis collocauit. Hunc itaq; non multò poſt, operante diuina clementia, meritis huius ſancti Epiſcopi medelam impetrantibus, ambulantem reduxit. Hoc ergo ſancto viro reſeruari, Dei prouidentia diſpenſante credimus, vt quanti videlicet meriti ſit, fatente quidem ipſo miraculo, apertè videretur. Multi deniq; alij à varijs languoribus curati ſunt.

De Rotrado Epiſcopo. CAP. LVIII.

SAncto verò Iohanni in Epiſcopium Rotradus ſucceſſit. Hic fuit temporibus Arnulfi Imperatoris, quem Auſtrales Franci, videntes quidem Imperatoris Karoli, filij Ludouici Tranſrenenſis vires ad regendum inualidas, eo deiecto, ad imperiale ſolium promouerunt. *Carolus Craſſus. Videatur Sigeb. an. 890.*

Hoc

Hoc præsule Cameracus cum templo Sancti Gaugerici a Nortmannis succenditur.

CAP. LIX.

Nortmannorũ horribilis grassatio.

SVb huius etiam diebus procellæ Nortmannorum per omnem hanc vicinam miserabiliter intonabant, qui anno Dominicæ incarnationis DCCC. LXXXI. V. Kal. Ianu. Cameracum ingressi, incendijs & occisionibus ciuitatem omnem deuastarunt: & ad cumulum furoris, sanctum & venerabile templum sancti Gaugerici incendentes, cum infinita præda ad sua castra reuersi sunt. Iterum verò remeantes circa solemnitatem sancti Petri, vrbem Atrebatum deuenerunt: omnibus quos ibi reperere interfectis, circuita omni terra, ferro, & igne cũcta populantes, ad sua reuertuntur. Inter huius seditionis tempestates vocatus episcopus, diem clausit, tumulatusq; est in ecclesia sancti Autberti.

Sequitur Dodilo Episcopus.

CAP. LX.

POst Rotradum, regendæ ecclesiæ curam Dodilo susciens, anno Domini DCCC. LXXXVII. & XVI. Kalendas Aprilis Episcopus ordinatur. Hic vnam

iuris

iuris sui villam, Buxerias nomine, stipendiarijs fratrum qui in ecclesia beatæ Mariæ famulabantur, delegauit. *Buxerias pagus.*

Multa scripta quæ Fulco Archiepiscopus Dodiloni episcopo, & alijs quibusdam miserit. CAP. LXI.

DE hoc in gestis Remensium Pontificum reperimus, quòd Fulco eiusdem sedis Archiepiscopus, scripta illi miserit pro placitis sibi ab eo datis, ad quæ minimè attenderat, monens & rogans, vt satagat venire ad proximum placitum, vbicunq; Rex Odo fuerit cum Episcopis, quando rem, de qua tunc agebatur, de Hildegarde & Hirmengarde terminare deberent. Accusatores quoq; ipsius Hirmẽgardis, eosq; qui presbyterũ luminibus priuari, ac suspendi iusserunt, cum his omnibus qui eidem infandæ iussioni paruerunt, vel factores huius sceleris extiterunt commoneri faciat, & canonicè conuocari, vt huic conuentui se studeant præsentare. Item pro eadem causa gratias referens, quia deuotè ipsius commonitionem susceperit, & ad constitutam diem paratissimus occurrerit. Illud verò succensere videtur, cur, cùm de negotijs ecclesiasticis ageretur causa, non per clericum *Flod. lib. 4. hist. Rem. c. 6.*

cum, sed per laicalis ordinis hominem sibi mandare voluisset. Ipse verò domnus Fulco, partim senioris seruitio detentus, partim corporeæ incommoditatis molestia præpeditus, iuxta condictum venire nequiuerat. Admonet etiam eum meminisse debere, qualis ipse erga eum quondam extiterit, qualiter sine Rege, sine vllo ipsius parti consulente modis omnibus institerit, vt ad hunc Episcopalem peruenireт honorem, cùm adhuc perfectè notus non esset: ita tamen pro eo egerit, veluti pro fratre carissimo, quia crediderat & credebat in eo simplicem prudentiam, fidem non fictam, firmam & indemutabilem stabilitatem. Sperauerat etiam in omnibus sibi cooperatorem & adiutorem fore. Per illam ergo sinceram dilectionem quam in ipso credebat, eum se dicit monere, mandans vt posthabita omni dilatione, vel occupatione, ad condictum conuentum episcoporum præsens adesse studeat, nulla causa excepta, nisi tantùm infirmitate corporea. Personas etiam præmissas quas per alteram significauerat epistolam commoneri canonicè faciat, vt præparatæ ad solemnem cœtum Episcoporum, die præfixa se satagãt præsentare. Item cum ceteris coëpiscopis,

Didone

Didone ſcilicet Laudunenſi, Hetilone Nouiomenſi, Riculfo Sueſſorum, Herimando Morinenſi, ſcribens huic Præſuli Dodiloni, ſignificat, hos præmiſſos in vrbem Remenſem conueniſſe Præſules, ad tractandum de peruaſione Balduini, de quo ſcripſerat eidē * Dodilo, admonere illum, vt reſipiſceret à prauo temeritatis ſuæ faſtu. Sed quoniā idem præſul reſcripſerat, occurrere eiſdem præſulibus ſe nequiuiſſe, quia ſuum iter Nortmannorū præripuit gladius, ceu de communi conpatitur exitio. Cæterum quod petierat de Balduino, in hoc adquieſcit ei, vt admonendo, exhortando, & increpando ſedulò eum corripiat, vt à ſua corrigatur prauitate, diuinas ei proponens ſanctorum ſententias patrum. Literas etiam eidem Balduino ab ipſorum Epiſcoporum parte dirigi ſignificat. De quibus hortatur, vt ſi fuerit in præſens, ei recitentur: ſi abſens fuerit, per ſuum Archidiaconū ipſi trāſmittat, qui etiam eas illum intelligere faciat. Quod ſi & eum ille nequiuerit adire, literas ipſe publicè coram ſe legi faciat in loco vbi Balduinus religionem peruaſit, & deinceps niſi reſipuerit, non ei vel monachus, vel canonicus, vel quilibet ritè Chriſtianus adiungatur, ſi non ana-

Balduinus Caluus, Comes flandr.

reſt. pro Dodilonè ex Flod.

thematis vinculo implicari voluerit. Si Hetilo quoq; ad ciuitatem Atrabatem venerit, Dodilo illi occurrat, vt de hac re quod agendum est, canonicè peragere possint, & quicquid inde fecerint literis, sibi significet. Hetiloni præsuli litteris mandat, vt proficiscatur cum fidelibus Regis ad Atrabatem, agens pro posse quod in alio scripto agendum sibi reperit significatum. Item pro his quæ à Dodilone Cameracensi patiebatur Episcopo, asserens quomodo pro benefactis ab eo sibi contumelioſa retribuãtur, adsciscensq; hunc sibi testem, qualiter eundem Dodilonem, paterno, simpliciq; benignitatis affectu, ad potiora prouexerat. Sed & quomodo Rodulfus, vir deuotus, abbatiam quandam in huius Hetilonis parochia sitam, Remensi delegauerit ecclesiæ, committens simul eidem corpus beati Calisti Papæ & martyris, quod impetratum à Romana detulerat vrbe. Intimat ergo qualiter precatus sit amicabiliter præfatum Dodilonem ad Atrabatense castellum venire, & inde pignera præfati martyris honorificè leuare, atq; vsq; ad cœnobium sancti Quintini deducere. Hunc etiam Hetilonem expetierat, vt ad ipsum cœnobium occurreret, & tam diu

Cisonium.

Calisti papæ & mart. reliquiæ.

S. Quintini monaster.

cum

cum ſacro comitaretur corpore, donec ipſe Domnus Fulco veniret, & decenter illud excipere, & vſq; ad Remenſem valeret vrbem deducere, vbi tam diu ſeruaretur, quouſq; pace reddita, loco proprio, ipſius Hetilonis parochia ſito, reſtitui poſſet. At Dodilo cùm debuiſſet agere quod petebatur, è contra, filiationis ac fraternitatis poſthabita reuerentia, in medio occurrens viæ, & de manibus geſtantium ſanctum pignus abripiens, apud ſe repoſuit, dicēs non illud ſe cuiquam redditurum, niſi eidem Hetiloni in cuius dinoſcebatur parochia fuiſſe depoſitum: & hoc ipſum nouæ fraudis argumento geſſiſſe, quò valeret præfatū corpus ſacrum cuidam Hucboldo Comiti tradere. Quocirca petijt hunc Hetilonem, vt miſſum ſuum ad eum dirigat, & paterno ac fraterno amore ipſum redarguens corrigat, & in memoriam ei reuocet, quomodo religionis ſolius & fidei, quam in eo fore credebat, intuitu, illum abſq; Regis aut Principis alicuius expectatione, in ſede Pontificali locauerit, moneatq; vt à cœpta temeritate pedem reuocet, ne aliquid hunc eundem Archiepiſcopum contra ſe, quod idem nolit, agere compellat. Hunc quoq; precatur Hetilonem obnixè, ne illi aſſen-

sum in re tali præbeat, sed iustæ parti in omnibus faueat, & thesaurum cælestem Remensi ecclesiæ à præmemorato viro traditum, vrbi ac basilicæ ipsius restitui non solùm consentiat, sed etiam totis viribus adiuuet.

Præceptum quod super res Sanctæ Mariæ ab Arnulfo Rege firmari obtinuit.

CAP. LXII.

DEnique ecclesiam summo labore gubernans multis commoditatibus munire exercuit. Illo etiam petente Arnulfus Rex præceptum immunitatis huiusmodi sanctæ Dei genitricis ecclesiæ scriptum roborauit. *In nomine Domini nostri & saluatoris Iesu Christi, Arnulfus diuina gratia Rex. Cum petitionibus seruorum Dei iustis & rationabilibus, diuini cultus amore, fauemus, superna gratia nos muniri non diffidimus. Proinde nouerit industria seu sagacitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm & futurorum, quia vir venerabilis Dodilo Cameracensis vrbis Episcopus, obtulit obtutibus nostris immunitates beatæ memoriæ antecessorum nostrorum, Regis videlicet Pipini, ac Imperatorum Karoli magni, seu Hludouuici, in quibus continebatur insertum, qualiter prædicti antecessores nostri Reges denominatam sedem,*

v. curauit. Literæ Arnulfi de immunitate ecclesiæ Cameracen.

dem, quæ est in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ semperq; virginis, ob amorem Dei & tranquillitatem fratrum ibidem consistẽtium, semper sub plenissima tuitione, & immunitatis defensione habuissent. Pro firmitate tamen rei postulauit nos præfatus Episcopus Dodilo, vt eorundem Regum auctoritates in amore Dei & reuerentia sanctæ Dei genitricis Mariæ, nostra auctoritate confirmaremus. Quod ita, per interuentum venerabilis Episcopi nostri Salomonis libenter adquieuimus, & ita in omnibus, concessimus, atque per hoc præceptum nostræ auctoritatis roborauimus. Præcipientes ergo iubemus, vt nullus Iudex publicus, vel quislibet ex iudiciaria potestate, in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessionis prædictæ ecclesiæ quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territorijs infra ditionem imperij nostri, iustè & legaliter memorata tenet vel possidet ecclesia, vel ea quæ deinceps à catholicis viris eidem collatæ fuerint ecclesiæ, ad causas exigendas, aut freda, vel mansiones, vel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ tã ingenuos, quàm seruos super terram ipsius commanentes nequaquam distringendos, vel vllas redibitiones, aut inlicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi

audeat, vel ea quæ suprà memorata sunt penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato Præsuli, suisq; successoribus, res prædictæ ecclesiæ, cum cellulis, & rebus, vel hominibus sibi l. galiter subiectis, sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere imperio, atque pro stabilitate nostra, vel totius imperij à Deo nobis collati, vel conseruandi vnâ cum clero & populo sibi subiecto liberè Dei misericordiam exorare, & quicquid exinde fiscus noster exigere poterat, in luminaribus ipsius ecclesiæ concinnanda perpetualiter concessimus ad habendum. Præterea constituimus, ne quis Dux vel Comes, atque Vicarius, seu quislibet ex iudiciaria potestate nostram, vel antecessorum nostrorum Regum auctoritatem violare præsumat. Quod si fecerit causis regalibus sit obnoxius, & insuper solidis DC. culpabilis iudicetur. Videlicet vt duæ partes in archiuum ipsius ecclesiæ admittantur, & tertiam fiscus regalis noster recipiat, vt nullus tale quid audere deinceps præsumat. Quod ita & nos per hanc nostram auctoritatem cõfirmamus, vt sicut à beatæ memoriæ antecessoribus nostris prædictæ ecclesiæ collatum atq; firmatum est; ita & deinceps inuiolabiliter conseruetur. Et vt hæc nostra auctoritas à fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, verius

rius certiusq; credatur, manu propria subter eam firmauimus, & anulo nostro iussimus insigniri. Signum Domni Arnulfi inuictissimi Regis. VVichingus cãcellarius ad vicem Thcotmari archicapellani recognoui. Data VIII. *Idus Iunij anno incarnationis Domini* DCCC. XCIV. *Indictione* XII. *anno* VII. *Domni Arnulfi pijssimi Regis. Actum VVormatiæ in Dei nomine feliciter. Amen.*



Consecrationi Heriuei Remorum Archiepiscopi interfuit. CAP. LXIII.

HIc ordinationi Heriuei Archiepiscopi cum cæteris interfuit, scilicet Riculfo Suessorum Episcopo, Otgario Ambianensi, * Mantione Catalaunensi, Rodulfo Laudunensi, Otfrido Siluanectensi, cæteriſq; diœcesaneis consensum præbentibus, & decretum huius ordinationis corroborantibus. *anno 900.* *r. Mancione.*

Mœnia vrbis Cameracensis ampliauit, ecclesiam B. Mariæ consecrauit, eiq; multa donauit: item consecrauit monasterium Laubiense. CAP. LXIV.

HIc autem extructis muris, mœnia vrbis in tantum ampliauit, vt mo-

Monaſt. S. Autberti olim extra mœnia.

naſterium ſancti Autberti, quod extra erat, infra murorum ambitum cohiberet. Monaſterium etiam Dei genitricis Mariæ ædificatum, Kalendis Auguſti ſolenniter conſecrauit, tabulamq; altaris argenteam, quam noſtris diebus vidimus, ſcyphumque argenteum quem diebus feſtis ſubdiaconi in manibus ferunt, calicem quoque cum alijs ornamentis eccleſiæ fecit. Monaſterium etiam Laubienſe, adhibito ſecum Stephano Leodecenſi Epiſcopo, conſecrauit. Qui inter hæc morte præuentus, diem clauſit, in ipſoq; ſanctæ Mariæ monaſterio, ad Septentrionalem plagam ſepultus eſt.

Stephanus ſequitur, qui in Synodo cũ Iſaac Comite coram Archiepiſcopo patatur.

CAP. LXV.

DOdiloni ſucceſſit Stephanus in ſedem Pontificalem, vir tam eccleſiaſticis quàm ſecularibus diſciplinis ſufficienter inſtructus, qui res eiuſdem ſedis eccleſiæ ampliorauit, & præceptis Regijs confirmauit. Hic interfuit ſynodo quam habuit Seulfus Remorum Archiepiſcopus, ſucceſſor Heriuei, in villa Troſlegio. Cum Epiſcopis Remenſis diœceſeos affuere nonnulli quoque comites.

Synodus in Troſlegio. 924.

In

In qua & Isaac Comes ad satisfactionem venit, pro his quæ prauè perpetrauerat aduersus ecclesiam Cameracẽsem, quoddam castellum Stephani Præsulis eiusdem vrbis, dolosa comprehensum peruasione, succendẽs. Pro quo facinore vadatus in hac synodo, centum libris argenti pacatur cum præfato Stephano Episcopo, satagente Heriberto, & alijs qui aderant Franciæ Comitibus.

Huius obtentu Karolus rex super præbendas fratrum Sanctæ Mariæ hanc immunitatem restaurauit.

CAP. LXVI.

HOc etiam petente, Karolus Rex super præbendas fratrum sanctæ Dei genitricis ecclesiæ præceptum, quod deflagrata ciuitate perierat, renouauit, hoc modo. *In nomine sanctæ & indiuiduæ trinitatis Karolus diuina propitiante clementia Rex Francorum, vir illustris.* *Carolus Simplex.* *Immunitatis eccles. Cameracen. restauratio.*

Quoties vtilitatibus ecclesiarũ, & cõmodis Deo seruientium rationabiliter prouidemus, hoc nobis tam ad corporis quàm animæ salutem, quamq; ad stabilitatem regni totius nobis à Deo collati, & conseruandi prouenire posse, per omnia confidimus. Porrò autem nosse volumus omnium fidelium nostrorum strenui-

*ſtrenuitatem, tùm præſentium, tum quoque futurorum, quòd vir venerabilis Stephanus, ſanctæ Cameracenſis eccleſiæ Præſul, noſtram adiens magnificentiam, ſignificauit nobis, clericos iam dictæ ſedis ſuæ, habere quidem res eiuſdem Epiſcopij ſuo victui delegatas, ſuper quibus etiam regale præceptum, olim largiente Zuentebolcho Rege, habuerant, ſed eadem ciuitate deflagrata, præceptum quoq; voracibus flammis abſumptum eſt. Huius ergo rei negotio, noſtræ pietati ſupplicauit humiliter, quo prioris edicti damnum noſtra inſtauraremus munificentia, quod etiam facere pro Dei amore, ac fratrum inibi Deo famulantium, libenti adquicuimus mente, & ex rebus quas hactenus quoquo ordine, iuſtè & legaliter poſſident, hanc eis auctoritatem innouari pro tutamento iuſſimus. Præcipientes ergo edicimus, quatinus præfatæ clerici eccleſiæ, domos quidem proprias, quas habent in ciuitate, quibuſq; voluerint in congregatione tamen eiuſdem loci, hereditario duntaxat iure, ſiue per venditionem & emptionem, ſeu per commutationem, aut planè per traditionem ſibi inuicem liberè pro voto concedant. Porrò territorium monaſterij quod fuit extra vrbem, pariter & villas ſuis vſibus deputatas, ſcilicet pago quidem Cameracenſi, Carneres; Lis, * Venzenzias,*

Orig. Venzelzeias. Bona eccleſiæ Ca-

Mun-

Muntiniacum, Gualtercurt, Gundreceias: Hainoensi verò comitatu, omnium: † Virmandensi autem, Toriniacum: Porrò Suessonico, Carisiolum, simul cum mancipijs vtriusq; sexus, cum terris cultis & incultis, pratis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, cambis, siluis, & omnibus ad res fratrum prædictas pertinentibus, modo & deinceps in perpetuum tam præsentes, quàm & futuri eius loci successores clerici teneant atque possideant, habentes potestatem iure tantum hereditario ex eis facere quicquid communi decreto per vnanimem consensum iustè delegerint. Sanè, si, quod minimè arbitramur, aliquis huic nostro obuius decreto, quidlibet, aut iniuriam agere nisus fuerit, DC. solidis culpabilis iudicetur, ita vt duæ horum partes eiusdem loci fratribus cedant, & tertiam fiscus recipiat Regis: & insuper quod iniquè molitus est, euindicare nullatenus valeat, vt nemo iam tale quid vsurpare præsumat. Et vt huius edicti auctoritas ineluctabilem perenniter obtineat vigorem, manu eam roborauimus propria, & anuli nostri digna illustratione iussimus ꝯdecorari. Signū Karoli Regis glorioſissimi. Hugo regiæ dignitatis notarius ad vicem Heriuei Archiepiscopi sub-

meraensis diuersis locis.

† S. Quintini.



notauit

notauit. Datum XIII. *Kal. Ianuarij, indictione* XIV. *anno* XVIIII. *regnante Karolo Rege glorioſiſſimo, redintegrante* XIV. *largiore verò hereditate indepta* I. *Actum villa Cruztiaco in Dei nomine feliciter. Amen.*

Præceptum quod rex ſuper abbatias quas cõtulit huic epiſcopo confirmauit.

CAP. LXVII.

Monaſt. Marellia & Criſpiniũ datur epiſcopatui Camerac. ſenſi.

IDem etiam Karolus Rex, Abbatias, Marellias videlicet & Criſpin, obtentu Comitum, quos paulò poſt dicturi ſumus, viro huic conceſſit, & ſuper huius rei negotium præceptum roborauit huiuſmodi. *In nomine ſanctæ & indiuiduæ trinitatis Karolus diuina propitiante clemẽtia Rex Francorum.*

Chriſtianæ conuerſationis religio bipertito videtur regimine ſubſiſtere, Regali vtique & ſacerdotali. Ergo ſacerdotale decet Regijs augmentari ac ſublimari honorum munificentijs, quo regalis diu dignitas reſideat in ſolio regni ſub æquitatis
Pro. 8. *virga, iuxta quod Deus de ſe in ſapientia loquitur. Per me Reges regnant & iudices legum decreta diſcernunt. Hac de cauſa noue-*

rit

rit omnium ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium religioſitas, quia Comites venerabiles Hagano ac Rodulfus noſtram adeuntes ſerenitatem, humiliter expetierunt, vt ſanctæ Cameracenſis eccleſiæ, cui præeſt præſul Stephanus, vir quippe totius regni ſtrenuus, ad ſanctam Dei genitricem Mariam largiremur ſub perpetua ſeculi ſubiectione, in pago Hainoenſe ſuper fluenta Helpræ; abbatiunculam dictam Marellias, vbi iacet ſanctus Humbertus corpore, in eccleſia quæ eſt in honore ſancti Petri dedicata. Nos itaq; illorum cognoſcentes congruam eſſe petitionem, deuotè eandem abbatiunculam cum ſuis omnibus adiacentijs delegamus ad prædictam ſedem ſanctæ Mariæ perpetualiter ibi habendam. Dehinc & venerabilis Comes Sechardus expetijt ipſe, vt in pago præfato Hainou ſuper flumen Hon abbatiunculam dictam Criſpin, vbi iacet ſanctus Landelinus, in eccleſia in honore ſancti Petri dicata, quam abbatiunculam idem dictus Sechardus beneficio habebat, concederemus ſanctæ Mariæ ad præſcriptam ſedem Cameracẽſem, perpetualiter ibi habendã cũ ſuis omnibus adiacentijs, & ita fecimus. Verũ precatu prædictorũ Comitũ permittimus ob remediũ animæ noſtræ, præſcripto antiſtiti Stephano, in locu ſuæ conceſsis eccleſiæ: hoc eſt Marellias, ſeu Criſpin mercatum ſtatuere, & te-

Helpra fl.

S. Humbertus.

Hon fl.

S. Landelinus.

& teloneum inde capere. Et circum istaloca, quantum vnius leugæ tetenderit ſpatium, neque Comes, neque vlla iudiciaria poteſtas, freda exercendi poteſtatem habeat, neque quilibet præſentium vel ſuccedentium, de illis dictis abbatiunculis ſanctæ Mariæ Cameracenſis eccleſiæ tentet facere abſtractionem, ſubreptionem, diuiſionem, refragationem, inquietudinem, contradictionem, præiudicium, violentiam, ſed cum villulis ſuis ac carum continentijs, videlicet eccleſijs, ædificijs, ſiluis, pratis, paſcuis, terris, aquis, aquarumq; decurſibus, farinarijs, piſcationibus, peruijs, vineis, mancipijs deſuper commanentibus, & quicquid ibi in omnibus rebus iuſtè & legaliter appendet, habendum, poſſidendum, ſanctæ Mariæ ad ſuprà dictam ſedem tradimus: faciantq; rectores eius eccleſiæ exinde, quodcunq; ſua, ſuorumq; popoſcerit vtilitas. Vnde hoc præceptum firmitatis induſtria factum, manu firmamus noſtra, ad opus S. Mariæ, & anulo noſtro iuſſimus ſigillari Signum Karoli Regis inclyti. Gauzelinus notator vice Rotgeri Archiepiſcopi, ſummiq; cancellarij recognouit. Datum VI. *idus Septembris, indictione* VIII. *anno* XXVIII. *regnante Karolo Rege glorioſo, redintegrante*



grante XXIII. *largiore verò hereditate indepta* IX. *Actum in palatio Heristallo feliciter. Amen.*

Domnus Stephanus cursu consummato migrauit à seculo.

CAP. LXVIII.

EPiscopus iste ex Alsatio pago natus, ex rebus sui iuris ecclesiam sanctæ Dei genitricis Mariæ, cui ipse, Deo auctore, præerat, hæredem fecit, à Regibus multa obtinuit quæ eidem ecclesiæ contradidit, familiam multam contulit. Res præterea quasdam, quæ in Episcopio subtractæ fuerant ecclesiæ, redintegrari * laborauit. Hic in terra natiuitatis suæ morte præuentus, de qua se ad sedē propriam reportari iussit, clausit diem anno Dominicæ incarnationis DCCCC. XXXIV. III. idus Februarij.

Ditatio ecclesiæ Cameracensis.

r. iuspetrauit.

Subintroducitur Fulbertus Episcopus.

CAP. LIX.

DOmino Stephano Fulbertus succedens, fauentis & suffragantis Gisleberti Ducis obtentu, cathedræ Pontificalis prærogatiuam adeptus est. Hic ex pago Brabatensi, de villa videlicet VVuiluua ortus, vir quidem bonis moribus instructus

Gislebert. dux Lotharingiæ.

VViluua,

ſtructus, ſanctæ Dei eccleſiæ ſedem multis commodis munire ſemper laborauit.

Contentio inter Iſaac ſuperbum Comitem, & Fulbertum Epiſcopum, tamen victore Epiſcopo Comes expellitur.

CAP. LXX.

TVnc temporis Iſaac Comes abbatiunculam beati Humberti, cui, vt paulò ſuperius diximus, Epiſcopum Stephanum Rex Karolus præfecerat, poſſidebat, ipſamq; regiam ac locupletem abbatiam ſanctiſſimi Gaugerici cum omnibus appẽdicijs ſibi beneficiatam de regio iure tenebat, dimidium ſcilicet Cameracæ vrbis caſtellum, cum medietate quoq; publicorum vectigalium, ſimulq; etiam cum altera moneta. Et quia vrbs ſub diuerſitate biremis dominij agebatur, ea ſiquidem naufragante, aliquando rectores ipſi inter ſe ortis ſimultatibus collidebantur. Semper enim inter miniſtros eorum pro rebus exigendis audiebatur confragoſa ſeditio, ſemper excreſcebat violenta atque grauis vtrimq; tumultuatio, quæ paulatim grauiore motu excitata, eouſq; proceſſit, vt in arma plerumq; mouerentur. Hæc itaq; & huiuſmodi Comes magnanimus impatienter accipiens, in iras furibun-

cap. 67.

Comiti abbatiæ in beneficium data.

furibundus præ nimia indignatione excanduit, tantiq; turgoris ceruicem aduersus domnum Pontificem erexit, vt eum quadam die, vnâ cum suis sede relicta mandaret quantocius aufugere, solus videlicet postea totius vrbis indiscretè negotia possessurus. Vnde Præsul perterritus, tamen Dei clementia fisus, tam superbæ iussioni obtemperaturum se esse spopondit. Sed vt tamen probrosus sui profugij pudor populum lateret, vel vsq; in noctem inducias popoſcit. Qui nec difficilè, ita accedit, eò sanè tutior, quia nequaquam eum tanti æstimabat, vt sua iussa auderet eludere. Hoc igitur impetrato, in diuersas partes Episcopus ancipitem animum rapit, quidnam prius in tantis & tam subitis perturbationibus intendere posit, quærit. Nec mora, diuino consilio vsus, omnes amicos atq; fideles infra * induciolam hanc, cum omni studio iussit tacitus conuocari, eorumq; suffragio suæ curæ consuluit. Nam nox illa tanti copiam exercitus ei peperit, vt, Deo volente, versa sententia hostem incautum diluculo extra ciuitatem compelleret, ipseq; cum suis in propria sede cõpos animi resideret. Post hæc verò aliquot diebus interpositis Comes reuersus, col-

rest. pro inductiolã.

Bellum inter epis. & Comitem.

lecta valida manu, resumptis viribus vrbem repetijt, multasq; inquietudines ingerens, Episcopum aliquandiu lacessiuit. Denique iam alternis conflictibus, grauis inter se contentio adoleuit.

Quòd vbi Imperator Otto precibus regis Luduvvici super hostes satisfecit, Cameraci Fulbertum visitauit.

CAP. LXXI.

INterea Gallorum princeps, Hugo videlicet qui dicebatur Magnus, Vuillelmus quoq; Rotomagensium Dux ferocissimus, Regem suum Luduvvicum assidua infestatione impugnabat, diuq; inter se vtrinq; sine intermissione dimicabant. Videns autem Rex non posse se absque aliena ope inimicorum superare sæuitiam, Imperatorem, Ottonem videlicet, Heinrici Regis filium, cuius sororem Gerbergam matrimonio duxit, sibi adiutorem adstringere æstimauit, missisq; oratoribus ad id negotij cum precibus inuitauit. Qui continuò fraternis monitionibus familiariter accinctus, duces suos ac Principes bello parari præcepit, paratisq; viaticis, absque dilatione iuxta precatum castra mouit, sicq; primò Parisium, deinde Rotomagum vsque perueniens,

Lud. Caroli simplicis fil.

Rex Francia inuatur per Imp. Otton. 1.

an 949. Sigeb.

niens, omnes vicinias deuaſtauit, ibiq; ſatis miſerandam peſtem edidit. Exinde verò exhauſtis vltione hoſtibus, cùm repatriare deberet, in ipſo quidem reditu in vrbem Cameracenſium caſtra metari diſpoſuit, viſitaturus quippe, quomodo Domnus Fulbertus Epiſcopus in rebus eccleſiaſticis ſe haberet.

Otto Imperator abbatiam S. Gaugerici epiſcopo confert, & inde præceptum ſubiectum corroborat.

CAP. LXXII.

VBi cùm peruentum eſt, Domnus Epiſcopus quàm familiariter eũ excepit, amiciſq; obſequijs ſumma cum veneratione deſeruiens, de incuſſionibus à Comite prælibato ſibi inrogatis cum ſupplici querimonia proclamauit. Qui cauſis auditis, moleſtias epiſcopo illatas, ſicuti pius, perinde atque epiſcopus ipſe, indoluit, ſuorumq; competenti conſilio vſus, ſecundum legis publicæ iudicium, priuato Comite, Abbatiam ſancti Gaugerici ex integritate ſupradictarum rerũ, vnde videlicet contentio cœperat: ſed & alteram abbatiam, quam ſuprà diximus, ſanctæ Dei eccleſiæ genitricis Mariæ in perpetuum habendas contradidit.

Abbatiæ duæ à laica poteſtate erepta, reddũtur eccl. Cam. c. 67. & 79.

Super quod scripta confirmauit huiusmodi. *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Otto, diuina propitiante clementia Rex. Nouerint omnes fideles nostri, præsentes scilicet & futuri, qualiter pro Dei amore, & sanctæ & intemeratæ semper virginis Mariæ, genitricis eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi, nec non & animæ nostræ salute, interuentu quoq; fidelium nostrorum, scilicet Friduric Archiepiscopi, & dilecti germani nostri Brunonis, & Cuonradi Ducis, atque Herimanni Ducis, & cæterorum fidelium, concedimus à die præsente & hora sanctæ Mariæ ad sedem Cameracensis ecclesiæ, cui venerabilis Fulbertus episcopus, Deo annuente, præsidere videtur, abbatiam sancti Gaugerici omnem ex integro, cum omnibus rebus & possessionibus domi extraq; pertinentibus, sicuti iuris nostri hactenus iustè ac legaliter visa est fuisse, concessa pariter omni publica functione, vel exactione ad iam fatũ sancti monasterij locum pertinente. Vt nullus Comes vel quilibet rei publicæ minister illic potestatem habeat, aut mallum tenendi vel bannum, vel freda exigendi, aut aliquam districtionem faciendi, sed per omnia ita sub potestate sint Episcopi, qui Deo præstante per successionem eidem præfuerit ecclesiæ, deinceps & in perenni tempore, sicuti vsque modò in-*

do iuris fuerunt potestatis nostræ. Et vt hæc nostræ concessionis auctoritas per succedentium curricula temporum inrefragabiliter firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria nostra subtus eam firmauimus, & anuli nostri impressione corrobari præcepimus. Signum Domni Ottonis inuictissimi Regis. Brun cãcellarius, ad vicem Rotberti Archicapellani recognoui. Data II. *Kalendas Maij, anno Dominicæ incarnationis* DCCCC. XLVII. *Indictione* VI. *regnante pio Rege Ottone anno* XIII. *Actum Aquisgrani palatij in domino fæliciter. Amen.* r. Palatio.

Vbi Amulricum Comitem & filiam Isaac quàm matrimonio sibi iuxit, episcopus pro consanguinitate seiunxit.

CAP. LXXIII.

ALter itidem Comes ex pago* Hainou, Amulricus nomine, vir genere nobilissimus, & iuxta sæcularis gloriæ pompam fortunatissimus, filiam Isaac æque Comitis præfati duxit vxorem. Multis autem internoscentibus atque deferentibus, comperiens Fulbertus Episcopus, eos, sponsum videlicet & sponsam, proximæ * cognitionis consanguinitate propinquos, & ideò contra legem copu- r. Hainau. cap. 70. r. cognationis.

latos, facto consilio, canonicè ab inuicem seiunxit, datoq; pœnitentiæ modo, hoc tantùm scelus admissum expiari præcepit. Quod parentes atque amici molestè, sed & dolenter ferentes, modò minarum asperitate episcopum perterrefaciunt, modò tamen precibus & precioſis muneribus conueniunt: quin etiam vberrimas hæreditates sanctæ Dei ecclesiæ promittunt, vt siue scilicet eorum minis coactus, siue promissorum munerum affectatione in aliam sententiam flexus, disiunctos fortasse reconiungeret, inconuulsosque amodo manere permitteret. Huius rei sug-

Episcopi integritas & zelus in dirimendis principum consang. nuptijs.

gestione episcopus commotior factus, quia in ipso timor Domini præponderabat, minas posthabuit, & ne à norma canonicæ legis, pretio emptus, fortè desciſceret, promissa calcauit: immò & iuxta

Ezech. 13.

prophetæ increpationem, nolens animas quæ moriuntur viuificare, precibus eorum minimè adquieuit, sed totius auctoritatis iudicio in perpetuo segregauit. Vnde liquido apparet, quòd nullus turbo minarum à proposito legis mouere valebat eum, nulloq; appetitu munerum sæculariũ captabatur, quomodo hi quos hodie, aut terrore, vel fauore potentioris personæ coactos, aut lucris auaritiæ inhiantes,

hiantes, ausim dicere, ecclesiasticæ institutionis disciplinam malis operibus deprauare sæpe conspicimus.

Quòd Hungari hac vicinia deuastata, ad vrbem vsq; venerunt: quam cùm non possent expugnare, omne suburbium cum templo S. Gaugerici combusserunt.

CAP. LXXIV.

SVb ijsdem diebus Hungari per regiones huius prouinciæ malè sæuiebant, Christianos captiuabant, profanatisque sacris cultibus, ecclesias incendebant. Quo perterritus Fulbertus episcopus, impigrè imminentem ruinam præuidens, vrbem attentiore cura muniri * exercuit, & in monasterium sanctæ Mariæ beatissimum Gaugericum, thesaurum videlicet preciosissimum, recondidit. Præsaga siquidem mente suspicatus, quod mox rei probauit euentus. Nam aliquot post diebus interlapsis, anno videlicet ab incarnatione Domini DCCCC. LIII. VIII. idus Aprilis, ipsi Hungari promptiore impetu bellatoriam disciplinam præferentes, huic vrbi aduolarunt, triduoque immorati, totius generis pestem ediderunt. Siquidem nostris, quia aduersum tot erant pauciss imi, intra tuta murorum re-

Hungarorum per has regiones grassatio.

r. curauit.

ceptis, ſuburbana nullis reſiſtentibus adurunt ædificia, diripiunt ciuium patrimonia, deniq; proſperis ſucceſſibus læti, ſtudia prælij munitionibus vrbis † aduertunt, tentanteſq; irruptionem, noſtris tamen acriter defenſantibus, minimè proficiunt. Itaq; fatigati, non procul ab vrbe fixis tentorijs, in prata videlicet iuxta Scalth fluuium concedebant, quiete, ciboque curandi, poſthac vrbis excidio reuerſuri. Non vſquequaq; tamen noſtri ocioſi fuere, nec inulta ciuitatis omnino paſſi diſpendia. Vbi enim hoſtibus paululum remotis, nepotem regium, cuius nomen excidit, virum videlicet bellicis artibus præditum, cum paucis nouiſſimũ incedere de muris proſpiciunt: mox quidem Odo vir acris conſilij, & mente promptior, ſociorum aliquot audaciores, quibus affectus patriæ ruinæ, contẽptum mortis infuderat, legit, hoſtemq; in compendiario interceptum tramite, ſubito perſequntur. Qui circunfuſus multitudinè, dum cedere pudoris æſtimauit, vtpotè vir animi immodicus, refugientibus ſocijs in prælium ruit, moxq; à latere circumuentus, noſtrorũ tamen diſpendio, * abſciſo capite obtruncatur. Vnde victoriam adepti, caput haſtæ defixum in ſummo

† r. admouent.

Scalth fl.

* f. abſciſſo.

ſummo muro (illis lætum, ſuis miſerabile ſpectaculum) ſuſpenderunt. Audito, Rex Bulgio (ſic enim dicebatur,) furore accenſus, caſum amici miſerabiliter ingenuit, ſolitoq; acerbior nepotis mortem vlciſci geſtiens, vrbem cum ſuis repetijt. Tum verò ſatis acriter illis quidem foris furentibus, iſtis verò intus fortiter reſiſtentibus, vtrimque diu certatur, omniq; genere telorũ decernitur. Illos dolor fraterni capitis pertinaciter accendebat, his amor patriæ, & vltima ſpes audaciam miniſtrabat. Et dum id geritur; merens epiſcopus modò Dei genitricem precibus exagitat, coramque beatiſſimi Gaugerici feretro procumbens, dignetur eſſe defenſor crebro ingeminat, modò verò per propugnacula curſitans, ſuos viritim confortat, & inſtruit, viriliter dimicent, inuincibiles pugnent. Dei enim eſſe contra alienigenas pugnam, illi fururam victoriam. Interea feſſis dum ad interruptionem nihil ſuccederet, ſolucre obſidionem conſultius æſtimarunt, ſuamque fidem veniæ & ſalutis obſidem offerẽtes, iſtam pactionem incertum, dolone, an fide compoſitam prætenderunt, vt ſi videlicet ſibi caput redderetur, ipſi omnem prædam & omnes captiuos, ſed & omnia

Hungari fortiter repulſi à Cameracen.

quæcunque in hac vicinia rapuerant, vsq; ad minimum restituerent, posita deinde pugna pacem composituri. Hi verò magis dolo suspecti, exorata refutant. Quo Hungari amplius & inrationabiliter efferati, incendere templum leuiori negotio arbitrati sunt, murorumq; expugnationem declinantes, ad fastigia templi tela ardentia certatim iaculantur. Ad hoc nostris tandem quædam mentium fuit consternatio, grauisq; præ timore defectio, prævalere hostes, non habere sibi locum defensionis. Sanè illis sine intermissione iaculantibus, iam victor ignis penè inrecuperabiliter tecta teneret, nisi quidam ex clericis, Serraldus nomine, Dei, credo, virtute roboratus, sumpto secum aquæ vasculo citò super templum ascenderet. Qui resticulis nixus, quas desuper trabibus clangorij articiosè innexuit, sparso latice ignem extinguebat, volucriq; studio super culmina cursitans, operam omnem hostium eludebat. Mirabile dictu. Sanè in conspectu aduersariorum discurrens & vulneri patens, sed, quod res ipsa indicat, meritis beatissimæ Dei genitricis, & sancti Gaugerici interuentione protectus, sua opera ab excidio templum eripuit. Hinc animi nostrorum erecti:

diui-

diuinum ſiquidem auxilium ſentientes, formidinem ponunt, ac validioribus animis ad renitendum incumbunt. Itaque hoſtes cùm impoſſibilitatem vincendi vllo modo, cernerent, cum pudore & dolore ab obſidione deſiſtunt; Sed quod in ſuburbio intactum antè reliquerant, cum furore perurunt. Si quos autem bello habiles fortè deprehendiſſent, continuò iugulabant: quod verò neci & igni ſuperfuiſſet, captiuitati reſeruabant. Poſt hæc etiam, quod grauius eſt, & magis lugendum, decoram & venerabilem baſilicam ſancti Gaugerici, vt ſcilicet ſuperbis ædificijs exterius inſignitam, ita etiam interius multis pecunijs rati refertam, facto agmine nitebantur irrumpere: ſed obſtinatiſſimè renitentibus canonicis cum multitudine vulgi, non poterant effectum habere. Vnde quidam incendendum minabantur. Multi verò propter plumbea tecta difficultatem videntes, potius relinquendum æſtimabant. Cedebant ergo tãtæ difficultati, & iam abſcedebant, cùm furioſus quidam ex clericis in clangorio ſedens, in medio ſagittam contorſerat, quo acriter exaſperati, ampliore numero pro vlciſcenda iniuria ad monaſterium refluunt, factoq; diu impetu, tandem irrumpen-

rumpentes, multos, de populo quos intus repererant, sternunt: ex clericis quoque Auffridum, Anselmum, Grinbertum, Theodericum, Gentionem exanimant. Nouissimè verò intra laquearia ignẽ ponentes, venerabile templum, tamen diuturno & difficili negotio, subuerterunt, adeò sanè, vt ambustis sublimis structuræ ædificijs, lamentabile dictu, culmina cũ vasta ruina deuoluerentur, plumblique, quo summa desuper tecta cooperiebãtur, liquefacti, riuus, huc illuc per decliuia quæque decurrens, plateis quidem natantibus, fossas impleret in circuitu. Posthæc, congregatis captiuis, cum infinita præda abscesserunt.

Templum S. Gaugerici, quod ẽtiã adhuc ex ramuros erat, comburitur.

Vbi S. Hermetem pristino loco restituere studuit. CAP. LXXV.

Danorum grassatio de qua supra c. 42.

DAnis quoq; circa istam prouinciam non minus furentibus, & vt liquet ipsas historias legentibus, sanctas Dei casas incendentibus, beatus Hermes martyr Christi, quem Papa Alexander Romæ baptizauit, de Rotnasce villa Brabatense, de monasterio videlicet quod beatus Amandus construxit, ad monasterium villæ Ende, quæ iuxta Aquisgrauum sita est, primò asportatur; deinde verò Coloniam

niam vsque translatus, non pauco ibidem tempore demoratur. Vnde intercedentibus aliquot annorum curriculis inter vtrumque clerum, id est inter Rotnascenses atque Endenses magna exorta est disceptatio. Danis enim remotis, rebusque sanctæ Dei ecclesiæ in prosperitate restitutis, Rotnascenses suum moliuntur referre patronum: Endenses verò vnanimiter refragati, retinere contendunt, vt potè videlicet precioſum thesaurum. Hæc igitur altercatio inter se aliquandiu processit. Rotnascēses autem consilio saniore præuenti, Domnum Fulbertum Pontificem supplicíter adierunt, suæq; deplorationis seriem incultantes, obnixè implorarunt, vt quia de parochia eius translatus fuerat, ibi etiam à violentis extortum sanctum martyrem reportari cum omni labore contenderet. Horum itaq; causam competentem præuidens episcopus, omnimodo laborauit quoad vsque beati martyris glebam ad proprium locū referri coëgit. Pro tanti ergo beneficij recompensatione prædicti fratres, villam quæ ab incolis Neuuehoua nuncupatur, sanctæ matri ecclesiæ Cameracensium libenter contulerunt.

Contentio de reliquijs S. Hermetis.

Neuuehoua datur ecclesiæ Cameracen.

Otto Rex immunitates ſanctæ Mariæ renouans, teloneum huius ciuitatis cum moneta Epiſcopo contulit.

CAP. LXXVI.

Immunitas eccleſ. Cam. renouata & aucta.

PEtente ipſo Pontifice, Otto Imperator auctoritatem immunitatis, quam anteceſſor ſuus Karolus ſuper ſedem Cameracenſium fixit, inrefigendam etiam confirmauit, eiſque inſuper omne teloneum cum moneta ipſius ciuitatis contradens, poſtmodum omnes fiſcalium fūctionum mutilationes, per ſubiectam huiuſmodi teſtamenti paginam, ſequeſtrauit. *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Otto, diuina propitiante clementia, Rex.*

Notent principes rebus eccleſiæ addicti.

Cùm petitionibus ſeruorum Dei iuſtis & rationabilibus, diuini cultus amore fauemus, ſuperna gratia nos muniri nequaquam diffidimus. Proinde nouerit induſtria ſeu ſagacitas omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium, quàm & futurorum quia vir venerabilis Fulbertus Cameracenſis vrbis Epiſcopus, obtulit obtutibus noſtris immunitates beatæ memoriæ anteceſſoris noſtri Karoli, in quibus continebatur inſertum, qualiter prædictus anteceſſor noſter Karolus Rex, nominatam ſedem, quæ eſt in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſemperq; virginis, ob

amorem

Quæstio. 7. *Vtrum Deus possit facere, vt quod factum est, non fuerit factum.*

Videtur quod sic. Quia Deus potest facere quæcunque fieri possunt: sed quæcunque fiunt, fieri possunt: ergo Deus potest facere, vt quæ fiunt, non fiant. Sed quæcunque fiunt, sunt futura: ergo Deus potest facere, vt futura non sint futura. Sed quæcunque sunt futura, sunt præsentia: ergo Deus potest facere, vt præsentia non sint præsentia. Sed quæcunque sunt præsentia, sunt præterita: ergo Deus potest facere, vt præterita non sint præterita. Sed quæcunque sunt præterita, sunt: ergo Deus potest facere, vt quæ sunt, non sint. Sed quæcunque sunt, sunt facta: ergo Deus potest facere, vt facta non sint facta. Sed quæcunque sunt facta

suisq; successoribus res prædictæ ecclesiæ cum cellulis, & rebus, vel hominibus sibi legaliter subiectis, sub immunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere imperio, atq; pro stabilitate nostra, vel totius imperij à Deo nobis collati, vel conseruandi, vnâ cùm clero & populo sibi subiecto, liberè Dei misericordiam exorare, & quicquid exinde fiscus noster exigere poterat in luminaribus ipsius ecclesiæ concinnandis perpetualiter concessimus ad habendum. Insuper nostra largitione concedimus præfato Episcopo & successoribus eius, omne teloneũ cum moneta ciuitatis suæ Camaracensis, eo videlicet tenore, vt nouem partes Episcoporum vsibus deputentur, decima verò pars ad vsus fratrum eiusdem congregationis perpetualiter in eleëmosyna nostra proficiat. Præterea constituimus, ne quis Dux, vel Comes, atque Vicarius, seu quislibet ex iudiciaria potestate nostram, vel antecessorum nostrorum Regum violare præsumat constitutionem. Quod si fecerit, causis regalibus sit obnoxius, & insuper solidis DC. *culpabilis iudicetur. Videlicet vt duæ partes in archiuum ipsius ecclesiæ admittantur, & tertiam fiscus regalis noster recipiat, vt nullus tale quid audere deinceps præsumat. Quod ita & nos per hanc nostram auctoritatem confir-*

Omne vectigal principis datur episcopo, & ius monetæ.

mamus,

mamus, si sint duæ rectæ inæquales, & ab earum majore auferatur minori æqualis, & ab ejus termino ducatur recta ad angulum datum: hæc recta dividet majorem in duo segmenta, quorum alterum minori datæ æquale erit, & alterum ad datum angulum.

Sint duæ rectæ inæquales AB, AC, & ab earum majore AB auferatur minori AC æqualis AD, & ab ejus termino D ducatur recta DE ad datum angulum BDE: dico majorem AB dividi in duo segmenta, quorum alterum AD minori datæ AC æquale erit, & alterum ad datum angulum BDE.

Ducatur enim ab A ad DE recta AE parallela, & ab A ad BE recta AF parallela, & ab F ad AE recta FG parallela: erit ergo FG æqualis AE, & AE æqualis BD, quia AB, AC æquales sunt, & AD, AC æquales; ergo & FG, BD æquales erunt. Quare cum FG, BD æquales sint, & FE communis, erit tota DF æqualis tribus EF, FG, BD. Sed & AD, AC æquales sunt, & AC æqualis EF, quia AE, FG parallelogrammum est; ergo & AD æqualis EF. Quare DF æqualis est tribus AD, BD, FG. Sed DF æqualis est duabus AD,

videlicet atque Autberti corpora, ſibi dari poſtulauit, feliciſſimam ſanè arbitratus ſuam fore Metropolim, ſi tantorum Cõfeſſorum patrocinijs fulciretur. Huius verò petitionem epiſcopus declinare formidans, incertò hæſit: ſed tamen beneficijs, quæ multa iam ei præſtiterat, vt diximus, ne videretur ingratus, ſuæ petitioni effectum promiſit. Qua in re Præſul anxius, in diuerſa parte animum ancipitem flectit, videnſque difficultatem negotij ſiue donet, ſiue neget, vtrũque ſibi fore periculoſum aduertit. Si enim neget, Imperatoris * beneuolentia offenſum iri: ſi verò donet, ſuæ prouinciæ futurã perniciem, vtpote viduatæ patronis, per quos & temporalem meruit ſalutem, & cæleſtem ſperat beatitudinem. Inter hæc medius Pontifex tandem ſibi prouida ratione conſuluit, paucisque ſuorũ, quibus ſecreta credebat, adhibitis, clam duorum ſacerdotum corpora, ſancti videlicet Theoderici Epiſcopi, de quo ſuprà diximus, & alterius cuius nomen excidit, detectis ſepulchris accepit, feretriſque honorificè inuoluta, cum aliquot etiam articulis ſancti Autberti, Imperatori conceſſit. Quod ſi quis latius ſcire deſiderat, librum quem Fulbertus doctor clariſſimus

r. beneuolentiam offendi non dubitat.

cap. 41. & ſeqq.

de

de vita ſancti Autberti, iubente domno Epiſcopo Gerardo, inſcripſerit, legat. Hoc autem abſque Dei pia diſpoſitione contigiſſe non dicam, cùm etiam beatus vir Domini Theodericus hanc remunerationem à domino, & venerationem à populo mereretur, & ne noſtra prouincia ſuis defenſoribus priuaretur; quos etiam, ſi ſubducere vellet, fateor quidem nullo modo poſſet. Quem enim ſenſum ciues habituros exiſtimas, ſi aduocatum ſuum Gaugericum eripi ſibi cernerent, per quem felix ciuitas Cameracus feliciter illuſtrata, nomen ſuum propagauit vbiq; gentium: immò ne ipſi quidem Imperatori, credo, viui cederent.

Quòd in ſynodo apud Engulenheim teſtimonio & auxilio Fulberti Artoldus reſtituitur, & Hugo expellitur.

CAP. LXXVIII.

APud Engulenheim ſynodo congregatæ coram ambobus Regibus, Ottone videlicet & Ludvvico, cum Marino Romanæ ſedis vicario, vnaq; etiam cum multis coëpiſcopis Fulbertus interfuit, vbi ſeries litis pro Epiſcopio Remẽſium inter Artoldum & Hugonem ventilata eſt. Vbi verò cùm ipſe Artoldus, abſente

an. 948.

Synodus Engulenheimenſis ex Flodoard. lib.4.c.35.

ſente quidem Hugone æmulo, coram Regibus, & omnibus qui aderant ſuæ reclamationis querelas protuliſſet, introgreſſus quidam Sigeboldus, præmiſſi Hugonis clericus, attulit literas, quas Roma detulerat, quaſq; iam in alia ſynodo Moſomi propalauerat, aſſerens eaſdem literas ſibi Romæ ab ipſo qui aderat Marino vicario datas. Qui Domnus Marinus proferens literas, quas idem Sigebaldus Romam detulerat, præcepit eas coram ſynodo recitari, in quarum recitatione repertum eſt, prout ipſæ literæ fatebantur: quòd VVido Epiſcopus Sueſſonicus, Hildegarius quoque Beluacenſis, Rodulfus Laudunenſis, Fulbertus Cameracenſis, ceteriq; cuncti Remenſis diœceſeos Epiſcopi, eaſdem literas ad ſedem delegauerint Apoſtolicam pro reſtauratione Hugonis in ſede Remenſi, & expulſione Artoldi. Poſt quarum lectionem exurgens Fulbertus cum præfatis cæteris Præſulibus, qui in eiſdem literis nominabantur, eas literas refutauit: aſtruens quippe eas antea nunquam ſe vidiſſe vel audiſſe, neque in earum delegatione conſenſum præbuiſſe. Cui dum idem clericus contraire non poſſet, licet in eos calumnijs obſtrepens, præcepit Domnus Marinus, ſuggerens vniuer-

vniuerſæ ſynodo, vt ſibi conſilium & rectum iudicium proferrent ſuper huiuſmodi calumniatore, & calumniarum in Epiſcopos delatore. At illi poſtquam delator publicè confutatus eſt falſa detuliſſe, lectis capitulis de huiuſcemodi calumniatoribus, iudicant, & vnanimiter cenſent, eum quo fruebatur honore priuari debere, ac ſecundum Capitulorum tenorem in exilium retrudi. Diaconatus igitur quo fungebatur miniſterio multatus, à conſpectu ſynodi reprobatus abceſſit. Artaldo verò Præſuli, qui omnibus ſe ſynodis præſentabilem fecerat, non refugiens ſynodale iudicium, Epiſcopium Remenſe, iuxta canonum inſtituta, & ſanctorum patrum decreta, omnino retinendum atque diſponendum decernunt, laudant, atque corroborant.

Poſt Fulbertum ſuccedit Berengarius in ſede pontificali.

CAP. LXXIX.

BErengarius hunc in Epiſcopio ſecutus, ſummam regiminis ſumpſit. *an. 956. Flod. in chro.* Vir ſiquidem ex nobili parentela Germaniæ ortus, ſed & Ottonis Imperatoris proximè conſanguineus. Qui quoniam magis ſecularibus quàm eccleſiaſticis ne-

gotijs implicatus, per excellentis proſapiæ ſublimitatem, animum quodam pulſu iactantiæ attollebat; morum & vitæ obpugnationibus, ſumpto officio contrairebat. Hic etiam tantæ feritatis extitiſſe dicitur, vt non modò lingua & natione, ſed etiam moribus populo ſuo barbarus eſſe videretur. Quantò etenim regij generis ei aſpirabat auctoritas; tantò ferocior populum * ſæpe vexabat. Sæpe itaque, partim propter eius animi immoderatam leuitatem; partimque propter ciuium repugnantium ferocitatem atq; inobedientiam, inter ſe difficilis oriebatur ſeditio, aliquando verò intererat inplacabilis cõgreſſio. Quòd autem tantas infeſtationes edebat, quòd tantas inquietudines irrogabat: hoc nimirum non potius Epiſcopi, quàm inſolentijs ſuorum ciuium poſſumus imputare, quos ſemper, præ ferocitate, inobedientes omnibus ſuis epiſcopis audiuimus, atque rebelles exiſtere.

Epiſc. inſolẽs propter generis nobilitatem.

a. omit. ſæpe.

Cameracenſis populus epiſcopis inobediens.

Vbi Principum terrore quos ſecum adducebat, ciues humiliati Epiſcopum receperunt.

CAP. LXXX.

QVodam verò tempore cùm in * Germaniam propter obſequium Cæſaris

a. r. Germania.

Cæſaris profectus, aliquandiu moraretur; interim ciues vna eademq; voluntate collecti, factaque vnanimiter conſpiratione, adeò ſunt inter ſe conſtricti; vt Pontificem reuerſurum, negato ingreſſu ab vrbe excluderent. Qui cùm expletis rebus ſedem Pontificalem repeteret, in ipſo quidem reditu ei innotuit ciuilis conſpiratio. Statim ergo, quia ſuos tam virtute quàm numero aduerſus tanti populi turbam inferiores videbat, cum grãdis ignominiæ probro iter factum remẽſus, Brunonem tunc temporis monarchiam regni ſub fratre tenentem aggreditur, ſuiſque cauſis declamando prolatis, obnixè deprecatur, vt ſuo videlicet iuuamine fultus, ſedem clauſam violenter poſſit irrumpere, debitamque vltionem pro accepta iniuria in populo rebellãte exerere. Nec difficile, copioſo impetrato exercitu, Arnulfum quoque Flandrenſem Comitem adiuit, villamq; Lambras pollicitus, eum ſibi conſocium, immo & adiutorem adhibuit. Ciues verò cum tanto auxilio reuerti comperientes; ſibi conſulere æſtimarunt, longeq; diſſimulatis rebellionis motibus, abſque ſuſpicione veniret, nuncios ablegarũt. Cum ſuis itaque tantùm, cæteris ſiquidem re-

Lambra ab epiſcopo Comiti promiſſa.

uersis, vrbem est absque vlla difficultate regressus.

Comiti Arnulfo Lambras extorsit, & duas villas Coureng & Ferroras ab ecclesia diuulsit.

CAP. LXXXI.

NEc multò post, præ leuitate suæ insolentiæ, præfato Comiti Arnulfo, cuius auxilio vrbem repetijt, villã Lambras, qua eum conduxit, vi reextorsit, minatus sanè, quòd si eam vendicare præsumeret, totas Flãdras ei comburet. Præterea duas villas Coureng & Ferroras ab ecclesia sanctæ Dei matris diuulsit, & cuidam militi beneficiauit.

Lambræ nõ traditæ.

Coureng & Ferroras pagi.

Vbi ciues inuasit, & alios interfecit, alios excæcauit.

CAP. LXXXII.

EVoluto autem aliquo tẽporis interuallo, sibi à populo factæ dehonorationis reminiscens, socia agmina euocauit, ciuesque incautos subita incursione inuasit, palantesque feriendo, vsque ad monasterium sancti Gaugerici persecutus est. Nouum genus spectaculi. Continuò namq; armati limen sanctissimæ ædis absque reuerentiæ modo irrumpentes, a-

lios

lios interfecerunt, alios truncatis manibus & pedibus demembrarunt; quibuſdam verò oculos fodiebant, quibuſdam frontes ferro ardente notabant. Deinde autem lanceas interfectorum & aliorum captas (ſicuti furioſus erat,) carpento ad cumulum imponi præcepit, & ad inſinuandam ſuæ vltionis atque victoriæ põpam, ad prædium ſuum in villam videlicet, cui nomen Betencorth, ſuis familiaribus mittere feſtinauit. *Betẽcorth pagus.*

Quòd nocte à S. Gaugerico percuſſus, obijt. CAP. LXXXIII.

NEc huius Pontificis factum deſino demirari, qui templum beatiſſimi confeſſoris violare non timuit, quem VValterus Caſtellanus tiro inhumaniſſimus, in ſimili negotio noſtris diebus non reuereri neſciuit. Quadã namque die alicundè cum ſuis veniens, duos fratres, Aldonem videlicet & Balduinum, ſibi inimiciſſimos, fortè obuios habuit, moxque caballo, cui inſidebat, calcaribus foſſo, eos inuolans, haſtaque dorſis penè contigua iam iam imminens, iam iam mortem minitans, aduſque radicem montis fugientes perſequitur, diſtantes ſanè à monaſterio forè nouem paſſibus. Videns autem eos

eos effugio ſanctiſſimi tẽpli propinquantes, ſanctumque confeſſorem auxilio geminantes, ſequi vlterius formidauit, tandemq; prorumpens in hac voce, ait: Scitote vos hodie mihi ereptos beati Gaugerici ſuffragio. Si ergo vir multæ immanitatis, ob amorem Dei, & venerationem ſui confeſſoris inimicis parcens, habere tolerantiam didicit; quantò magis Pontifex, vel contemplatione ſacerdotalis officij quo fungebatur, debuerit? Attamen quia tanto ſceleri effugium aut latebram, vel per aliquem pœnitentiæ modum non quæſiuit, dignum ſanè compendium ſupplicij non longo poſt tempore ſoluit. Coloniam namque profectus cùm quadam nocte in lectulo pauſaret, apparuit ei ſemiuigilanti beatus Gaugericus: quippe viſus eum pro admiſſis increpare, baculoq; quem manu geſtabat, poſtmodum grauiter pulſare. Qui mox expergefactus cum graui planctu ingemuit, vocatiſque cubicularijs, viſionem in ordine pãdens, caſum ſui periculi indicauit. Ex qua percuſſione aliquandiu elaborans (certa res eſt) non multò poſt interijt, in baſilica quidem ſancti Gereonis ſepultus. Capellani verò, huius videlicet eccleſiæ clerici, neſcio quibus inſimulationibus temere ſuſpecti,

ſuſpecti, relictis quidem pontificalibus ornamentis, aufugerunt.

Engrannus ſubſtituitur.
CAP. LXXXIV.

POſt huius exceſſum, Engrannus, antè Corbienſis cœnobij ſancti Petri monachus, obtentu Brunonis præfati archipatris, cum quo pro rebus fratrum, quas trans Rhenum procurabat, notitiam & familiaritatem habebat, ad epiſcopale ſolium promouetur. Hic tam eccleſiaſticis quàm ſecularibus diſciplinis ſufficienter inſtructus, mira erga gregem charitate pollebat, omniq́; manſuetudine plenus, tanto ambitu religionis, epiſcopij dignitatem implebat, vt propoſitum monachi nullo modo excedere videretur. Semper namque in eccleſiaſticæ culturæ ſtudio inſudabat, gregemq́; commiſſum exemplo vitæ innocentis, morumq́; bonorum informatione doctrinabat.

Ad conuentum generalem, villam Perronam clamaturus, perrexit, ſuoq́; clerico, quia ſecum præceptum non geſſit, eccleſiam abſtulit. CAP. LXXXV.

HIc etiam proprijs rebus eccleſiam augebat, & ſi qua ſubtraherentur, publico

publico iudicio euindicare, & reſtituere ſatagebat. Siquidem eo tempore Bruno Dux ſiue Archiepiſcopus conuentum generalem, cum multis Principibus & Epiſcopis, apud quandam villam, cuius nomen * non ſubuenit, habuiſſe dicitur, in quo de pace & religione ſanctæ Dei Eccleſiæ, ſtatuq́; regni ſalubriter & competenter tractatum eſt. Vbi etiam Engrannus Epiſcopus ire diſpoſuit, clamaturus videlicet villam ſanctæ Mariæ Perronam, quã Hasbanienſes more beneficiali tenebant: præcepitque widoni ſuo Cancellario, vt chartam eiuſdem villæ, quam in archiuo eccleſiæ repererat, ſecum gereret, vt per hanc apertius certiuſque clamare videretur. Quò cùm perueniens, & ad euoluendam declamationem paratus, chartam Capellano rogaret: nimirum ſe herile præceptum obliuioni tradidiſſe aduertens, ingenti ſtupore diriguit, tandemque ſe oblitum fuiſſe reſpondit. Vnde confuſus Epiſcopus ad ſua remeauit, hocque impatienter ferens, Capellano eccleſiam, quæ eſt in villa Salliaco, abſtulit.

v. modò nõ occurrit.

Perronam Hasbaniẽſes pro beneficio tenent.

Salliacus pagus.

Clauſit

Clauſit diem Engrannus Epiſcopus, ab Hadulfo Nouiomenſium Epiſcopo ſepultus.

CAP. LXXXVI.

DEnique verò cùm monaſterium ſanctæ Mariæ cũ totius ſtudij accinctu ad Occidentalẽ plagã ampliaret, culpis quidẽ ciuium exigentibus, morte præuentus, opus imperfectum reliquit, triennioque eccleſiam moderatus, migrauit ad Chriſtum. Huius funebritati interfuit Hadulfus Nouiomenſis Epiſcopus, qui eum in monaſterio ſanctæ Dei genitricis ad Auſtralem partem honorificè ſepeliuit.

Huic ſuccedit in Epiſcopio Ansbertus, qui in Eccleſia S. Autberti octo Canonicos conſtituit.

CAP. LXXXVII.

SEquitur Ansbertus, vir videlicet literalibus diſciplinis eruditus, qui tunc Atrebatenſis monaſterij æque monachus, atque Cameracenſis eccleſiæ archidiaconus; poſtmodum verò pro rebus ſancti Vedaſti, quas in pago Baduẽſi prouidebat, Imperatori notus, culmen Epiſcopalis cathedræ adeptus eſt. Ille verò proprijs pro oportunitate collatis, quater binos

binos canonicos in ecclesia sancti Autberti deputauit. Hic autem vt antecessores iam diximus, & vt successores posterius dicturi sumus, graues atque multas iniurias ab ipsis suis militibus sustinuit, aduersumque eorum contumacias diu contendit. Ad horum itaque insolentias sopiendas, Arnulfum quendam illustrem Comitem multis beneficijs conductum sibi adsciuit, illoq; adiuuante ceruicatos superans, aliquandiu quieuit. Rexit igitur quinque annis ecclesiam, ad patresq; suos appositus, in ecclesia præfata, sancti videlicet Autberti, honorificè sepelitur.

VViboldus subrogatur, & ludus regularis quem fecit subscribitur.

CAP. LXXXVIII.

SEquitur wiboldus, Nouiomensis ecclesiæ Archidiaconus, vir videlicet tam secularibus quàm ecclesiasticis disciplinis satis imbutus. Iste siquidem clericis aleæ amatoribus regularem ludum artificiosè composuit, quo videlicet in scholis se exercentes, caritate vicia vincere assuescerent, seculareмque & iurgiosam aleam refugerent, quem ludum hoc modo incepit.

Cleros

i. i. i. Karitas, iii.
i. i. ii. Fides, iiii.
i. i. iii. Spes, v.
i. i. iiii. Iustitia, vi.
i. i. v. Prudentia, vii.
i. i. vi. Temperantia, viii.
i. ii. ii. Fortitudo, v.
i. ii. iii. Pax, vi.
i. ii. iiii. Castitas, vii.
i. ii. v. Misericordia, viii.
i. ii. vi. Obedientia, viiii.
i. iii. iii. Timor, vii.
i. iii. iiii. Prouidẽtia, viii.
i. iii. v. Discretio, ix.
i. iii. vi. Perseuerantia, x.
i. iiii. iiii. Bonitas, ix.
i. iiii. v. Modestia, x.
i. iiii. vi. Lõganimitas, xi.
i. v. v. Mansuetudo, xi.
i. v. vi. Benignitas, xii.
i. vi. vi. Sapientia, xiii.
ii. ii. ii. Compunctio, vi.
ii. ii. iii. Gaudium, vii.
ii. ii. iiii. Sobrietas, viii.
ii. ii. v. Delectatio, ix.
ii. ii. vi. Suauitas, x.
ii. iii. iii. Astutia viii.
ii. iii. iiii. Simplicitas, ix.
ii. iii. v. Hospitalitas. x.

Cleros Æolicè Latialiter sors dicitur, hinc cleronomia hereditas, cleronomus heres: inde clerici nũcupantur, cò quòd sint de sorte Domini. Canõ Græcè, Latinè regula. Ab eo Canonici, Regulares nominãtur. Ergo quia idẽ canon (quoniam à perfidis & spe boni carentibus alea reperta, atque prauè vsitata est) vt discordiam, periuria cateraq; vicia, clericos interdicit aleatores fore, opidò condecet, vt relictis vitijs examussim sibi quiq; vir-

ii. iii. vi. Parcitas, xi.
ii. iiii. iiii. Patientia, x.
ii. iiii. v. Zelus, xi.
ii. iiii. vi. Paupertas, xii.
ii. v. v. Lenitas, xii.
ii. v. vi. Virginitas, xiii.
ii. vi. vi. Reuerẽtia, xiiii.
iii. iii. iii. Pietas, viiii.
iii. iii. iiii. Indulgentia, x.
iii. iii. v. Oratio, xi.
iii. iii. vi. Amor, xii.
iii. iiii. iiii. Iudicium, xi.
iii. iiii. v. Vigilantia, xii.
iii. iv. vi. Mortificatio, xiii
iii. v. v. Innocentia, xiii.
iii. v. vi. Contritio, xiiii.
iii. vi. vi. Confessio, xv.
iv. iv. iv. Maturitas, xii.
iv. iv. v. Sollicitudo, xiii.
Mat. 22. iv. iv. vi. Constãtia, xiv.
iv. v. v. Intellectus, xiv.
iv. v. vi. Suspiratio, xv.
iv. vi. vi. Fletus, xvi.
v. v. v. Hilaritas, xv.
v. v. vi. Compassio, xvi.
v. vi. vi. Cõtinẽtia, xvii.
vi. vi. vi. Humilitas, xviii

que virtutes sortiantur. Libet itaque ex eadem qua præfati sumus alea, quendam clericalem, & vt ita dixerimus, regularẽ, non cauillandi aliquem causa, sed exercitandi gratia, comere ludum. Caritatem omnium principatum obtinere virtutum, nemo qui verba euangelij, dicentis: In his duobus vniuersa lex pendet & prophetæ, intelligit, nescit. Vbi ergo tanta profunditas manet, vastam vberrimamq; virtutum propaginẽ de se profert. Itaque ponamus caritatem

ritatem cum ſua multimoda ſubole nominatam, & ſingularis quibuſq; numeros ſortibus tali moderamine congruos aptemus, vt iſto contineri,* quod illa examinare, neque hac ostendi,* quod hic fas ſit, nequeat inuenire. A principali ſiquidem principalis principium initians, perq; binarium ac ceteros vſque ad ſenarium currens, ſuimet eorumq; reuolutione tripartita, viginti ſanctæ matris contineat filias, & in ſapientia limitet. Poſtq; binarius compunctione inchoans, quindecim eiuſdem reuerentiæ, hinc ternarius à principio pietatis decem, exomologeſeos; ſicq; quaternarius à maturitate vi. fletus: ab hilaritate quoque quinarius tres complectens, continentiæ fine claudetur. Senarius verò vltimus, vt primus, ſimplicitate gaudens, cuſtodem virtutum poſſideat humilitatem, quæ ſimul iunctæ quinquaginta ſex fiunt. Et ſi diligentius reſpiciamus, intuebimur, quòd hæc progreſſio numerorum, à ternario ocdenarium ſcandens, ſingulæ ſibi virtutum, virtutes legat. Prima quidem, ſecunda, vltima, & penultima ſingulas. Tertia, & antepenultima, binas. Quæq; intra ipſa ſunt ſimiliter à principio & fine vſque ad quatuor, mediaſq; ſenas iunctæ ternas, quaternas, vel quinas recipiunt virtutes, & vigeſimum primum, in ſeſe inuicem ſemper exprimunt

* a quia.

* a quia.

Interpretatio.

numerum. Sunt igitur III. *quatuor, decem & septem. & decem & octo, qui singulas metiuntur: Caritatem videlicet, fidem, continentiam, & humilitatem: quinq; & sexdecim. qui binas. spem & fortitudinem, fletum & compassionem:* VI. *& sedecim. ternas: Iusticiam, pacem, & compunctionem; confessionem, suspirationem & hilaritatem:* VII. *& quatuordecim. Quaternas: Prudentiam, castitatem, timorem & gaudium: reuerentiam, contritionem, constantiam, & intellectum.* VIII. *& tredecim. V. Temperantiam, misericordiam, prouidentiam, sobrietatem, & astutiam; sapientiam, virginitatem, mortificationem, innocentiam, & sollicitudinem.* IX. *& duodecim. & undecim. & decem. senas discernunt: obedientiam, discretionem, bonitatem, delectationem, simplicitatem, & pietatem, perseuerantiam, modestiam, suauitatem, hospitalitatem, patientiam, scilicet & indulgentiam: longanimitatem, mansuetudinem, parcitatem, zelum, orationem quoque, & iudicium: benignitatem, paupertatem, lenitatem, amorem, vigilantiam vtique, ac maturitatem. Et vt per singula redeamus, cuius per ternarium, nisi sanctificatricis, & in eiusdem redeuntis principij vnitatem, vocabulum signabimus Trinitatis? Quid autem per quaternarium, nisi quatuor Euangelistarum tubas?*

tubas? Hi simul collati illam sanctissimam plenam donis carismatum, septiformem gratiam demonstrant. Septenarius verò bis ductus, & assumpto ternario XVII. *quaternarioq;* XVIII. *Ecce qualiter* III. VI I. *atque* IIII. *in sese redeunt. Possumus etiam decem, decalogi mandatum, quod sub lege quondam, & nūc sub gratia operatur, &* VIII. *octauā, quæ necdum agitur, ætatem ascribere. Sed hæc tria modò amplius decuit commemorare. Ergo clangorem sancti Euangelij tubarum, qui aure cordis sanctam Trinitatem intimo amore diligit., gratiaq; septiformi finetenus tucri cupit, caritatem, in qua vniuersa lex impletur,* Rom 13. *fidem, sine qua impossibile est placere Deo,* Heb. 11. *continentiam, vt abstineat se à vitijs, quò virtutes continere valeat, humilitatem, qua sine qui virtutes congregat, quasi in vento puluerem portat, habere quærat: habita caritatiuè, fideliter, continēter, atque humiliter exercere satagat, vt ad eorum cumulum peruenire queat.* Gregor. hom. 7. in Euang. *Quinario numero quinque sensus coniungere possumus, qui fluiter ductus, & vnitate assumpta in sextum decimum surgit. Si enim hos quinq; per physicam, logicam, & ethicam, castigamus, vt ad vnitatem caritatis, quæ Deus* 1. Ioan. 4. *est, semper redeamus; has profectò virtutes, quæ in duobus numeris insignitæ videntur,*

naturaliter, rationabiliter, moraliterq; possidebimus. Senarius cuius sexta pars, 1. in tertia medietas, III. *quia perfectus est numerus, suis bene constans partibus, perfectio operis ei deputari potest. His igitur sibi replicatis, ternario addito,* XV. *facit. Simus ergo perfecti operibus bonæ actionis, & nitamur conscendere* XV. *Psalmographi gradus, vt sanctam Trinitatem in Sion cernere mereamur, & horum procul dubio numerorum expertes virtutum non erimus. Adest iterum* VII. *gratia spirituali refertus,* XIV. *depromens per binarium. Eundem itaq; precemur spiritum, vt per Practicā nobis ad Theoricam vitam peruenire largiatur, quatenus virtutibus eius ascisci mereamur. Sed quia supra retulimus, octauam ætatem, de qua titulus psalmi* VI. *inquit: In finem pro octaua, octenario posse conferri, sicut decem inferius affore rebamur: huic vtique si addantur* V. XIII. *explicabunt. Bene etiam quinq; sensus octauæ vitæ supponuntur, quia non solùm hæc, nisi voluptuosus eorum appetitus, chamo & fræno spiritualis modo disciplinæ coerceatur: sed nec ea quæ ab Abel singularum datione stolarum, donec iustitia conuertatur in iudicium, sanctiq; in terra duplicia possideant, agitur, meretur. Nunc autem* IX. X. XI. *&* XII. *supremi remanent. Quorum primus nouem cælicolarum ordinibus, secun-*

Psal. 83.

Apoc. 6.
Psal. 93.
Isa. 40.

ſicut & in præfato ſolet ludo, numeri qui ſupputandi ſunt, prout ſors dictauerit, ſuo ſemper ordine requirantur. Y verò ſextam Achiuamq́ vocalem, (non ſolùm, quòd modò eadem minimè indigemus lingua, & noſtratum regulas orthographorum ad plenum non obſeruamus, ſed quia compendioſè operis ſtudemus, vulgariterq́ noſtri ridiculum exercere) prætermiſimus. Cæterum conſonantes, quoniã ſedecim in alphabeto remanent excepta q, quam Grammatici ſuperuacuam nominant, quamq́ ideo non annumeraüimus, quia ex currente ſibi ſocia, videlicet u. ſine qua vim litteræ amittit, perfacilè hic cõprehendi poteſt, & ſeptenus decimus numerus adperagẽdũ quod volebamus, quaſi emboliſmus videbatur. Igitur ſicut vocales tetragonis, ita conſonantes vni tantummodo trigonæ pyramidi, quæ quatuor ſuperficies haberet, inſerere oportet, ita.



Quæ tamen tali lege tenebitur, vt ſi vel vna inferiorum eius conſonãtium in nomine virtutis, quæ vocales ſecreuit, reperta fuerit,

ſanus, nec cum eodem ſe coniungitur, ſed
ſeparatim ſuum ſolum ambit. Quod ſi
quis ſuperiorem ſolum, quem ſupra ſcri-
ptum eſt, ſuperare cum eodem, cum ſit
ſeparatim ſuum ſolum ambiens, ſe
coniungat, ſi ea pariter duarum
rum, ſi duarum ſuperficierum, ſi
ſolum, ſuperficies coniungitur, ſed nullum
ſolidum continet, ſolidum continebit
nullum. Quod erat demonſtrandum. Ex hoc
11. 12.

quæ gemina est, si oportuerit, pro duabus computetur virtutibus, quæ etiam ob vnius tantummodo litteræ eclypsin, i, & a. bina post primam examinetur proiectione, quod de cæteris omnimodis fieri inhibemus. Et vsque ad horam illius diei sextam, eminentiores, inferiores sui discipulos vocantes, suadere debebunt, vt virtutes quæ eis sorte desunt, bonis moribus satagant impetrare. Inferiores quoque niati tesseræ cognoscentes, ac velut sibi prælatis ..... pædagogis, non aliter eos nuncupare audeant, quam magistros. At si contigerit, vt neuter neutrum superare queat, omnes æquanimiter vtriq; in alterutrum possidentes virtutes, vna semper sint caritate concordes, & fraterno gratulẽtur nomine. Potest idem & alio modo efficacior libentiorq; fortasse aliquibus fieri, quo quisq; proiectis tribus tantummodo tesseris, non ad vim elementorum, sed ad summam simul collatam respiciens, quotquot tali reperit, vt prælibatum est, numero redimitas, gloriabitur se possidere virtutes.

Alius ludẽdi modus compendiosior.

Hæc taliter tibi lector proponimus, vt si quid stylus exigit, vtiliter annectas, aut corrigendo detrahas, nihil tamen blasphemiæ inferas: & si laudare nolueris, ne disperdas. Quòd si ludus vilescit, aut animo tædiũ gignit, saltẽ numerorum vtilis coaptatio, virtutũq; diligibilis inquisitio, nec ociosa exer-

citatio mentẽ ad eũ conuertant, vt collatione numerorũ exerciteris, virtutũq; cumulo gratuleris. In quibus adquirẽdis, si vincas, non elationem: si vincaris, non habebis confusionem. Si enim minus adeptus fueris, obediẽs, si plus, obedientem debes esse diligens. Omnibus has in Christo virtutes sectantibus, actu & moribus recolentibus, sit gratia & pax in æternum. Amen.*

* r. obediẽte.

Onoma dactilicis actoris quæritur ipsis
Si numeris? primũ faciunt, apicẽq; secundũ,
Octauumq; decem bis ducti. sicq; nouenis
Tertius ingeritur, quartus hinc esse duobus,
Quattuor & denis quintº, mox deniq; sextº,
Vndenis legitur, bis binis septimus, atque
Limitat in numeris ter senis vltimus ordo.
Quîs simul illatis Theorica summa sacratur
Virginitas animæ, mandataq; dena refulgẽt.
Quæ qui custodit cæli sibi gaudia sistit.

Admonet hic ludus tabulatũ pergere clerum,
Nomina virtutum condere quò valeant.

Vbi primores Cameracensium VViboldum sibi dari Episcopum à rege petierunt.

CAP. LXXXIX.

HVnc primores Cameracensium (ex his enim originis claram propaginem trahebat) vna eademque voluntate acclamant, directisque Imperatori epi-

epiſtolis, cum multo fauore ſibi donari Epiſcopum expoſtulant. Nec difficilè Imperator, comperta bona opinione illius, mox precibus eorum voluntario affectu adquieuit, aſſenſumque tribuens, eorum legationem libenter impleuit.

Italiam pergit ad Regem pro dono Epiſcopij: ſed æſtiuo itinere fatigatus, poſtquã reuerſus eſt, non multo poſt obijt.

CAP. XC.

addidi de. STatim ergo VViboldus * de conſenſu Imperatoris certior factus, pulſantibus etiam præfatæ vrbis primatibus, ad Imperatorem, qui tunc temporis in partibus Italiæ morabatur, ad tantũ munus ſuſcipiendum ire feſtinat. Erat autem æſtiuum tempus, quod ei maximè ipſo in itinere abitus & reditus obfuerat. Nam cùm dignitatis tanto munere ſuſcepto rediret, adeo quippe æſtu torrente fatigatus eſt, vt cùm ad eccleſiam vſq; * perueneriſſet. Campanæ ab epiſc. pulſandæ. uenerit, vix campanam, cuius tintinabulo Epiſcopij dignitatem vendicãdam ſibi indicare deberet, vix inquam, præ moleſtia ægritudinis, mouere potuerit. Textum verò Euangelicum auro & lapidibus pulchrè inſignitum, ſed & multos codices, quos ſecum attulit, eccleſiæ Dei matris

matris conceſſit, Qui poſtea in ipſa valetudine in tantum laborauit, vt vix vnius anni curriculo rexerit Eccleſiam, migranſque à ſæculo, in eadem baſilica ſanctæ Mariæ ad Meridianam plagam tumulatur.

Precibus Rotberti monachi reiectis, Tetdo epiſcopus ſubrogatur.

CAP. XCI.

ILlo autem diem ſuæ dormitionis cum patribus ſortito, quidam Rotbertus nomine, monachus in villa Solemia, quæ ab vrbe hac octo milibus diſtat, res ſancti Dionyſij procurabat. Qui depoſitionem Epiſcopi audiens, honore, quidem ſæculari captus, primates ciuitatis pretio conueniendos æſtimauit, & vt illum communi ſuffragio Epiſcopum ſibi ab Imperatore fieri poſtularent, magna largitus eis munera, multò maiora ſpopondit. Qui ſtatim oberati, legationem Imperatori miſerunt, & vt ſibi quem legerunt Pontificem, ipſe etiam conſentiēs dignetur concedere, rogauerunt. Videns verò Imperator, quòd quia antea VViboldum ſecundum ſuam electionem facili aſſenſu eorum precibus attribuit, ideo etiam admittendi Epiſcopum facultatem

ſuo

ſuo vellẽt fortaſſe arbitrio reſeruari, cùm omni profectò refragatione eorum legationi effectum impartire negauit. Verùm quidem altiore conſilio præuentus, Tetdonem ſacris moribus ſtrenuum, nõ modicè litteratum, primis atque maioribus Saxoniæ progenitum, Colonienſis eccleſiæ ſancti Seuerini Præpoſitum, licet renitentem, quia prauos mores & ferocitatem audierat Cameracenſium, competenter tamen ad paſtoralis regiminis ſublimauit officium. Ordinatione itaque peracta, vir Dei venerabilis, compoſitis neceſſarijs rebus, ſanè gregem commiſſum viſitaturus, ad ſedem ſibi conceſſam deuenit. Sed vix ſermone poterit explicari, quot poſtea iniurias, quot contumelias, quot etiam aduerſitates à ſuis perpeſſus eſt.

Cameracenſes ciues feroces.

De iniurijs quas Epiſcopus à militibus ſuis ſuſtinuit.

CAP. XCII.

SVb eodem namque tempore erat vir quidam, Iohannes nomine, potens, tam Cameracenſium, quàm Vermandenſium genere, qui maior *dominatu cæteris præſtabat in vrbe ſub Pontificali auctoritate. Sed quò maior cæteris atque potentior,

t. dominatu.

tior, tantò peior Pontifici atque ferocior. Porrò vt de reliquis taceam, vir Dei præsul venerabilis lapidum congestiones & calcem, omnem quoque materiam parauerat, vnde ecclesiam beatæ Dei genitricis Mariæ amplificare disposuerat. Sed inter agendum, exigente rei necessitate, ad Imperatorem profectus est. Vbi verò dū moraretur, interim prædictus Castellanus ipsos materiales cumulos sibi conuehi fecit, & ex his domum cum summo ædificio in eodem castro fundari. Hoc vbi factum reuerso Pontifici nuntiatur, altius ingemuit, diuinamque clementiam diutina lamentatione, ad vlciscendam tantæ temeritatis audaciam excitauit. Nec multo post, coacto copiosi exercitus auxilio, exterminauit eum ab vrbis confinio. Qui fugiens in pagum Vermandensem, in castrum videlicet sancti Quintini, amicis quidem & cognatis suffragantibus, sub Alberto Comite aliquandiu receptatur, ibique rogato auxilio, tantam satellitum copiam sibi coniunxit, vt aliquando occultis insidijs huc de improuiso erumpēs, villas huius viciniæ misera populatione vastaret. Vnde Pontifex plerumque exterritus, quonam modo tantæ immanitatis latronem reprimere posset, diuersæ moti-

Bellum episcopi cū impi Castellano.

motibus meditationis excitatur. Hæc illum cogitantem, VValterus quidam Lenensis castri vasallus, iuxta eminentiam sæcularis potentiæ clarus, sed versutia & calliditate ingenij plenus, factionum stipamine circumuenit, pollicitus sanè, quòd si filio suo æquiuoco quicquid Iohannes tenebat, beneficiauerit, eumque, vice Iohannis, adsciscere voluerit, totis viribus vrbem constanter aduersum impetum illius tyrãnidis defensaret, ipsumque frequenti expugnatione deuinceret. Quare lætus Episcopus illum recepit, sed & quod rogabat absque difficultate ei cõtradidit. Qui tamen postea verbis prædictæ promissionis fidem derogans, non tãtum Episcopum nõ *iuuauit, sed etiam priore molestior, plures & diuersas iniurias aduersum Pontificem & successores eius exercuit. Iohannes verò possessiones suas alieno herede peruasas ingemiscens, asperior factus, non antè *compescuit, donec Episcopus crebra infestatione coactus, tantundem penè beneficij ei restituit.

VValteri Lenensis impostura.

v. iuuit.

v. cessauit quàm.

De obitu Ottonis Imperatoris, & de successione filij sui Ottonis. CAP. XCIII.

Mors Ottonis I.

EOdem tempore Otto Imperator sanctissimus, tutor fidissimus, norma iustitiæ,

sticiæ, cultor deuotus Ecclesiæ, spes pacis, amator religionis, prouectus ætate, plenusq; dierum, feliciter migrauit ad Christum. Post cuius excessum Otto filius suus glorioſissimus, licet primæuo flore tirunculus, tamen consilio bonus, bello strennuus, & vt paucis concludam, patris tam & moribus, quàm nomine imitator simillimus, habenas imperij moderandas suscepit. Sed quia iunior erat, Hēricus Dux Baioariorum cum totis, sed præsumptis renisibus, contra * se cerui-cem erexit, dedignatus scilicet eius imperio subiugari. Vnde aliquanto temporis interuallo inter se contentio vsque ad bellum processit, sed nec longo post, vt posterius dicam, illo ad deditionis iugum reflexo, facta pace, concordia intercessit.

sanctiſſ. Imp. an. 937. Sigeb. Baron. & alij.

Otto ij. Imp.

r. eum.

cap. 94.

De rabie Raineri & Lantberti contra Imperatorem.

CAP. XCIV.

AVdita igitur longè lateque morte Imperatoris, Rainerus atque Lantbertus, filij videlicet Raineri, quem viuente adhuc Imperatore Archiepiscopus Bruno, qui sub fratre monarchiam tenebat, pro insolentijs, pro rapinis, pro ecclesiæ

cleſiæ * incuſſionibus, pro multis etiam ſceleribus ſæpe arguendo corrigebat, ſæpe beneficijs eius ſæuitiam placando, leniebat: ſed cùm tamen eius feritatem ſiriatico turgore inflatam nullo modo præmere potuerit; in exilio tandem perpetuo damnatum, fratri contradidit, terramque * ſuam primùm Richario nobili viro, ſed hoc defuncto, VVarnero & Raynaldo, quibus etiam defunctis, Godefrido atque Arnulfo Comitibus nobiliſſimis contulit, filioſq; eius præfatos à patrijs finibus pro eiſdem inſolentijs eliminauit: illi inquam audita morte Imperatoris, reuocantibus quidem quibuſdam ſceleroſis, pacem odio habentibus, filijs videlicet Belial, patrios fines regreſſi, terram patris violenter volentes repetere, ſuper Hagnam fluuium, caſtrum Buſſud munierunt, ibiq; ſatis & ſuper, dum licuit, ſæuierunt. Hoc autem iuuenis Imperator audiens, collecto exercitu caſtellum obſidione clauſit, diruit, captoſque rebelles in exilium miſit. Ad hanc etiam obſidionem Tietdo Epiſcopus interfuit. His ita geſtis præfatũ Ducem * Baiuuariorum, illi, vt diximus, reſiſtentem, cum ſuis adiens inuaſit, ſed, Domino volente, citiſſimè victum, &

r. commiſſionibus.

Id factum fuerat 959 Sigeb.

r. eius.

Hagna fl. Buſſud caſtrum.

anno 974.

r. Baioariorum.

975.

ad

ad deditionem paratum, Imperio ſubiugauit.

Vbi ijdem rapinatores contra fideles Imperatoris in prælio congreſſi terga verterunt.

CAP. XCV.

INterea verò prædicti fratres Rainerus & Lantbertus coacti inopia, moreſq; patrios imitantes, rapinis inſiſtebant, quietemque publicam interpolantes, minus potentes vtcumque vexabant. Denique in partes Karlenſium concedentes, Karolum Regis Lotharij fratrem prauis moribus deditum, pariterque Ottonem Alberti Vermandenſium Comitis filium, cum alijs quoque multis raptoribus ſuo auxilio adſciuerunt. Suam quippe callidè deplorantes ærumnam, ſe videlicet exheredes, & exutos patrimonijs, factos extorres paternæ habitationis, terram in qua nati ſint ſibi negari; ad vlciſcendam ergo iniuriam ſocia arma precari. His ergo fulcientibus atque comitantibus, reformatis quidem bellicis vſibus, ad Montem caſtrum properato contendunt, ibique anno Dominicæ incarnationis DCCCC. LXXVI. ſuper fideles Imperatoris, Comites, videlicet Godefridum atq; Arnulfum, facto impetu, irruerunt. Illi

Karlenſiũ & Lotharienſium factio.

Montenſis conflictus de quo Sigeb. & Meyr. eodem anno.

tamen non minore ſpiritu excitati, ſuis quos præſentes habebant coactis, extra munitionem emergunt, præruptoq; periculo ſeſe offerentes, inexpectato omni, niſi Dei tantùm auxilio, manus conſerunt, diuque vtrinque certato, tamen fructu victoriæ potiũtur. His ad ſua receptis, nec longum, Otto prædium illud Gogicum, quia ſibi eſſet contiguum, Arnulfo, præſumpta vendicatione, eripuit, ibique caſtello munito, vrbem hanc, quia nec longè diſtat, frequenti incurſione concitauit.

Comites Victores.

Rex Karlenſium Lotharius Imperatorem Ottonem incautum inuadit, & ideo Otto collecto agmine regnum ipſius deuaſtauit.

CAP. XCVI.

POſt hæc autem Imperator, iam pacato regno, & omnibus ſibi ante reſiſtentibus virtute ſedatis, quietus & cum proſperitate quæ Dei ſunt tractans, apud palatium Aquiſgrani, circa feſtiuitatem ſancti Iohannis morabatur; cùm repente Lotharius Rex Karlenſium, nepos videlicet ſuus, illum volens priuare imperio, occulta expeditione adeo incautum parauit

Sigebertus an. 978.

rauit inuadere; vt pridie antequam præoccuparetur, posset resciscere. Qui quoniã huius rei improuidus, putabat se non habere in præsens ad renitendum copiam, mouens se à loco, cum omni secessit familia Coloniam: sanè arbitratus se oportere quidem ad tempus cedere, vt postmodum ex industria, potiùs posset resistere. Cùm autem Rex Lotharius illuc perueniens, suis quidem dispositionibus elusis, illum minimè offenderet, ibique, Gallis bacchantibus atque latrocinantibus, multa populatione satis desæuisset, illi nimirum reuertenti Otto legationem dirigere festinauit, apertè videlicet denuncians, quòd propter vltionem suæ tantæ perfidiæ nullos ei dolos aut insidias innecteret, non fraude subriperet, sed sublatis omnibus fraudulentijs, Kalendis Octobribus ad debilitandum sui regni imperium procederet. Interea itaq; Imperator suæ terræ Duces & Principes bello accinctos conuocari præcepit, vocatisque, * omnis rei causam cũ grauitate proclamationis intimãs, expeditionẽ super Lothariũ ducere destinauit. Ad cuius exhortationẽ cuncti animos flectũt, indignãtesq; sibi factũ dedecus, omnes vnanimiter, quasi vir vnus, inuicẽ cõspirationẽ

* totius.

faciunt, & pro fidelitate patris, qui eos familiariter enutriuit, vsque ad exitum vitæ sese deseruitum ire promittunt. His ergo ascitis atque coactis, tantæ copiæ exercitum mouit, vt nemo tãtam postea, vel antè, se vidisse meminisse potuerit. Et ne sua præmissa legatio Regem Lotharium fallat, præscripta quidem die in regnum eius peruenit, prosperisque vsus successibus, primò Remensium, deinde Laudunensium, sed & Suessionensium, nouissimè verò partes Parisiorum diuersa peste vastauit. Paternis tamen moribus instructus, ecclesias obseruauit, immò etiam opulentis muneribus ditare potius æstimauit. Deinde verò ad pompandam victoriæ suæ gloriam, Hugoni qui Parisius residebat, per legationem denunciãs, quòd in tantam sublimitatem alleluia faceret ei decantari, in quanta non audierit; accitis quàm pluribus clericis, alleluia. Te martyrum; in loco qui dicitur Mons Martyrum, in tantum elatis vocibus decantari præcepit, vt attonitis auribus ipse Hugo, & omnis Parisiorũ plebs miraretur.

Hugo Capetus.

Alleluia in monte martyrum.

Gal. Mont marte, ou Monmartre.

Vbi

Vbi Lotharius Ottonem insequitur, sed Axona fluuio intercurrente, pugna differtur.

CAP. XCVII.

QVi cùm satis exhausta vltione cõgruam vicissitudinem se rependisse putaret, ad hiberna oportere se concedere ratus, inde simul reuocato equitatu, circa festiuitatem sancti Andreæ, iam hyeme subeunte, reditum disposuit, remensoque itinere, bono successu gestarum rerum gaudens, super Axonam fluuium castra metari præcepit. Sed tamen quia iste fluuius, si quando imbres incũbant, in tantum excrescere solet, vt absq; nauigio effretari non possit, suggerente atque exhortante Comite Godefrido, ne quid videlicet impedimenti tantæ copiæ militum in difficili transitu contingeret, præterlegere festinauit, paucis tamen famulorum remanentibus, qui retrogradientes (nam sarcinas bellicæ supellectilis conuectabant) præ fatigatione oneris, tenebris siquidem iam noctis incumbentibus, transitum in crastino differre arbitrati sunt. Sequenti verò die, collectis quos potuit, Lotharius licet inferior numero, ex pudoris tamen conscientia præ-

sumptionem colligens, occultè vsque ad prædictum fluuium hostes prosequitur, cuius improuiso impetu ipsi rei bellicæ portatores perterriti, dum sibi natatu cõsulere æstimarent, subitò excrescentibus vndis, lapsis viribus mortui dimergũtur. Ipsa etenim nocte intantum excreuit alueolus, vt difficultate importuosi littoris, neuter alteri manum conferre potuerit. Hoc ita sanè crédo Dei voluntate disposito, ne strages innumerabilis ederetur vtrimque. Licet enim inferior Lotharius, vt ferunt, sese certamini miscuisset, cepit tamen iumenta, comminuit vehicula, quæ magis oneri quàm vsui in periculis habebantur. Parata verò nauicula, per internuncios Otto Lothario mandat, vt si ei dimicandi sedulitas suppeteret: aut ille profectò sumptis obsidibus, ne fortè videlicet aliqua suorum parte transacta, pluribus verò transigendis dolo iter intercludendum suspicaretur, pugnatum transire festinaret: aut econtra ipse ab eo sumptis quoque obsidibus, remenso fluuio, aduersus illum remearet, commissaq; inuicem pugna, cui Deus annueret laureatus regni Imperio potiretur. Hoc audito, Comes quidã * Goisfridus nomine, prorumpens in voce, ait. Quid tot ab

r. Goffridus.

vtraque

vtraque parte cædentur? Veniant ambo Reges in vnum tantummodo, nobisque procul spectantibus, summam periculi soli subeuntes, vnà conferantur, vnoque fuso cæteri reseruati victori subijciantur. Ad hæc Godefridus itidem Comes cum indignatione: Semper, inquit, vestrum Regem vobis vilem haberi audiuimus nō credentes; nunc autem vobismetipsis fatentibus, credere fas est: nunquam, nobis quiescentibus, noster Imperator pugnabit, nunquam, nobis sospitibus, in prælio periclitabitur. Haud tamē eum fore victurum diffidimus, si vestro cum Rege conferretur singulari certamine.

Prudenter monomachia dissuadetur.

Multis seditionibus Tetdo Episcopus, atque molestijs à suis vassallis concutitur.

CAP. XCVIII.

HOc igitur modo Regibus inter se discordantibus, iam dictu difficile est, quot procellis factionum intonantibus, ab ipsis suis vassallis afficitur Tethdo Episcopus. Quoniam namque Imperatorem, malorum scilicet tortorem, in prædicti belli negotijs occupatum nouerant, ideo inpunitatis securitatem colligentes, Episcopo, vtpote simplici viro,

& linguæ regionis ignaro, ſubdolis ſuggeſtionibus iniurias ſæpe irrogabant. Aliquando etenim VValterus totius veritatis effætus, prætenta per dolum fide deuotionis, terrorem veriſimilis cauſæ incutiens, illudebat; fraudulenter ſanè denuncians, Lotharium Regem ad vrbem incendendam collecta manu venire paratum, & omnem viciniam excidio collaturum. Qua de re Præſul perterritus, VValterum multa mercede donabat, plus pollicitus, ſi quouis modo tantæ peſtis molimina epacaret. Qui fingens ſe mittere legationem ad amicos & propinquos in domo regia verſantes, quaſi vt Regem mitigarent, interpoſitis aliquot diebus ad Epiſcopum iterum veniebat, ſuiſque precibus, ſuoque ingenio, paratam expeditionem, Rege quidem manſuefacto, quieuiſſe referens, iactitabat. Hac fraude Epiſcopi gratiam captans, maximam opulentiam donorum * excipiebat, immò verò cum alijs beneficijs villam, cui nomẽ Lambras, extorſerat. Id quoque Herivvardus aliquando. Hic antè præ infidelitate, relicto Epiſcopo, raptoribus quorum mentionem iam fecimus, Rainero videlicet atque Lantberto, ſe addidit. Veruntamen ſub his parum proficiens

r. recipiebàt.

Lambræ in beneficium data VValtero impoſtori.

ciens, poſtea ad Epiſcopum ſub ſpecie fidelitatis remeauit. Qui etiam verſutis factionibus atq; adulationibus ſub quadam ſpecie familiaritatis, gratiam Epiſcopi ſibi emercabatur, eiq́ue aliquando ſuſpicioſa & veriſimili commentatione dolos machinabatur, aſſerens videlicet Raynerum atque Lantbertum ad bona epiſcopi deuaſtanda parari. Hanc itaq; falsè compoſitam ſuggeſtionem Præſul verè accipiens, haud mediocri ſollicitatione conſtringebatur, illiq́ue, ſi quo genere ingenij eos mitigare valeret ne veniant, commutationem multæ mercedis pollicebatur. Qui protinus ad falſitatis illatæ ſuſpicionem confirmãdam, illos quidem mitigandos adire ſe ſimulans, aliorſum declinat, & paulò poſt remeans quaſi impetrata pace, promiſſa ſibi repoſcit. Huic itaque & alijs perniciosè illudentibus tãta impendit, vt adhuc ſedes Epiſcopalis, ſed & omnis parochia ſe diuulſam ingemiſcere videatur. Sub hac etiam ſpecie ipſe Herivvardus aduocatias aliquantarum villarum, quaſi pro defenſione, præſumpſit, ſed pluſquam inimicus prædo, aſſiduis exactionibus deuaſtauit.

De

De obitu Tetdonis Episcopi, & quid in celebratione missæ diuina pietas ad nutum eius operatur.

CAP. XCIX.

Lotharius rex Franciæ occupat Flandriæ partem Lisam vsque an. 964. Sigeb.

SVb huius autem tempore, Arnulfo sene Flandrensium Comite mortuo, mox irruens Lotharius Rex, possessiones illius, abbatias videlicet sancti Amandi, sanctique Vedasti cum castello, Duuaicum quoque, sed & omnia vsque ad fluuium Lis, cum omni occupatione inuasit. Quod certè maximum metum incussit Episcopo, conijcienti videlicet, illum Regem mox fortasse suam etiam vrbem, quòd proxima esset, esse occupaturum. His igitur, & huiusmodi motibus semper affectus, mœrore tabescebat, sibique aliquando cum flebili querimonia improperans, dicebat: Quid tu ô miserrime Teddo, quid tu, patria relicta, inter barbaros deueneristi? Ecce tuis plana, sed & digna recompensatio meritis, quòd tuum patrem sanctum Seuerinum reliquisti. Inter hæc ergo Episcopus, à tanto naufragio enatare conatus, Coloniam reuertitur,

&

& ne diutius tantis verberibus quateretur, credo, Deo miſerante, morbo correptus, migrauit à ſæculo, & in baſilica ſancti Seuerini ſepultus eſt. Nec prætereundum, quod ei à ſuperna pietate conceſſum, à certis relatoribus accepimus. Quadam namque die dum in monaſterio ſanctæ Mariæ, ſuper altare ſancti Saluatoris, ſacrum myſterium celebraret: & vbi ventum, quòd corpus dominicum, de more ſacerdotali, ad os offerre deberet; mox mirum in modum ipſa ſacroſancti corporis confectio ad nutum Epiſcopi cælitus ſubleuata, manibus eius, miniſtris mirantibus, inſiluit. *Teddo miraculis claret.*

Karolus dux cauſa tuitionis Cameracum ingreſſus, multa mala edidit.

CAP. C.

QVo defuncto multò aſperioris peſtilentiæ cauſa exoritur, multò tempeſtuoſioribus procellis eccleſia Cameracenſium naufragatur. Siquidem Imperator à finibus ſui regni procul remotus, ſuper Sclauones, quos aduerſum ierat, expugnandos, morabatur, relictiq; Principes Lotharienſium *anno 976. Sigeb.*

quid-

quidnam de reſtitutione Epiſcopi face-
r. enim. rent, ambigebat. Iam * verò Lotharium
Regem res Atrebatenſis Epiſcopij occu-
Rex Francie bona eccl. Atrebat. occupat. paſſe audierant, ideoque illum fortaſſe,
ſubita incurſione, vrbem Cameracẽſium
peruaſurum eſſe formidabant. Quare
Comites, Godefridus videlicet, quo di-
gnitate morum alter illuſtrior, alter non
erat conſilio præſtantior, Arnulfus quo-
que, admodum ſollicitati, Karolum Du-
cem, Regis Lotharij fratrem, quem Otto
Imperator multis beneficijs conductum,
vt fraternis motibus ſecum fortior reſi-
Carolus Lotharingiæ dux. ſteret, citeriori Lotharingiæ ſub ſe præ-
fecerat: hunc, inquam, collato vtrinque
conſilio, adorſi, monuerunt, vt vrbem
ſuo paſtore orbatam feſtinanter ingreſ-
ſus, ab incurſione fratris inmunem, ſed à
cunctis quoque peruaſoribus, defenſa-
ret. Vaſalloſque eiuſdem loci ad fidelita-
tem Imperatoris ſacramento & obſidibus
conſtringeret, dum Imperator reuerſu-
rus in patriam, Epiſcopum redhiberet.
Huic conſilio Karolus libenter acceſſit,
ſed malè tractans, non æquæ executionis
actu librauit. Nam copioſo agmine comi-
tatus, cum præfatis etiam Comitibus in
vrbem venit, ſed tamen, ſicuti erat inep-
ti atque tardi ingenij, deteſtandas vſur-

patio-

pationes exercuit, adeò vt raptor potiùs quàm tutor: potiùs temerator quàm obseruator esse videretur. Vnde indignati præfati Comites, & in iras moti, illo quidem eo loci relicto, ad sua reuersi sunt. Porrò ille deinceps oportunitatẽ & gratiam loci atque sufficientiam totius alimenti nactus, vxorem sibi adfuturam esse mandauit, cui in cubiculo Episcopi cum tota præsumptione lectum sterni præcepit, omnesque opes in vsibus Episcopi exhibendas, in superfluis commessationibus tota effusione cõsumpsit. Thesaurum ecclesiæ dissipabat, præbendas vendebat, immò & ecclesiastici ministerij negotia emptus pretio largiri mercantibus vsurpabat, sicque totius infamiæ sacrinam tam diu gessit; donec Imperator reuersus ad melius restituit.

Rothardus episcopalem cathedram suscepit.

CAP. CI.

IAm verò brumalis intemperiei pruinis incumbentibus, Imperator reuocata manu à bello, ad villam Polidã, propriam videlicet sedem, in natale Domini est reuersus. Vbi cùm ei vacatio Cameracensis ecclesiæ suggeritur, communi suffragio, & acclamatione Lotharien-

sium,

r. Notgeri Leodienſis. ſium, immo & obtentu * Nocheri Leodecenſium Epiſcopi, Rothardo ex proſapia nobili orto, pijs moribus adornato, infulam Præſulatus impertiuit: quippe æſtimans illum lenitudine ingenij ſæuitias Cameracenſium poſſe preſſurum. Huius doni ſublimitate adepta, circa initium quadrageſimæ commiſſum gregem viſens, vrbem petijt; nec multò poſt ab Alberone Remẽſiũ Archiepiſcopo sũma cũ veneratione ordinatus eſt, vtpote cũ quo amicitiã & familiaritatẽ à puero tenebat, ex quo videlicet in ſcholis Gorgiẽſis monaſterij pariter cõdiſcipuli extiterant.

Gorgienſis ſchola.

Quòd idem Epiſcopus Caſtellum Vinciacum diruit. CAP. CII.

SVſcipiens itaq; vir venerabilis ſummam regiminis, contumeliarum exacerbationes multas, & inexplicabiles reperit. Vrbs etenim tota, diuerſo modo, non tantùm exteris, ſed etiam domeſticis incuſſionibus, vt ſuprà dictum eſt, laborabat, nulla pax interueniebat. Sed vt reliqua taceam, nihil grauius, quàm contra Ottonem præfatum Gogicenſis caſtri, ferebat, qui tanta & tam crebra incurſione vrgebat, vt omnes agricolas villarum, ſed & totius vrbis homines feciſſet ſibi tributarios. Quin etiam, vt gra-

cap. 92. & 98.

cap. 95. Gogicenſe caſtrum.

uiori

uiori infestatione premeret, iuxta vicu-
lum, cui nomen Vinciacus, distat autem *Vinciacus pagus.*
ab vrbe hac quatuor milibus, castrum
munire festinabat: & feciſſet quidem, ni
Episcopus tempore resciuiſſet. Illo nam-
que id muniente, & diuersa operositate
pertinaciter moliente, siniſtro nuncio
Pontifex excitatus, nec mora, præfatis
Comitibus Godefrido atque Arnulfo, *cap. 100.*
cum alijs Lotharienſibus legationem mi-
sit, vt coacto milite ad destruendum o-
pus sibi inimicum venire festinarent.
Qui cautè absque comperendinatione
sumptis cuneis nocte ad Episcopum ve-
niunt, eiq́ue auxilium nimis copiosum,
atque armis munitiſſimum ferunt. Manè
itaque facto, Episcopus tanta ope susten-
tatus, ciuibus queque suis atque rusticis
comitatus locum munitionis inuasit, ca-
strumq́; turritum, & iam penè perfectũ,
Deo adiuuante, demolito aggere, coæ-
quauit arenis. Hoc ei maximam virtutis
gloriam peperit. Dein verò tyrannum
modò viribus terrificans, modò mu-
neribus lactans, nouiſſimè omnimodò
deuictum sibi pacauit, sicq́ue pacem
& quietem publicam reformans, pe-
nè omnium in se beneuolentiam,
præter Walterum suum Castellanum,
con-

conuertit. Porrò iſte multas moleſtias aduerſus Epiſcopum excitauit, multas inquietudines irrogauit, quamuis ei Epiſcopus multa donaſſet, multiſque beneficijs ſuas poſſeſſiones auxiſſet. Poſtea Põtifex venerabilis monaſterium ſanctæ Mariæ perfecit, quòd, vt diximus, Engrannus Epiſcopus cœpit, ſed eiſdem prænotatis ſeditionibus præpeditus, ac ſtatim morte præuentus, imperfectum reliquit. Aram ſanctæ Dei genitricis Mariæ aurea tabula, ex lapidibus precioſis inſignita, veſtiuit, calicem etiam maiorem cum patena puriſſimo fecit ex auro. Geminas quoque campanas magnas atq; ſatis ſonoras, quæ adhuc in turri quam ſtruxit dependent; ex proprijs ſumptibus fabricauit. Villam verò quæ dicitur Villaris, altari ſancti Ioannis in vſibus fratrum eiuſdem eccleſiæ ſanctæ Mariæ deputauit.

cap. 86.

Ornatur eccleſia Cameracē.

Villaris pagus.

Imperator contra Sarracenos bellum iniens vincitur, nec multò poſt obijt.

CAP. CIII.

980. Sigeb. Guil. Nangius.

DEcurſis autem temporum ſpatijs, Otto Imperator & Rex Lotharius inter ſe fœderati pacantur, & vtrumque regnum facta tranquillitate quieuit. Interea

terea Otto Romam profectus, Sarracenos per terras Apuliæ desæuire audierat, & sicuti inuenis audax, manu validus, animo exæstuat, moras præcipitat. Qui nec mora, non multis, quos præsentes habebat, fultus, facto itinere illuc pertransijt, nec passus se expectare suos per interualla itinerum sequuturos, mox contra hostem prælium inconsultè commisit. Armabat * enim consuetudo vincendi, & ignorantia cedendi. Siquidem congressu habito, licet numero longè inferior, multam cladem hostium edidit, sed tamen gloriam victoriæ superatus amisit. Nam sine consilio fortitudo in temeritatem conuertitur. Qui transfugio sibi consulere æstimans, quia terra euadere non posset, velociter se misit in mari, visamque nauiculam inimicorum, quam præter vllam suspicionem fortè non procul à littore conspexerat, alacri, sed & difficillimo natatu ascendit. Hunc enim iam penè lapsabundum miserati remiges, admoto nauigio susceperunt, longeque dissimilem & ignotum arbitrantes, causas infortunij rogauerunt.

* r. cum. 982.

Ille verò tandem eorum barbara collocutione aduertens se hostibus incautè oblatum, mox præ formidine fallere doctus, vtpote inter hostes vitæ naufragus, quoquo modo potuit euasionis opem quæsiuit. Finxit enim se quendam fore hominẽ ex ipsa Bar maritima vrbe multis opibus affluentem, verùm errore viæ incidisse naufragium. Illos tamẽ ditatum iri pro compendio, si illæsum perducerent. Quo remiges empti, cùm ad votum Cæsaris prædictæ ciuitati admouissent nauiculã, statim lætus Imperator, Theoderico Mettensium Episcopo, ceterisque suis Principibus, qui in ipsius vrbis tuitione recepti, Regis periculum condolẽtes, ipsum quidem captum putabant, totius rei seriem per internuncios tacitè inculcauit, & vt quasi ad remunerandos nautas sibi præmia afferrent, callidè admonuit. Qui mox inopina mandata gaudenter amplexi, scrinia cæteramque supellectilem Regiam ad nauim Imperatori tulerunt, vnaque etiam velocissimum caballum adduxerunt; Nautis verò ad conuecta munera intendentibus, Imperator extra nauiculam viuaciter exilit, equoq; ascenso, ita delusis hostibus, præter spem, credo adiuuante Domino, illæsus

Otto callidè euasit.

læsus euasit. Vnde cum probro abscedens, pudore succensus, meliori consilio militarem copiam sibi ad reparandum prælium quærere æstimauit. Veruntamen interim morte præuentus, paulo post interuallo occubuit, Romæ quidem in porticu sancti Petri sepultus. 983. *Sigeb. Nangius.*

Lotharius Rex Karlensium, & Einricus dux Baioariorum quisq; pro se tendunt ad Imperium Lothariensium, puergs regius ab Einrico rapitur, sed postea vi eripitur.

CAP. CIV.

QVo passim comperto, repente gemina labes mali regno exoritur. Nam vt se habet inquietudo morum, immo aut sæcularis ambitio, Lotharius Rex, Henricus quoque dux Baioariorum in prisca odia recrudescunt, pacem quidem bello mutantes, & quod patre viuo non poterant, modo superstiti libero æquiuoco regni prærogatiuam eripere nitentes, ad vsurpandi imperij potentiam intendere æstimarunt. Huic enim proximitas loci, illi verò necessitudo generis adspirabat. Dux nimirum Heinricus Regium puerum factiosè raptum tenebat in custodiam, eiq;, cæteris Principibus inuitis *Otto.* 3.

atque dolentibus, Imperialem gratiam adimebat. Interea mortuo Wifrido Virdunenſium Epiſcopo, multis profectò Epiſcopalium militum reſiſtentibus, aliquot verò conſentientibus, vrbem cum præſumpta vindicatione Lotharius ingreditur. Dein quoq; Epiſcopatum Cameracenſium ſe occupaturum eſſe minatur. Qua in re Rothardus Pontifex haud mediocri terrore commotus, ſapientiſſimo tamen conſilio vſus, Regem humiliter aggreditur, & in tantum eius gratiam molli prece mercatur, vt prius vrbe Leodecenſium capta, priuſq; aliquãtis Principum Lotharienſium ſubiugatis, ipſe quoq; poſtmodum abſq; difficultate ſubijceretur. Pace itaq; impetrata, ſpe tamen ſuſpenſa, interim quieuit dum, domino adiuuante, puerum captum, Imperatoris filium ſui Principes de manu tenentis cum virtute extorſerint, & in iure paterno locauerint. Hic poſtea tam virtute quàm ætate proficiens, adeo viguit, vt ei Rex Lotharius vrbem Virdunenſium captam, & Godefridum Comitem reddiderit.

Afflictatio Imperij.

984 Sigeb. Nang.

Otto iij. Imp.

985 Sigeb. Nang.

Epiſtola

Epistola, quam Laubienses monachi miserunt Episcopis Rothardo Cameracensiũ, & Nochero Leodec.

CAP. CV.

NEc absurdum videri putamus inferere, quòd Laubienses monachi iam dudum pastore viduati, domnum Rothardum Episcopum, & * Nocherum Leodecensium epistolariter aggressi, subrogari sibi Abbatem Herigerum scripto huiusmodi petierunt. *Dominis & patribus Episcopis venerabilibus, Rothardo & Notkero, humilis Lobiensium caterua, deuotissima fidelium orationum munia.* *r. Notgerii.*

Lobienses petunt abbatem.

Iam dudum pastore viduati, diutissimè verò rectoris sollicitii diligentia destituti, vestram conuenimus paternitatem submissi, quoniam quidem alterum vestrum animabus, alterum Deus voluit subintendere corporibus, vt eum nobis prouideatis Abbatem, qui hoc sit quod dicatur: idest, vt & corporibus paterno affectu necessariam curam impendat, & animarum salutem pastoris vigilantia non negligat: sicq; interiorum curam in exteriorum occupatione non minuens, & exteriorum prouidentiam in interiorum sollicitudine non relinquens, ne aut exterioribus deditus, ab intimis corruat, aut solis interiori-

Veri Abbatis officiũ.

teriorib⁹ occupatus, quæ foris debet, proximis non impendat. Cuius iussio vel doctrina, velut fermentum diuinæ iustitiæ, in discipulorum mentibus conspergatur, qui & studeat plus amari quàm timeri, & in imperijs suis, siue secundum Deum, siue secūdum sæculum, prouidus sit & consideratus, cæteraq; à beato Benedicto deprompta, pro possibilitatis humanæ solicitetur affectare conuenientia. Ad quæ vtcunq; affectanda, nullum hoc tẽpore aptiorem inuenire potuimus, quàm dominum Herigerum. Verùm, Deo teste, non secundum suam, sed secundum nostram æstimationem, ante annos multos, & nobiscum socialiter vt fratrem conuersatum, multisq; emolumentis nobis proficuum, pluribus verò nostrorum, magistri & educatoris strennuè adimplentem officium. Cui licet desit, sua attestatione, catalogus virtutum à beato Benedicto in Abbatem defloratus: tamen ad hæc adspiranda bonæ intentionis semper affuit intuitus, secundum illud euangelicum: Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, id est, quodlibet sit opus in publico, bona tamen intentio maneat in occulto. In cuius electionem noueritis non deesse nostram vnanimitatem, secundum nostræ regulæ institutionem, quæ præcepit, vel omnino concordem in hoc fieri congregationem,

Bened. in Reg. cap. 2. & 64.

Bened. vbi suprà.

Matt. 6.

nem, vel saniori consilio, etiam quamuis minimam partem. Nam etsi sit aliquis huic electioni non consentaneus, licet occultus, hic in se tulit sententiam, non refragante etiam vestra conscientia, quòd omnino inutilis velit esse & improficuus. Ad hoc autem animarum regimen aspirasse eum pecunia, vel ambitione, quæ prima est de quadripartita pastoralis curæ subdinisione, Iesum testamur, & tremendum eius iudicium, in nostra scientia non esse. Qualiter autem doceat, id est, vt sciat vnde proferat noua & vetera, certum est & vobis & nobis, ei sufficienter subesse. Sed & qualiter viuat, quod potissimum esse persensimus quod eius conscientiam remordeat, incalcauimus ei quiq; saniores fuimus consilij, beati Benedicti consolatoria, quæ sunt in hæc verba: Dum, inquit, de alienis ratiocinijs cauet, redditur de suis sollicitus, & dum de monitionibus suis emendationem alijs subministrat, ipse efficitur à vitijs emendatus. Nimis est enim ethnicus & publicanus, qui alios reprehendens, nolit inreprehensibilis esse, cùm idem beatus Benedictus dicat: Quæcumque discipulos docuerit esse contraria, in suis actibus iudicet non agenda. Et de minori substantia sollicitum, nihil, inquit, deest timentibus Deum. Et, Non affliget Dominus fame animam

Mat. 13.

Benedict. in reg. cap. 2.

ibidem.

Psal. 33.

Pro. 10.

Psal. 36. *mam iusti. Et: Iunior fui, etenim senui, & nō vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.*

Mat. 6. *Propter hoc primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Ad vltimum sub obtestatione diuini timoris obiecimus illud beati Papæ Gregorij de his qui prodesse possunt, & præesse refugiunt. Tantorum, inquit, in tremendo iudicio rei futuri sunt, quantis hic prodesse potuerunt. Ad hæc præbente illo assensum, & nos, sub vestro & cæterorum testimonio, promittimus ei nostræ secundum regulam obedientiæ bonum, & salua in omnibus vestra auctoritate, satis nos ei facturos de nostra secundum propositum nostrum subiectione. Non autem existimet excellentia vestræ solertiæ in hac nos electione, verbis tantum fucatis & coturno eloquentiæ deseruire voluisse, sed potius ea quæ desolationi nostræ, & ipsi electo scimus necessaria fore, ex vero, & non ficto corde vestræ magnitudini deprompsisse.*

Gregor. Curæ past. par. 1. c. 5.

De inregularitate Fulradi Abbatis, & quòd inimicabat Comitem Flandrensium & Episcopum Rothardum.

CAP. CVI.

IN illo verò tempore Fulradus, falso nomine

nomine monachus, abbatiæ præerat ſancti Vedaſti, qui inregulariter viuens, prælationem ſancti nominis exuebat dignitate honoris. Curis namque paſtoralis ſolertiæ malè poſthabitis, plus nimio ſæcularibus negotijs implicabatur, ac lenocinante carnis deſiderio, horreo dicere, ſpeciem ſancti habitus omnino mentiebatur. Quod enim in vſibus eccleſiæ, ſiue fratrum deberet expendere, hoc nimirum, at at, per amicarum conciliabula turpiter profligabat. Qua de re ab Epiſcopo ſæpe clam vocatus, diſtrictè iudicatur, grauiter arguitur, ſed cùm incorrigibili rigore duratus, ab incepto minus deſiſteret, publicè reprehenſus, virga apoſtolicæ auctoritatis iure feritur. Poſtea tamen ſpeciem pœnitentiæ induens, ad ſatisfactionem recurrens, confeſſus culpam, rogans veniam, abſolutione donatur. Procedente verò tempore priſtinæ prauitati rurſus adhærens, vt ſuis quidem feculentijs laxior poſſit inſiſtere, cœpit inter Epiſcopum, & inter Arnulfum Flandrenſium Comitem ſuoſque fideles nouam odiorum materiam interſerre, vt Præſul videlicet inimicitijs Comitis ſollicitus, eius nequitias deſinat corrigere. Hoc profecto

Arnulfus Iunior.

versutus incentor ad ampliandas discordias cum subdola & verisimili assertione addebat, se habere videlicet sancti Vindiciani eiusdem sedis Episcopi priuilegia, apostolica auctoritate confirmata, in quibus decretum esset, monachos sancti Vedasti non debere habere respectum ad Pontificem ecclesiæ Cameracensium. Ex hoc sanè falsam argumentationem trahens, quod beatus Vindicianus suo tempore omnes inquietudines à monasterio sancti Vedasti scripto præcepto excluserit, vt quietè, & secundum regulam sancti Benedicti monachi viuentes, Deo seruirent; non vt inordinatè & turpiter conuersantes, veluti iste cum suis, à proposito desciscerent. Porrò iste qui contendebat disciplinam & increpationem Episcopi declinare, & contra Euangelicæ & Apostolicæ institutionis auctoritatem, à iugo Episcopi ceruicem deditionis excutere, male intelligebat sententiã sancti Benedicti, vbi tractans de ordinãdo Abbate, inter cætera dicit: *Episcopus, ad cuius Diœcesim ipsum monasteriũ pertinet.* Quod quid sit, si cui otium est diligenter intueri, eiusdem voluminis scripta discutiat. Infelix quidem malè ememor factus, quanta humilitate, & quanta reuerentia sui ante-

Bened. in Reg. cap. 64.

anteceſſores quondam dominum Theodericum eiuſdem ſedis Epiſcopum adierunt, eo videlicet tempore, quo Dani per viciniam huius Diœceſeos miſerabiliter ſæuiebant, implorantes ſanè, vt quia tantæ moli impares, tam arduã cauſam abſq; auctoritate Epiſcopi attentare formidabant, corpus ſancti Vedaſti quæſitum à loco moueret, & impoſitum feretro, pro metu Danorum, ad deferendum aliorſum páraret. Qui ſuorum vota competenter præuidens, quæque rogabant familiariter impleuit, ſtudioque ſuæ auctoritatis illo precioſiſſimo theſauro ad eccleſiam Belnacenſium, circumfuſa multitudine plebis, tranſlato, ab eiſdem fratribus laudes & gratiarum actiones maximas, competenti iure, ſuſcepit. * Poſt diſſitudinem verò longiſſimi temporis, terris quidem Danorum abſceſſu quietis, cùm ijdem monachi ſanctum corpus ad priſtinam ſedem referre diſponerent, beato Pontifice Theoderico iam dudum defuncto, Dodilonem ſucceſſorem eius quartum, ad huius rei negotium inuitare æſtimarunt, directiſque ad eum precibus, auctoritatem ſuæ præſentiæ poſtularunt. Hic ſuorum deſiderio ſatisfaciens, ac eccleſiam præmemoratam Belnacenſium per-

Suprà c. 42.

Tranſlatio S. Vedaſti tempore Danorum.

r. poſt multum verò temporis.

perrexit, ſanctoque theſauro ſumma cum
veneratione ad ſuum locum relato, ver-
bum inde faciens ad populum, annuam
diem relationis ſancti corporis, perpetuæ
15. *Iulij.* celebritati, ſua epiſcopali auctoritate,
commendauit. Vnde beatus Pontifex ab
eiſdem fratribus obſequiorum exhibitio-
ne donatur, munificiſq; laudibus hono-
rificè cumulatur. Has autem beniuolen-
tiæ & ſubiectionis reuerentias, quas ſui
anteceſſores omnibus Epiſcopis huius
diœceſeos exhibebant, iſte cum ſuis ſe-
quacibus, Fulradus obliuioni malè trade-
bat, qui contra euangelica & apoſtolica
decreta Epiſcopo ſubiugari detrectabat.
Poſtea tamen multa auctoritate ſubiectus
eſſe conuincitur, tandemque reſipiſcens
ad deditionis iugum, quãuis inuitus, re-
flectitur: quia quicunq; iugum epiſcopi
declinare contendit, etiam Chriſti refu-
gere conuincitur. Nemo enim abſque
Epiſcopalis miniſterij conditione, ad
vnitatem Eccleſiæ colligitur, præſertim
cùm ipſe legiſlator Dominus, cum ſuis
diſcipulis, ſubiectus fuiſſe ſacerdotibus
in Euangelio multifariè reperiatur, ipſo
Mat. 5. atteſtante qui ait: *Non veni legem ſoluere,*
ſed adimplere. Ad diſcipulos autem ſubie-
Mat. 23. ctos prauis ſacerdotibus dicit: *Quod dicũt*
facite, quod autẽ faciunt nolite facere.

Immunitates super rebus S. Mariæ corroborari Regys præceptis obtinuit.

CAP. CVII.

PRædium verò quod dicunt Fontanas, nec procul abeſt, eccleſiæ ſanctæ Dei matris acquiſiuit, nec non & immunitates eccleſiæ ab antecedentibus Imperatoribus inſignitas, ab Ottone etiam tertio corroborari per teſtamentum huiuſmodi paginæ. *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Rex.* *Fontana prædium.* *Litteræ Ottonis iij.*

Cùm petitionibus ſeruorum Dei iuſtis & rationabilibus diuini cultus amore fauemus, ſuperna gratia nos muniri diffidimus nequaquam. Proinde nouerit induſtria omniũ fidelium noſtrorum, tam præſentium quàm & futurorum, quia vir venerabilis Rothardus Cameracenſis vrbis Epiſcopus obtulit obtutibus noſtris immunitates beatæ memoriæ aui noſtri Ottonis, & eius æquiuoci genitoris noſtri Imperatorum Auguſtorum, in quibus continebatur inſertum, qualiter prædicti Imperatores Auguſti, nominatam ſedẽ, quæ eſt in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ ſemperq; virginis, ob amorem Dei & tranquillitatem fratrum ibidem conſiſtentiũ, ſemper ſub pleniſſima tuitione & immunitatis

tis defensione habuissent. Pro firmitate tamen rei postulauit nos prædictus Episcopus Rothardus, vt eiusdem Regis auctoritatem, amore & reuerentia sanctæ Dei genitricis Mariæ, nostra auctoritate confirmaremus. Quod ita per interuentum Episcopi ipsius, aliorumq; fidelium nostrorum Hildebaldi VVormacensis ecclesiæ venerabilis Episcopi, & Nothgeri Leodicensis ecclesiæ honorandi Præsulis adquieuimus, & ita in omnibus cōcessimus, atque per hoc præceptum nostræ auctoritatis roborauimus. Præcipientes ergo iubemus, vt nullus iudex publicus, aut aliquis Comes, vel quislibet ex iudiciaria potestate in ecclesias aut loca, vel agros seu reliquas possessiones ipsius ecclesiæ, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem imperij nostri iustè & legaliter memorata tenet vel possidet ecclesia, vel ea quæ deinceps à catholicis viris eidem collatæ fuerint ecclesiæ, ad causas audiendas, aut freda, vel mansiones, vel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ tam ingenuos, quàm seruos super terram ipsius commanentes nequaquam distringēdos, vel vllas retributiones aut inlicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ suprà memorata sunt penitus exigere præsumat:

mat: sed liceat memorato Præsuli, suisq; successoribus res prædictæ ecclesiæ cum cellulis & rebus vel hominibus sibi legaliter subiectis, sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere imperio, atque pro stabilitate nostra, vel totius imperij à Deo nobis collati, vel conseruandi, vnâ cum clero & populo sibi subiecto liberè Dei misericordiam exorare, & quicquid exinde fiscus noster exigere poterat, in luminaribus ipsius ecclesiæ concinnādis perpetualiter concessimus ad habendum. Insuper nostra largitione concedimus præfato Episcopo, & successoribus eius omne teloneum cum moneta ciuitatis suæ Cameracensis, eo videlicet tenore, vt nouem partes Episcoporum vsibus deputentur, decima verò pars ad vsus fratrum eiusdem congregationis perpetualiter in eleemosynam nostram proficiat. Præterea constituimus, ne quis Dux, vel Comes, atque vicarius, seu quislibet ex iudiciaria potestate, nostram vel patrum nostrorum Regum violare præsumat. Quod si fecerit, causis Regalibus sit obnoxius, & insuper solidis DC. *culpabilis iudicetur, videlicet, vt duæ partes in archium ipsius ecclesiæ admittantur, & tertiam Fiscus Regalis noster recipiat, vt nullus tale quid audere deinceps præsumat, quod ita & nos per hanc*

nostram

mittere intellectu in cognitionem, vt fi-
dem in confessionem, & ad hæc omnia
nullis prædicationibus, nullis miracu-
lorum vel scientiarum exemplis pro-
ficere, nisi Deus per semetipsum illu-
minet, & ad hæc omnia ipse aperiat.

Vnde & Dominus ait: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Et Apostolus: Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu Sancto. Et Propheta: Et erunt omnes docibiles Dei. Et Dominus: Nemo venit ad me, nisi mihi datum fuerit a Patre meo. Et Apostolus: Nemo scit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei. Et Dominus: Nemo scit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

Et Apostolus: Nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Et Dominus: Nemo scit Filium, nisi Pater, & Patrem nemo scit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

De simplo nomine Trinitatis negotij beati Augustini, quod fecit.

CAP. CLVII.

Trinitas simplo.

Et nemo simplo & ridiculus Trinitatis negotium, quod beatus Augustinus fecit, ignorat. Nam cum ipse Augustinus ad litus maris ambularet, & de Trinitate cogitaret, puerum vidit, qui in arena foueam fodiebat, & cochlearibus aquam in foueam effundebat. Quem cum interrogasset, quid ageret, respondit, se totum mare in foueam effundere velle. Cui Augustinus: Hoc, inquit, fieri non potest. Et puer: Quomodo, inquit, fieri non potest, quod ego facio, & tu de Trinitate cogitando facis?

rorum nouerit industria, qualiter nos Notgeri Episcopi, necnon & Hildeboldi, ceterorumq; fidelium petitionem adimplentes, dedimus vnum forastum Rothardo Episcopo Cameracensis ecclesiæ, ad ecclesiam sanctæ Mariæ, ob remedium animæ nostræ, nostrorumq; parentum, tendens in longitudine à Sauvlonir monte vsque in illum locum vbi duæ Elpræ cadunt in Sambram: in latitudine autem à villa quæ dicitur Basius, & loco qui vocatur Gurgunces, ita vt Sambra decurrit, & duæ Elpræ vsque ad interiorem ripam vlterioris Elpræ, nostroq; banno firmauimus, ea videlicet ratione, vt nulla maiorum minorumq; persona in biuangio prædicti forasti, nisi cum licentia præfati episcopi Rothardi, eiusque successorum venari præsumat. Sed ipse, eiusq; successores, ex nostro regio dono venationis potestatiuè teneant, & quibuscunq; placeat, venandi licentiam concedant. Et vt hoc nostræ donationis munus firmum consistat, hoc præceptū inde conscriptum sigilli nostri impressione signare iussimus, manuq; propria, vt infrà videtur, corroborauimus.

Silua data eccles. Cameracensi ab Imp.

Sauvlonir Mons.
Elpra fl.
Sambra fl.
Basius pagus.
Gurgunces pag.

Signum Ottonis glorioſiſſimi Imperatoris. Hildiboldus Episcopus & Cancellarius vice Villigisi archiepiscopi recognoui.

gnoui. Acta VIII. *Kal. Maij, anno Dominicæ incarnationis* D CCCC LXXXIII. *indictione* VIII. *anno autem primo Ottonis imperantis. Actum est Granni palatij feliciter. Amen.*

De obitu Rothardi Episcopi.

CAP. CIX.

INterea Rothardus Episcopus ad remunerationem sui laboris vocatus, migrauit à sæculo, sepultusq; est iuxta monasterium sanctæ Mariæ ad australẽ partem. Super cuius tumulum quidam suus familiaris Præpositus, cui nomen Godelinus, ædificauit oratorium Apostolorum Simonis & Iudæ, & sancti Seuerini.

Erluinus succedit, & Romæ ordinatur.

CAP. CX.

POst hunc substituitur Erluinus, qui ecclesiæ Leodecensium Archidiaconus, tam & Ecclesiasticis quàm secularibus negotijs eruditus, qui sæpe terendo limina principum, longè lateq; emicuit clarus. Hunc * Nocherus bonæ memoriæ Episcopus, ad Mathildem, cui ipse Erluinus familiaris erat, filiam videlicet

v. Notgerus

licet Ottonis ſenis Imperatoris, Abbatiſſam eccleſiæ* Quitinaborch monuit ire feſtinanter, vt ſuo ſuffragio ad Epiſcopij dignitatem attingeret. Quidam quoque Azelinus nomine, de Truncinis villa, Balduini Flandrenſium Comitis de concubina filius, poſtea tamen Pariſiorum Epiſcopus, Sophiam ſororem iuuenis Imperatoris pecunia adorſus eſt, vt eius obtentu Pontificij culmen ſortiretur. Ab vtraque igitur parte Imperator pulſatur, ſed tamen, Deo diſponente, magis alterius rogationi inflectitur. Nam ſorore Sophia neſciente, Mathildi amitæ cõſenſerat, atque Erluino in die ſolemni ſancti Dionyſij regimen paſtorale commiſerat. Qui tanto munere ſuſcepto, vrbem commiſſam petijt, ſed bona anteceſſoris ſui Rothardi, à Waltero, & ab alijs, qui milites eccleſiæ eſſe deberent, vaſtata reperiens, ingemuit. Per idem verò tempus Arnulfus Remenſium Archiepiſcopus, pro multis ſceleribus, & maximè pro infidelitate ſui ſenioris, ab Epiſcopali gradu depoſitus erat, in cuius vice Gerbertus, quo litteratior poſtea nemo extitit, ſubrogatus ſedebat. Hoc autem, ventilantibus tamen quibuſdam Epiſcopis, inuentum eſt, quòd quia abſq; ſcientia & auctoritate

* Quidilingaborg.

tate Papæ Romanæ ſedis erat degradatus, ad eandem ſedem recurſus legitimè pa. ..... valeret. Vnde quia inter eos diuturna contentio habebatur, Romam cum domino Imperatore ; illuc etiam ad imperij culmen ſublimando, Erluinus profectus eſt à Papa ordinandus. Sed paulò antequam ibi peruenirent, Iohanne Papa defuncto, Gregorius, qui prius Bruno appellatus eſt, ad ſedem Apoſtolicam, aſſenſu Romanorum, promouetur. Ab hoc igitur conſecratus Imperator ſumpſit diadema imperij, Erluinus verò culmen pontificalis ſacerdotij.

Ordinatur à papa propter cõtentionem de archiepiſcopatu Remenſi.

an. 996.

Romæ in ſynodo proclamationem faciens contra inuaſores bonorum eccleſiæ ſuæ, à Gregorio Papa priuilegium cum excommunicatione contra eos obtinuit, quod hîc inſeritur.

CAP. CXI.

EXin verò inibi habita ſynodo coram Imperatore, Papa reſidente cum Epiſcopis, Abbatibus, presbyteris, cùm de neceſſarijs eccleſiæ negotijs ſatis tractaretur, Erluinus Epiſcopus ſurgens populatores ſuæ parochiæ cum grauitate que-

querimoniæ indicauit, ſed & quòd nuper opes ſui anteceſſoris, vt præmiſimus, à Waltero, & ab alijs deuaſtatas repererit, in medio proclamationem extulit. Vnde Papa confirmante, immo Epiſcopis, Abbatibus, cunctis quoque qui ibi reſidebant, aſſentientibus, caraxaturam fieri obtinuit huiuſmodi. ✠ *Gregorius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Herluino ſanctæ Cameracenſis Eccleſiæ antiſtiti, ſuiſq; ſucceſſoribus in perpetuum.* *Gregor. V.*

Curæ paſtoralis officium, ſummæ ſedis dignitas, qua nos licet indigni vtimur, compellit nos non ſolùm nobiſcum manentia, verum etiam longè poſita ſanctæ Dei Eccleſiæ myſteria, Chriſto annuente, vigilanti ſollicitudine, cuſtodire & gubernare. Quoniam verò, ſicut omnibus pènè notum eſt, interueniente hac re quæ inter Arnulfum Remenſis eccleſiæ Archipræſulem & Gerbertum inuaſorem eius exercuit, idē prædictus Herluinus præſul, illorum odijs, Remis canonico more conſecrari nequiuit, eius conſecratio ad Apoſtolicam ſedem vſque ad nos haut iniuſtè peruenit. Quem conſecrantes lacrymabilem ab eo querimoniam audiuimus: ſcilicet, quòd tempore anteceſſorum ſuorum idem epiſcopium multipliciter à mali-

malignis hominibus deprædatum sit. Vnde & nos humillimè implorauit, vt nostra Apostolica auctoritate, aliquod ei subsidium contra inimicos sanctæ Ecclesiæ daremus. Cuius precibus annuentes, per istud nostræ Apostolicæ auctoritatis priuilegium sancimus, vt nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, seu aliqua magna vel parua persona dehinc prænominatæ Ecclesiæ loca inuadere, seu deprædare præsumat. Quod si præsumpserit, sciat se à nobis, Christo auctore, ac beato Petro Apostolo, anathemate illigatum, quousque prædictæ sedis antistiti satisfecerit: vel, Romam veniendo, se ibidem purificauerit. Hoc quoque nobis similiter intimatum est, quòd obeunte episcopo, vel ceteris sacerdotibus prædictæ sanctæ Cameracensis ecclesiæ, aliqui diabolico repleti spiritu, soleant res ecclesiasticas, quas vel episcopus, siue etiam sacerdotes reliquerint, diripere ac dissipare. Quibus itidem Apostolica censura, ne hoc amplius agere præsumant, interdicimus. Quod si fecerint, cuiuscunq; sunt ordinis vel dignitatis, sciant se anathematis vinculo perculsos, quousq; hoc digna satisfactione correxerint. Illud quoque magnopere præoptamus, vt fratres in cœnobio eiusdem ecclesiæ commanentes, cunctæq; congregationes adeam pertinentes, quicquid iustè ac legaliter possidere debent,

debent, sine aliqua diminutione firmiter teneant atque possideant, vt temporalibus præsidijs sufficienter adiuti, sine murmuratione, sempiterna fiducialius appetere valeant. Insuper eidem Herloino Episcopo, suisq; successoribus in perpetuum, per hanc nostri præcepti paginam concedimus & confirmamus, vt nullus Dux, Marchio, vel Comes, seu alia quæuis magna vel parua persona aliquem districtum, siue iudicium, vel aliquod placitū, in aliquo loco sæpe nominati Episcopy, tenere audeat, nisi ab eiusdem sedis Episcopo licētiā acceperit, vel inuitatus fuerit. Sed liceat sibi de suis quemcumque voluerit ad id officiū peragendum ordinare. Si quis autem, quod non optamus, huius nostri Apostolici priuilegij violator extiterit, sciat se cum Iuda traditore, & apostaticis angelis æterno igne concremandum. Qui verò curator & obseruator fuerit, benedictionem & gratiam, & indulgentiam peccatorum suorum, ac vitam æternam à Christo Saluatore nostro consequi mereatur. Amen. Scriptum per manus Petrisgionis Notarij, & scriptoris sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Majo, & indictione nona. In Christo bene valete. ✠ Anno Pontificatus domni Gregorij summi pontificis & vniuersalis Ecclesiæ Papæ, anno j. Imperij verò Domni Ottonis tertij Imperatoris anno vndecimo.

Nouum Caſtellum regia auctoritate firmauit.

CAP. CXII.

HIs ita geſtis, ad ſedem cõmiſſæ eccleſiæ Pontifex remeauit, ſedatiſq; militibus, quietam terram ſuæ parochiæ reperit, præter paucas villarum circa ſiluam Teraſciam, quas quidam ex Lauduneníibus atque Vermandenſibus pernicioſiſsimi milites ſæpe occultis infeſtationibus inquietabant, ſæpe apertis inuaſionibus lacerabant. Vnde Præſul ſollicitus, in Perrona villa ſuper * Sauum fluuium, quam multo antè tempore huic eccleſiæ ſubtractam, ſed tempore Dodilonis Epiſcopi, vt antè retulimus, à Cendeboldo Rege reſtitutam, rurſum vero, neſcimus quomodo rediuulſam, viriſq; potentibus beneficiatam, mutuatis tamen rebus, quas Iohannes Epiſcopus in pago Condrenſi & Hasbanienſi huic eccleſiæ acquiſiuit, Erluinus redemit: in hac inquam villa, circa quam prædicti raptores grauius graſſabantur, caſtellũ muniri imperiali præcepto obtinuit, vt hoc eſſet obſtaculũ latronibus, præſidiumq; libertatis circũ & circa ruſticanis cultoribus. Quod præceptum immunitatis ſubnectere ratũ duximus ita. *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Otto, ſuperna fauente clementia, Romanorũ Imperator Auguſtus.* Si

Teraſcia ſilua.

Sauus fl. r. Sonam.

Sup. c. 52.

Caſtellum Peronæ, i. S. Mariæ.

Litera Ottonis Imp. ij.

Si locis diuino cultui mancipatis proprietates ſublimare, atque honores augere ſtuducrimus, id non ſolùm laude humana prædicandum, verùm etiam mercede diuina remunerandum ſcimus, & verè credimus. Vnde agnoſcat multitudo omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quam & futurorum, quod nos Erlevvino venerabili Epiſcopo, ob interuentum Leonis Epiſcopi & cæterorum, dedimus ius, fas, atque licentiam faciendi, ſtatuendi, ac conſtruendi merchatum, cum moneta, theloneo, banno, & totius p. rei miniſterijs, in quadam proprietate ſanctæ Cameracenſis eccleſiæ, in loco qui vocatur Caſtellum ſanctæ Mariæ, quod vocabatur anteà Vendelgeias, quod ſitũ eſt in pago Cameracenſi, ac Comitatu Arnulfi Comitis. Atq; prædictũ merchatũ, monetam, theloneum, bannum, cum tota publica functione in proprium concedimus ſanctæ Cameracenſi eccleſiæ tali tenore, vt nullus Dux, Marchio, ſiue Comes, ſeu aliquis homo vllã poteſtatẽ habeat ſuper memorato merchato, niſi cũ licẽtia Epiſcopi Erleuuini ſuorumq; ſucceſſorũ. Vnde Imperiali iubemus atq; ſtatuimus potẽtia, vt omnes homines iam dictũ merchatũ viſitantes, euntes, negotiantes, atq; commorantes, eundo & reeundo talẽ obtineant pacẽ, qualem iuſtè detinent negotiatores in merchato

Caſtellum S. Mariæ, Vendelgias nunc Cameracenſium.

Cameracensis ciuitatis. Igitur quicunq; prædictum merchatum frangere seu violare tentauerit, componat talem nostri iuris bannũ, qualem, prout lex exigit, qui soluere debent qui illud Cameracense merchatum temerariè inquietauerint. Et vt hæc nostræ concessionis auctoritas firmior permaneat, hanc paginam manu propria roborantes, sigillare iussimus. Signum Domni Ottonis, Cæsaris inuicti. Heribertus cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognouit, data XI. *Kal. Maij, Anno Dominicæ incarnationis M. primo, Indictione* XIIII. *Anno tertij Ottonis regni* XVII. *Imperij* V. *Actum Rauennæ feliciter. Amen.*

De iniurijs militum, & quod monasterium S. Autberti ampliauit, & Episcopalem domum sublimauit.

CAP. CXIII.

AB ipsis verò suis militibus, quos in sui castelli custodes ordinauit, pleraſque iniurias excepit, sed tamen eisdem deuictis, interueniente concordia, & interpositа pace quieuit. Huius præceptione Godefridus suus quidam archidiaconus mo-

monasterium sancti Autberti, quod intra muros vrbis est, ampliorauit, & ipse Episcopus in stipendarijs fratrum, duas villas, vnam Auesnas videlicet reddidit, alteram verò Tiliodium contulit, vt seruitus Dei augeretur, & numerus fratrum multiplicaretur. Ipse etiam Pontifex Episcopalem domum superbis ædificijs sublimatam fundauit.

Monast. S. Autberti ampliatum & locupletatum.
Auesna.
Tiliodium, Gal. Tiloy.

*De obitu Ottonis tertij Imperatoris, & succedente * Heinrico.*

g. Einrico.

CAP. CXIV.

INterea verò obortis simultatibus inter Comites, Balduinum videlicet Flandrensem, atque Arnulfum Valentianensem, asperrima excreuit discordia, quæ vsque ad bellum procedens, quietē huius ciuitatis plerumq; interpolauit. Nam quia Erluinus Episcopus cum Arnulfo Comite, vtpote cum communis deditionis sub Imperatore consocio, familiaritatem habebat, Balduinus ciuitati huic multas incommoditates irrogabat. Grauius etiam furori incubuit, vbi mortem Imperatoris tertij Ottonis audierit. Eodem tempore Imperator Romam profectus, in antiquo palatio, quod est in monte Auentino versa-

Balduinus Barbatus.

Afflictio ciuitatis Camera. ex bello Comitum Fland. & Valentianens.

Imperatoris Heroicus conatus in restaurando tum Imp. Rom. tum ecclesia.

versabatur, & sicuti iuuenis, tam viribus audax, quàm genere potens, magnum quiddam, immo & impossibile cogitans, virtutem Romani Imperij ad potentiam veterum regum adtollere conabatur. Mores etiam ecclesiasticos quos auaritia Romanorum prauis conmercationum vsibus vitiabant, ad normam prioris gratiæ reformare æstimabat. Vt autem efficacius hoc perfeciſſet, ſummam familiaritatis gratiam exhibebat Romanis; ipſoſq;, vt locorum accolas, & morum ac conſuetudinum gnaros, ſuis Teutonicis præferens, conſiliarios ſibi habebat, & primos. Nimirum bene & ſatis aſtutè diſpoſitum, ſi effectum contingeret. Sed neutrum habitum. Quò enim inclinatiorem Romanis præſtabat gratiam, tantò ceruicaciorem prodidere ſuperbiam. Plerumq; etenim maxima familiaritas contemptum parit. Porrò cùm & legis obſeruantiã & iuſtitiæ normã æquo moderamine exerceret, mox oborta indignatio, mox de amore in odia efferati, vt ſe habet eorum effrenis inæqualitas morum, amicitiam ſeditione mutarunt. Tantoque proceſſu creuit diſcordia, vt facto impetu, Mazelinum quendam præclarum iuuenem, Imperatori familiarem, perimérent. Deniq; & ipſum Imperatorem coacta manu

valida, in iam dicto palatio ita clauſere per triduum, vt nec ei alimenta ferri, nec quis aut exire, aut introire ad illum potuerit. Vixq; euaſiſſet periculũ, ni Einricus Dux Baioariæ, qui, vt in cõſequẽtibus liquet, poſt hunc infulas regni induit, Hugoq; Marchio Italiæ, tempore ſubuenirent. Hi nimirũ, ſicut in ſuis caſtris extrinſecus erant, ſubita rerum conuerſione attoniti, quid intenderent addubitant, præruptamq; hoſtium audaciam, verbis cõſultius mitigandã, quàm armis æſtimãt excitandam. Horũ itaq; furorem pacificè conuenientes, verborum mollitie lactãt, dicenteſq; ſe pacem interpoſituros, aditũ ſoluta obſidione impetrarunt. Qui ad ſeniorẽ ingreſſi, manum obſidentiũ inuincibilem, nullã ſibi tutam ſpem, niſi transfugio intimarunt: ideoq; ipſum, clam hoſtibus, foras callidè eduxerunt. Sic itaque Imperator cum Gerberto papa, qui cognominabatur Silueſter, Roma egreſſus, Rauennã, & alias prouinciæ vrbes peragrat, & ad vlciſcendã irrogatã iniuriam cogit auxilium. Dum hæc verò intenderet, morbo correptus, morte præuentus, anno Dominicæ incarnationis Ī. ĪĪ. diem clauſit. Ipſe verò anno antequam moreretur, multa prodigia in cælo viſa

Ottonis Imp. periculum à Romanis.

Syluester ij

Mors Imp. 1002. Sig.

visa sunt. Nam quadam die XVIII. Kal. Ianuarij, circa horam nonam quasi quædam facula ardens fisso cælo cum longo tractu instar fulguris, terris delabitur, tanto sanè splendore, vt non modò qui foras in agris, verùm etiam in tectis, irrupto per quæque patentia lumine, oculos ferirẽtur. Ipsa verò cæli fissura, dum elementis in se inuicem remeantibus, sensim euanescceret, interim, mirabile dictu, quasi in similitudine serpentis, crescente quidem capite, cum cæruleis pedibus visa est figurari. Et hoc non sine grandi admiratione, multis spectantibus, paulò post disparuit. Ipso etiam anno cometæ apparuerunt. Siquidem Imperator contra Romanos cum multa expeditione committere bellum profectus, diem obijt, sed inde à Principibus suis, Ducibus, Episcopis honorificè reuectus, in ecclesia Aquisgrani sepultus, in pace quieuit. Post cuius decessum Principes Lotharienſium Heinricum Heinrici præmissi Ducis Baioariorum filium, sibi legunt ad regni imperium, virum videlicet moribus pium, consilio prouidum, bello strenuum, defuncti Imperatoris proximè consanguineum. Ipse verò Balduinus interim multa manu collecta Valentianense castrum obsedit,

Henricus ij Bauarus Imp. 1002

sedit, atque Arnulfo, quia longè numero erat inferior, expulso, vendicare præsumpsit. Quibus ita gestis, Heinricus Rex excitatus, Balduinum sæpe ad iustitiã vocauit: sed semper renitens, vocationes eius spreuit. Rex itaque paucis post diebus, multitudine suorum Principum fultus, immo etiam cum Rotberto Rege Karlensium, sed & pariter cum Richardo Duce Rotomagensium, idem castellum cum indignatione aggressus, super Balduinum irruit, sed exigentibus peccatis populi, immo & aliquot suorum fraude detrectantibus, frustrata spe, nihil proficiens in sua remeauit.

Imperator Valentianas contra Balduinũ obsidet an. 1006. Sigebert. Meyer.

Timens Balduinum Episcopus ad regem vadit.

CAP. CXV.

POstea huius obsidionis incentorem Erluinum Episcopum Balduinus existimat, ideoque in ipsum & in viscera totius vrbis districtam vltionem se facturum esse minatur. Vnde Præsul perterritus, ciuitatis statum & reipublicæ negotium Archidiaconis & primis militum commendauit, & ne incautè ab ipso minace tyranno opprimeretur, Regem expetijt.

petijt. Vbi sanè tam diu demoratus est, donec videlicet Rex, coacto multo milite, castrum Gandauum, ad deuastandã terram inuadit, captisq; aliquot ex Balduini primis militibus, adeò Balduinum perterrefecit, vt mox suus effectus, ad totius generis satisfactionem veniens, castellum Valentianense ei reddiderit, datisq; obsidibus cum sacramento quoque, fidelitatem & pacem ei seruaturum esse in antea spoponderit. Postea tamen grauibus & multis seditionibus premitur, & ideo Balduino, vt sibi esset auxilio, castellum hoc Valentianense beneficiauit.

1007. *Sig. Meyer.*

Valencene Flandro in beneficium date.

De rabie Fulradi Abbatis, & quòd, deiecto illo, Abbatia donatur Richardo.

CAP. CXVI.

VNde Pontifex aliquandiu pacem adeptus, sed ab insolentijs præmissi Fulradi minimè feriabatur, qui easdẽ turpitudines quas Rothardus sopierat, redintegrare nullatenus cessabat: & quia Episcopus eum sæpe vocatum districtè, & canonicè arguebat, inter illum & Comitem Balduinum, vt suprà diximus, falsas commentationes discordiarum seminabat, sanè Comiti deferens, habere se suprà

cap. 106.

dicta

dicta priuilegia. Infælix ille, qui beatum Auguſtinum non aduertebat memoriæ dicentem: Malè illos diſputare cõtra claues eccleſiæ, qui auctoritatem eccleſiaſticam quam in Epiſcopis cõſtat fateri, cõtendunt adnullare. Alioquin eccleſia quæ in Epiſcopali auctoritate habetur, poteſtatem ligandi atque ſoluendi neutiquam habere valeret. Ille autem ſacros monitus Epiſcopi paruipendens, magis magiſque lenocinijs inſiſtebat, & ab inceptis prauitatibus minimè deſciſcebat. Vnde ab Erluino nõ minus quàm antea à Rothardo ſæpe publicè reprehenſus, ſed conſtanter reſultans, & ſe procaci calliditate defendens, tamen vinculo anathematis obligatur. Præterea verò ad cumulum ſui furoris, & ad augmentum ſuæ damnationis, incẽtore quidem diabolo, motus adueꝛſum Pontificem, tanti tuꝛgoris ceruicem erexit, vt multa manu coacta, conſentiente Comite Balduino, ſuper bona eius quæ in territorio Atrebatenſi erant, incendia perpetrauerit. Diuina tamẽ clementia diſpenſante, enormitas ſuorum ſcelerum nequaquam diu latere potuit Comitem, ſed planè deprehenſus, calumniarum precium luit. Comes namq; illius nequitiarum ſtudia tandem aduertens,

Fulradus abbas S. Vedaſti excommunicatus miſcet omnia.

r. circumuentum. diu se * circumscriptum fallacijs, cõscius indoluit, illiusque delationes magis dolo congestas, quàm fide suffultas intelligẽs, in ipsum delatorem omnes causas iure transfudit. Namque Atrebati, in ipso claustro monachorum statuto consilio, Episcopum, vtpote præceptorem & magistrum ecclesiæ, inuitauit; ponensq; rationem cum fratribus, qualiter Fulradus Abbatiam eatenus moderatus est, Episcopo audiente, quæsiuit. Comperto autem quòd nihil religionis interiùs doctrinauerit, exteriusq; bona malè dissipauerit, legaliter & canonicè reprehensum in custodia Episcopus misit, summamque abbatiæ Heribertus boni testimonij monachus sumpsit. Hic perfectæ & inreprehensibilis couuersationis ac religiosæ simplicitatis plenus, sed ad tanta reparanda & reordinanda, quæ suus anteceſſor destruxit, minus idoneus. Quare & huic amotam abbatiam Richardo religiosissimo viro Comes, * prouidente Episcopo atq; ordinante, moderandã cõmisit. Qui in tantum fratres norma disciplinatæ religionis extruxerit, & in tantum res stipendiarias multiplicare exterius laborauerit, vt in nostris vicinijs, Deo annuente, nulla abbatia religione sit præstantior,

Eiusdem abbatis depositio.

a g. præuid.

aut

aut opibus locupletior. Hic etiam, extincta Fulradi malicia, ſemper domno Epiſcopo cum tota reuerentia ſubiectus extitit, eiſque in omnibus ſicuti decet, intemerato amoris ſignaculo, obſecundauit. Fulradus verò rapta ſecum pecunia, quam de rebus ſancti Vedaſti furto ſubtraxerat, Eccleſiam Remenſium expetit, deploratiſque ſuarum erumnarum neceſſitudinibus, Arnulfum Archipræſulem qui tunc temporis eccleſiæ præerat, ſuo conſilio, oblatis muneribus, flectere æſtimauit. Illum namque & miniſtros eius oppignorauit pretio, vt ſibi quaſi per præiudicium depoſito, fortè recurſus ad priuatam gratiam, ipſius auctoritate, pateret. Erat enim ipſe Archiepiſcopus degener animi, & quamuis ſupradictæ inſtitutionis conſultibus præiudicare nullo modo valeret; tamen donorum auidus, recipiebat oblata, ſuæ quidem auaritiæ magis, quàm illius conſulens cauſæ. In cuius ferendo ſuffragio dum aliquanto temporis intentionem ſpei ſuſpenderet, in ipſa vrbe turpem conuerſationem agebat, & cum Iudæis negotia exercebat. Interim tamen miſer morte præuentus, diuina vltione percuſſus, impœnitens, nec confeſſus, diem obijt.

Laus abb. S. Vedaſti, & quomodo ditatæ ſit.

Fulradus malè perit.

De obitu Walteri Castellani.

CAP. CXVII.

INterea Walterus Castellanus graui languore correptus, facta legatione, Episcopum precatus est, vt filio suo Waltero terram suam beneficiaret, eiq; filius, saluo vsu paternæ hereditatis, militaret. Episcopus verò patre intolerabili, filium * procul intolerabiliorem futurum, vt postea probauit euentus, existimans, quod rogabatur abnuit, sed tamen paululum flexus, ita facturum se esse respondit, si prius ei præuaricationes quas contra ecclesiã, & pauperes Christi fecerat, vsque ad satisfactionem emendaret, immo & villam Salliacum, quam inuito Episcopo tenebat, redderet. Porrò istam villam † suæ vxori hoc pacto præstitit, vt ei femineis operibus deseruiret, suiq; senioris malitia quiesceret. Verùm quia Pontifex ipse neutrius vllam commutationem habebat, id est neque vxor promissum obsequium exhibebat, neque viri eius sæuitiam cessare videbat, villam reextorquere quærebat. Ille autem quamuis morti, morbo immedicabiliter fatigante, propinquus, tamen nullo modo emendatio-

r. omit. procul .i. longè.

Salliacum.

Sue, pro eius.

Impius Castellanus.

nis

nis resipuit, suosque milites ad se vocans, ad fidelitatem sui filij sacramento constrinxit. Monens quippe & cohortans, vt si fortè moreretur, filium suum tota deditione cum fide & beniuolentia obseruarent, aduersusque Episcopum pertinaciter sustentarent. Denique intercedente aliquo temporis, Episcopum quoque infirmitate laborantem Balduinus Comes visitare aduenerat, quem Walterus fermè moriens, auxilio sui filij precibus attraxerat. Qui Walterus non multò post cum tanta malicia, dato fine malorum, in ipso languore vitam finiuit.

De eo quòd moriente Episcopo, VValterus filius VValteri domum Episcopalem inuasit.

CAP. CXVIII.

POntifex quoque diutino morbo laborans, diem suæ vocationis expectabat. Walterus verò tam sæuitia quàm natura patrissans, patrem etiam omnimodo referens, aduersus episcopum insanire nequaquam cessabat. Ægritudine enim Episcopi crescebat Walteri ferocitas. Quare Præsul sæpe grauiter motus, vsurpatoris insolentiam virga perpetuæ dam-

nationis ferire disposuit: sed quorundam suorum precibus ac præcipuè Seiheri Lenensis, huius videlicet patrui, flexus, aliquandiu distulit. Hic Seiherus prouidus consultor, nepotis superbiam modò prece, modò minarum asperitate comprimens, iram verò Episcopi iure excitatam, precum lenitate, humiliter lactans, eos nimirum pacauit; eo siquidem pacto, vt Walterus pro admissis xx. libras argenteorum reuadiaret, ac inantea se quieturum esse promitteret. Deinde Præsul blãdè ac leniter exhortatur, vt fidem dictis adhibeat, & si, morte præuentus, in ipso languore hominem exiret, ecclesiam fideliter & viriliter teneat, donec alter pastor succedat. Hoc autem malè oblitterans, † subduxit effectui. Paucis namque diebus interpositis, inualescente morbo, ad dissolutionem corporis Episcopi tota domus increpuit, ita vt mortuus foris æstimaretur. Audito, Walterus continuò lætus, cum multitudine suorum armatus, fractis foribus, domos clericorum furibundus irrupit, quas, & stabula quoque Episcopi, raptis caballis, direptioni cõtulit. Ad cuius furorem, Episcopus iam quidem * marcentibus oculis, viribus destitutis, cum nimia difficultate aures inten-

† .i. *non fecit.*

Impia nequissimi Castellani insolentia.

* *Marcescentibus.*

intendens, ſibi adhuc viuenti inſultari, alto ſuſpirio grauiter infremuit, manibuſque paululum cælo directis, latronem hunc in die vltionis coram ſummo iudice condemnandum inuocans, poſthac cum hac indignatione III. nouas Februarij ſpiritum exalauit.

De tumulatione Epiſcopi.

CAP. CXIX.

INterea, ſuis merentibus, funus exequiali cultu paratur, corpuſque in monaſterio ſanctæ Mariæ cum debita veneratione defertur. In cuius depoſitione, cæteris eiulantibus, Walterus præ gaudio perſtrepens, debacchatur, totus ſiquidem direptioni & latrocinijs deditus. Poſtremò verò, ne † cuius nequitiæ genus prætermitteret, Seihero fratre ſibi adhibito, in monaſterium, vbi exequiæ fiebant, cum furore armatus conceſſit, & nullius reuerentiæ intuitu reuocatus, capellanos vltima obſequia reddentes, ſtricto gladio vſque ad altare ſanctæ Mariæ, miſerabili ſpectaculo, effugauit. His ita turbatis, ſepulturam diſtulit, donec Richardus præmemoratus Abbas Atrebatenſis Cœnobij veniens, in monaſterio

† 1. *alicuius*

Funus impiè prohibitum ſepultura.

cap. 116.

ſancti Autberti ad Aquilonarem plagam tumulauit.

De ſæuitia VValteri.

CAP. CXX.

IAm verò difficile dictu eſt, quàm grauis tempeſtas deſolatæ ciuitati incubuit, quanta ruina reipublicæ ſtatum inuoluit. Nam VValterus, totius tempeſtatis materia, intra vrbem ingenita ferocitate ſæuiebat, ſibiſque ad tantam malitiam Rotbertum Perronenſem adſciſcens, domum Epiſcopalem alienus heres occupare præſumpſit. Qui magis magiſque efferatus, patrijs vſibus temeratis, intolerabiles iniurias miſeris exercuit in ciuibus. Qui enim pecuniam non dabat, in vinculis rapiebatur. Nec minùs etiam raptores exteri, liberam ſibi latrocinandi ſecuritatem in defunctione Epiſcopi præſumentes, circa viciniam graſſabantur, labefactabant omnia. Quod quàm ſit iniquum, iudicio omnium relinquo æſtimãdum, ipſum videlicet, vt dominum, iuxta libidinem cuncta rapere, nec ab alijs ſaltem prædonibus defenſare. Nemo etiam ab iniurijs VValteri feriabatur, niſi qui cum eo quouis modo ſentire videbatur.

tur. Domesticos sanè exsumptuabat, locupletabat alienigenas, vt per eorum scilicet prædicationem in barbaros vsque, bonæ opinionis gloriã propagaret. Creberrimè deplorantium ciuium conquestiones inuicem conferuntur, miseros se non habere patronum, sed expilatorem publicum, nullum aliud sibi futurum remedium, nisi longiùs aliquò secederent, & tantæ bestiæ furori, vel fuga eximerentur. Videm enim sibi tolerabilius quoduis exilium, quàm domicilium domesticum, vbi dies in direptione, noctes verò transiguntur in formidine.

Voi Seiherus frater VValteri ab Episcopij spe decidit.

CAP. CXXI.

VT etiam liberiorem furori auctoritatem pararet, præsumpta adinuentione, Seiherum fratrem ad Imperatorem misit, Põtificio sublimandum. Qui verò in ipso processu itineris, audito, alteri collatum, spe quidem frustratus, ad sua reuersus est.

Ab ambitione quoque huius episcopij legatio Azelini pellitur, Gerardo traditur.

CAP. CXXII.

AD hoc quoque Azelinus ambitiosissimè iam dudũ anhelabat, quem post Rothardi decessum, Sophia fauente, Episcopatui inhiasse prædiximus. Qui etiam paulò antequam domnus Erluvvinus ex hoc sæculo decederet, suæ ambitioni consulere æstimans, suos Imperatori legatos dirigere festinauit, per quos eius beneuolentiam fortasse empturus, ad Episcopij prærogatiuam pertingeret. Huius itaque iussa exequentes, Imperatoris præsentiam aggressi sunt, dominũq; Erluinum morti vicinum intimantes, promissis magnis muneribus, donum Episcopij Azelino expostulant, vt quod post Rothardum nequiuerat, saltem post Erluinum impetrare posse se gaudeat. Qui, cùm finem Episcopi expectare rogati, cum aliquantula spe repatriarent, inter repatriandum siquidem depositionem Erluini audientes, iterum remenso itinere Imperatorem adierunt, Præsulemque

cap. 110.

que defunctum nunciantes, oblatis preciosis muneribus, donum honoris Azelino obnixè popoſcerunt. His autem repulsis, communi suorum vsus consilio, potius Gerardum suum capellanum æstimauit donandum, de quo in tertio libro narrabitur.

Explicit liber primus de gestis episcoporum.

INCI-

INCIPIT SECVNDVS DE MONASTERIIS QVÆ INFRA EPISCOPIVM CONSTANT.

PRAEFATIO.

DE gestis Episcoporum, prout memoria occurrerit, dicto, & de diuersis eorum actibus, quantum ariditas ingenioli patitur, vsq; ad postremitatem domni Gerardi Episcopi, qui nunc est, pertractato, primus liber finem expostulat. Secundus verò, vt ab ipso domno Episcopo incipiat, videtur ordo exigere. Sed eo ad tempus relicto, de monasteriis quæ infrà ditionem Episcopij sunt, facta interim ordinis interruptione, decreuimus disserere, monstrantes sanè qui locus, qui cultus, quæue sanctorum corpora, vel cuius generis sunt seruientes. Dicturi itaq; de singulis, à monasterio beatæ & glorioſæ Dei genitricis Mariæ exordium capiamus, vt quod videlicet capitali titulo cæteris præstat, cæteris etiam iure præferatur.

Monast. S. Mariæ Camerac.

Primò

Primò de monaſterio ſanctæ Mariæ, & de quodam homine inibi periclitato, & poſtea ſoſpitato.

CAPITVLVM I.

NIMIRVM iſte eſt locus, quē diuinis miraculis ad laudem & honorem matris Domini plerumque audiuimus illuſtrari, ſed per negligentiam ſcriptorum obſoleta, memoriæ ſubtrahi condolemus. Nos autem pauca de multis, quæ aut à videntibus accepimus, aut ipſi nuper vidimus, tacere non patimur. Nam tempore Erluini Epiſcopi accidit, vt quidam cæmentarius ſiue carpentarius, Helfridus nomine, exigente rei neceſſitate, campanarium monaſterij huius ſcanderet, pede verò fallente, per lubrica lapſus, ſemianimis in ipſo choro, multis ſpectantibus, humi corrueret, tanto ſanè impetu deuolutus, vt ſi quis ariolus eum victurum fortè promitteret, ſciſſura effoſſi pauimenti vbi cecidit, præſagium procul dubio poſſe refellere videretur. Diſſolutio enim pauimenti, quæ diu affuit, teſtabatur difficultatem periculi, mortemq; vicinam,

cinam, desperata omnino salute, potius vadabatur. Ad hunc mox derepente cum stupore, & affectu humanæ miserationis concurritur, & in tam subito casu miserabiliter condoletur. Huius verò familiares mærore affecti, dominum triste inculabant, ac maximè in sanctã Mariam eulogiosè fremebant, dicentes: Quare illi obsequium exhiberi quæ seruientem sibi periclitari sustinuit? Denique apprehensus in lecto ponitur, ac non spe salutis, sed potius affectu humanitatis, medicinalibus curis diligenter & impensè perunguitur, paulatimque refotus, postea tamen, meritis credo sanctæ Mariæ subuenientibus, saluti restitutus, longo post tempore vixit. Multos etiam à varijs cladibus liberari fama certissima constat.

De campanario cadente, sed meritis sanctæ Mariæ in erectione reducto.

CAP. II.

NVper verò domnus Gerardus Episcopus caput monasterij cum crypta ampliare, & vt iam * penè consummato labore apparet, meliorare disponens, vetusta ædificia funditus iussit euerti. Cùm ergo operarij, iuxta dispositum, vno eodemque

* *plenè*

demque ſtudio, ad diruendos parietes diu luctarentur: iam parte ſiquidem conuulſa, ſubitò crebris ictibus vetuſtæ maceriæ præ antiquitate nutantes, culmine diſrupto, plus æſtimato, vſque ad locum campanarj, vaſtam, cum nimio fragore, traxere ruinam. Quo fragore clerici ac laici, puſilli & magni omnes attoniti, ſubitò à domibus proſiliunt, ac imminentis ruinæ periculum conſpicantes, magis in caſu campanarij contriſtantur. Huius enim moles quò editior, & quò amplius campanarum pondere grauabatur, tantò promptiorem, ſed & grauiorem ruinam minabatur. Adeò etenim in Orientem ſe vertit pendula grauitate, vt nemo aſpiciens, iacturam illius propiore periculo dubitare potuerit. Populo autem clamante, & Dei miſericordiam poſtulante, mox mirum in modum, meritis, vt credimus, & interceſſione glorioſæ Dei matris, ſuſpenſo paululum caſu, in erectione reducitur, tectumque reliquum, ceſſante fuſura, ſolidatur. Trabes verò de ſuperioribus ædificijs diuellitur, & ſuper cornu altaris ſanctæ Mariæ, quod Epiſcopus intactum manere præcepit, omne comminuit. Quo fuſo, pignera ſanctorum, quæ olim in conſecratione ipſius altaris poſita

sita fuerant, diuino nutu illæsa reperiuntur.

De fratre Episcopi inibi curato.

CAP. III.

a Helbertus. ILlic etiam modernis diebus * Elbertus frater Episcopi, de laico monachus factus, vt nos ipsi palam vidimus, de longa infirmitate sospitati redditus est. Hic nimirum, gratia fraternæ visitationis, Cameracum venire disponens, dum iter carperet, tanto langore corripitur, vt peruenire non posset: sed in ipso itinere apud *Monast. S. Præiecti martyris.* monasterium Præiecti Martyris, exceptus à fratribus, diutinum tempus sub intolerabili dolore exigeret. Vt verò parum medicinali ope refotus, vix equo insidere potuerit, ad fratrem, non facilè tamen, fecit se baiulari. Vbi etiam diu tam grauiter elanguit, vt mox * moriendum asse- *r. Morituruum.* rerent. Contigit autem, vt post longam ægritudinem, nocte solemni beatorum confessorum, scilicet Vedasti atque Amãdi, matutinos celebraturus, monasterii ũ sanctæ Mariæ, sumptis baculis, ingredi æstimaret. Qui mirabiliter à Deo visitatus, adeo conualuit, vt dimissis paululum baculis, quibus sustentabatur, erectus, ipso die remedium morbi, non sine multorum admi-

admiratione, ſentiret. Quod donum meritis ſanctæ Dei matris, & prælibatorum confeſſorum poſſe adſcribi non dubium eſt.

De ſitu monaſterij S. Gaugerici patris glorioſiſsimi.

CAP. IV.

POſt monaſteriũ ſanctæ Mariæ, beati etiam Gaugerici glorioſiſſimi confeſſoris Chriſti, & eiuſdem vrbis Epiſcopi, ſecundo in loco non inconuenienter ſubnectere æſtimauimus. Multum etenim decet, & bene congruum eſt, vt cuius pa-
trocinio ſub prælatione matris Dominicæ ciuitas Cameracenſis ſuſtentatur, cuius nominis præconio illuſtrata ſublimatur, eius quoque domum in hoc opuſculo iuxta domum eiuſdem Dominæ virginis cõſequenter ponamus. Tempore namque huius Pontificis, vt ipſius vitam legentibus liquet, in vertice montis, vbi nunc monaſterium eſt, habebatur veteris dementiæ lucus, ritibus videlicet dæmonicis, priſcis temporibus, ad ſubuerſionem animarum ab idololatris dedicatus. Vnde vir Domini gaudenter memorandus, diuino conſilio afflatus, lucum ſuccidere

cap. vlti.

Cameraci vbi monaſt. S. Gaugerici antè fuit lucus dæmoniorũ.

æstimauit, atque idolis stirpitus euersis, basilicam in honore beati Medardi construxit. Sicque locum spurcitijs deditum fecit orationis & sacrificij domum, sanè sibi præuidens inibi suæ dormitionis mausoleum, & gratæ mansionis habitaculum. Cùm enim post trigesimum nonum sui Episcopij annum cunctipotens Rex, sed & dispunctor largissimus, suum militem fortissimum, sudoribus suis responsurus, ad remunerationem vocasset, in eadem basilica, vt antè destinauerat, honorificè tumulatus, resurrectionis diem expectat. Mox igitur Reges & Principes, ac potentissimi quique, signis & prodigijs, quibus ante obitum multifariè coruscauerat, excitati: ac multò amplioribus, quæ per eius merita misericors & miserator Dominus post obitum indesinenter operari dignatus est, attoniti; ad sanctissimi viri sepulchrum, diuersis ex partibus, confluxerunt, tantique viri patrocinio sese iuuari implorantes, opulentissima munera obtulerunt. Statimq; ex affluentia rerum, cum omni sedulitate, monasterium ampliatur, fratrumque numerosa cohors ad seruiendum Deo, & suo sanctissimo confessori, in perpetuum delegatur. Hæc autem domus in montis supercilio sita, apertè

S. Medardus.

apertè insinuare videtur, ipsum videlicet mansorẽ egregiũ, semper terrena calcasse, cælestibus toto desiderio inhiasse. Exin verò locus ex diuersi generis ope ditatur, multisq; beneficijs virorũ bonorum adeo augmentatur: vt non modò circum & circa viciniam, crassiores vberioresque villarum colonias; verùm in longè remotis regionibus, vt scripta quæ in archiuo ecclesiæ sunt, attestãtur, diuersa, &, vt ita dicam, † totius generis emolumenta donarent. Qui locus olim tam elegantia, quàm tota oportunitate præeminens, vniuersæ prouinciæ gratiam multiplicem, & maximum honorem præstabat, vrbemque excellentia suæ dignitatis quàm plurimum insignibat. Erat enim veneranda atque regalis Abbatia, ex omni sufficientia florens, cuius multiplici gratiæ nihil conferre putares. Sed postquam, vt in primo libro breuiter tetigimus, sub persecutionibus primò paganorum, deinde Hungarorum, cum cæteris quoque Galliarum ecclesijs, mortalium culpis exigentibus, cum omni thesauro miserabiliter populata, subuertitur; non solùm ad gratiam prioris status reformari non potuit, verùm &, quod dolendum est, magis magisque deiecta in præcipitium ruit.

† 1. *omnis.*

lib. 1. *c.* 3. 59. & 74.

Quia enim rectorum imbecillitas, tam varias, & tam in diuersis partibus possessiones longè diremptas, & propè positas, sua prouidentia simul cohibere non poterat, vicini raptores improbissimi quiq;, vitiato iam quidem sæculo, quod boni pro salute & remedijs animarum contulerant, vt se habet amor humanæ *ambitionis, abstulerant. Quod etiam peius est, ne ipsi quidem rectores quidam, quin raperent, cleperent, detraherent, fraudulentiæ technam declinauerant. Et quid dicam? Olim frequentior numerus fratrum, nunc ad quinquagenos præ inopia derivatur, qui, domno Gerardo Episcopo satagente, cotidianum victum in refectorio communiter sumunt. In huius autem patris nostri memoria & veneratione, monasteria, sed & frequentiores basilicæ, non tam in propè, quàm in longè positis regionibus constructæ sunt, vbi beneficia petentibus diuina præstantur, & ad laudem & gloriam confessoris sanctissimi, multa & inenarrabilia virtutum prodigia, diuina clementia operari dignatur. Ea verò quæ huc aut à certis relatoribus contigisse accepimus, aut nos contingere semper cernimus, modum præ pluralitate excedũt, nec vllo numeri termino

r. cupiditatis.

termino claudi poſſunt. De quibus maximam partem inuidæ auræ ſe rapuiſſe lætantur: pauciſſima verò, quæ non potuere celari, in primo libello ſuccinctè perſtrinximus, pleniſſimè tamen in illo volumine, quod de vita ipſius inſcribitur, ſi cui libet, poterit inuenire. *cap. 15. & 74.*

De energumeno ſanato.

CAP. V.

SEd vt hæc pagina ſanctum & gaudioſum nomen ſe habere lætetur, & rideat, pauca ex his quæ vel ipſe iuuenculus moderno tempore vidi, annectere ratum duxi. Præter quamplurimos namque vtriuſque ſexus freneticos, quos illuc videram ſoſpitatos, vnum ſeorſum dicam, cui nullum præ nimietate furoris æſtimo comparandum. Iſte namque ore ſpumans, dentibus frendens, licet manus poſt terga reuinctus, & à ſuis miſerè cæſus, vix tamen teneri poterat, quin ex totis viribus, omni bachaniæ, imperterritus, diabolo violentiam ſuggerente, vacaret. Semper enim illicita loquebatur, derepente inſiliens, homines incautos plerumque mordebat. Ad monaſterium verò beatiſſimi confeſſoris *Multi phrenetici curati ad S. Gaugericum.*

magna difficultate perductus, non minus per aliquot dies ſæuire videbatur, ita vt nemo ſe illi obuium dare auderet. Nec longum tamen, pio intercedẽte patrono, à ſuperno medico miſericorditer viſitatus, ſanæ & integræ mentis opem, recepit, ſuiſque cum gaudio ad ſua reuerſis, ipſe Gerardus (hoc enim illi vocabulum) in monaſterio, Deo & ſuo ſanctiſſimo confeſſori famulaturus, manere * æſtimauit. Vbi cùm diu ſumma deuotione familiariter deſeruiret, contigit, vt eum quadam die, gratia viſitandi paternam coloniam inuitaret. Ad quam cùm tenderet, nec longè quidem adhuc diſtans, ſacerdotem canitie decorum, vultu habituque venuſtum, vt ipſe referre ſolebat, obuium habuit, qui eum interpellans verbis huiuſmodi: Quò tendis, inquit. Et ille. Iam dudum eſt, domine mi, quòd ſanctiſſimo patri Gaugerico pro collatis beneficijs deſeruio, nunc autem parentes quid faciant viſitaturus, ad patriam remeare exæſtuo. Melius eſt, inquit, tibi, vt mãneas, ne fortè collati beneficij videaris ingratus. Hic autem cõceptis paternæ gratiæ affectibus, datos poſtponens monitus, dum paululum procederet, mox multò peius quàm antea à dæmonio corripitur,

v. decreuit.

tur, adeo videlicet dementatus, vt occurrentes sibi quosque lapidare prorsus intenderet. A multis verò nõ facilè captus, loris nexus ad monasterium iterum attrahitur, & quia contra fidem catholicam conuitia, diabolo doctore, iactabat, nunc minis tunditur, nunc flagellis quatitur, nemo tamen rabidioris falsificam garrulitatem compescere potuit, donec inter flagella & vincula, ante sancti viri sepulchrum prostrato, ex lassitudine somnus obrepsit. Qui cùm verò post aliquantulum expergefactus, surrexisset, mox diuinitus mente recepta, cunctis admirantibus, & præ gaudio illacrymantibus, cum magna confusione pudoris & pœnitẽtiæ, ante sepulchrum prosternitur, confessus culpam, veniam erroris deprecatur. Denique compos animi omnino effectus, monasticis se obsequijs fideliter mancipauit, non ausus quoquam vltra secedere, donec post multum temporis, à fratribus sumpta licentia, Romam obtinuit pergere. Notandum verò beatum Gaugericum procul dubio extitisse, eum scilicet sacerdotem, quem illi paulò antè diximus occurrisse.

De contracto ſanato.

CAP. VI.

EST adhuc homo in monaſterio ſeruiens, Hildebertus nomine, quem poſt longam ægritudinem, meritis ſancti viri ſolpitatum cognoſcimus. Hic nimirum per totum ferè anni circulum; neſcio cuius generis morbo adeo angebatur, vt maxima parte corporis præmortua, circa humanorum vſuum ſtudia nullo officio fungeretur. Huius, pro reſtitutione ſalutis, pater, in frequentibus medicorum conductionibus, portionem ſuæ ſubſtantiolæ, abſque vllo profectu ſe erogaſſe dolebat, nec * quid intenderet reperire valebat. In hac itaque mæſtificationis perturbatione ſollicito, occurrit tandem ſanum ac ſalubre conſilium, vt beati videlicet Gaugerici expeteret medicinale ſuffragium: ſanè vbi infirmi perſæpe ſolerent accipere ſanitatem, inergumini quique, ſiue lunatici liberarentur. Statim ergo facta deliberatione, ægrotum vehiculo impoſitum, ad monaſterium attulit, ponenſque ante ſepulchrum, ipſum quidem ſi ſaluti redderetur, obſequijs beatiſſimi Gaugerici inperpetuò mancipandum

* *quod.*

dum deuouit. Cur producam ſermunculum? paululùm iacuit, diuinæ medelæ adeptus eſt gratiam. Pro tantiſque beneficij compendio, monaſticis vſibus deſeruiens, poſtea in monaſterio conuerſatur.

De incendio meritis S. Gaugerici extincto.

CAP. VII.

ANno Dominicæ incarnationis CCCCXXVII. ID. Iulij oborta eſt in ipſa ciuitate vaſta peſtis incendij, quæ iam ciuitatis magna parte combuſta, furentibus ſiquidem flammis, ventis agitantibus, inualeſcens, ad domos etiam prope ſancti viri monaſterium ſitas vſque peruenerat, ac ineuitabiliter correptas, edaci populatione inuoluerat. Iam verò maioris metus cauſa, de ſuſpecta templi conflagratione exoritur. Non enim fortaſſe dubium, quin ſi proxima domicilia cremarentur, ipſum & monaſterium igne raperetur. Flammis autem inualeſcentibus metus amplior incubuit, globiſque volantibus, totus tam populus, quàm clerus, ſublato in cælum clamore, infremuit. Moxque duo ex clericis, de ſententia cæterorum,

terorum, ſanctum ſepulchrum celeriter adeuntes, præſumpta quidem de timore audacia, thecam argenteam ſanctiſſimi corporis extrahunt, curſimque tollentes, flammis furentibus obuiam ferunt. Statim ergo, diuina clementia operante, meritiſque ſancti viri ſuffragantibus, ita totus ignis ſubmiſſo furore obtorpuit, vt rorulento deſuper imbre reſperſum æſtimares. Multa etiam occurrunt referenda, ſed anguſta breuitas libelli non patitur. Quid verò de multitudine diuerſorum languentium loquar, qui illuc cotidie cõfluentes ſanitatem recipiunt? Quid hæc dicam, cùm amplius viſu quàm dictu sẽper appareant. Nuper ſanè & meipſum febribus intolerabiliter laborantem, ſoſpitati, Deo gratias, reſtituit.

Scriptor ſuam ſubinfert moleſtiam.

CAP. VIII.

MAxima incommoditas febris, quæ me diu tenuit, verba modò ſuccingere cogit. Licet enim modò, pulſa moleſtia, Deo gratias, pauliſper in corpore conualeſcam, adhuc tamen ipſo recenti dolore mens ſauciata labaſcit, nec ei virtus integra ad plenè ſcribendum ſufficit.

ſufficit. Huius ergo opuſculi negotium ſtricto calamo interim proſequamur.

De S. Autberto.

CAP. IX.

SAncti Autberti monaſterium ad pau- *S. Autberti monaſt.*
cos canonicos, ſitum eſt intra mænia vrbis. Vbi ſiquidem petentibus diuina præſtantur beneficia, & Deo cooperante, ad ſui confeſſoris gloriam multa fiunt prodigia, quæ raritate ſcriptorum & ignauia, memoriæ certum eſt eſſe ſublata.

De Hunulchort.

CAP. X.

TRanſeamus ad monaſterium ſancti *Vide lib. 1. c. 26.*
Petri in villa Hunulcurt, vbi ſanctam Pollinam requieſcere, ſcripto reperi. Hoc nimirum illuſtris vir, Amalfridus nomine, cum vxore Childebertana fundauit, deputatiſque ſanctimonialibus, filiam ſuam Aurianam præfecit, fuitque olim religione florens & opibus, *Monaſt. militibus applicatũ*
nunc autem, poſtquam viris militaribus beneficiatum eſt, ad paucos canonicos deriuatur.

S. Pollina.

De

De villa Barala.

CAP. XI.

IN vico etiam, qui Barala ab incolis nomen accepit, monaſterium canonicæ congregationis extitit à Clodoueo quidem Rege, vt ferunt, conditum, & à beato Vedaſto in honore ſancti Georgij conſecratum. Illic enim brachium eiuſdem martyris habebatur. Hoc autem locupletiſſimum & venerabile, columnæ marmoreæ, & antiqua pulchra ædificia, quæ adhuc ſuperſunt, fuiſſe teſtantur. In diebus autem Dodilonis Epiſcopi, videntes canonici Nordmãnorum bachaniam circa iſtam prouinciam vbique deſæuire, &, vt ſuperius memorauimus, profanatis ſacris cultibus, ſanctas Dei caſas incendere; ſacras reliquias cum ſuis quibuſque neceſſarijs in noſtram eccleſiam attulerunt, ab ipſo nimirum Epiſcopo humanè ſuſcepti. Vbi per aliquod temporis demorati, cùm iam aduerſariorum deceſsionem arbitrantes, ad ſua repedandi licentiam flagitaſſent, nolens Epiſcopus eis adquieſcere, ad tempus monuit differendum. Sanè hoſtium præcauere perfidiam, eorum

Monaſt. S. Georgij in Barala.

S. Georgij brachium.

lib. 1. cap. 59.

rum reditus ſuſpectos doli, ne temere crederent vanæ opinioni, certam ſecuritatem potius expectarent. Audientes ergo ſic Epiſcopum, manſerunt aliquandiu. Paucis verò poſt diebus interpoſitis iterum adeunt Epiſcopum, aſſerentes hoſtem excedere, omnia tuta, ſecurum etiam ſibi patere receſſum. Ad quos Epiſcopus. Quænam, inquit, vos mouet temeritas? quod aſſeritis non credo, ſed fortaſſe vos fallit opinio; manete adhuc moneo, ſtate, nihil apud me veſtris vſibus interim defuerit. Porrò gens illa ferox eſt & callida, nulli parcens, ſi incauti incideritis, maturior auſus ſeriorem luet pœnitentiam. Illis autem contrà obnixè flagitantibus, & omnia tuta procul dubio aſtipulantibus, adiecit. Cùm hæc ita ſit veſtra ſententia; eſto, in veſtra manu deliberationem conſtituo: illud tamen pignus precioſi brachij apud me retinebo, Hoc quodam præſagio ita diſponens, ne, ſi videlicet, quod poſtea probauit euentus, aduerſarij incurſarent, theſaurus tanti ponderis diſperiret. Accepta itaq; huiuſmodi licentia, paratis viaticis, cum tanta obſtinatione remeare cœperunt. Dementes qui ſuprà poſito pontificis non adquieuere conſilio. Nec-

dum

dum enim tribus milibus iter ab vrbe cõfecerant, cùm ab improuiſis hoſtibus intercepti, gladio ceciderunt. Monaſterium quoque * ſuum diruitur, tota vicinia circum & circa, præter munitiones, malè diripitur. Eccleſiolæ verò reædificatæ vnus tantùm ſacerdos poſtea præfuit, illudque ſacrum brachium apud nos taliter hodie vſque remanſit.

v. omne.

Sainct en Arthois.

De villa Sanctis.

CAP. XII.

Monaſt. virginum S. Saturninæ.

NEc procul hinc apud Sanctos (id loco vocabulum) puellarum baſilica, vbi ſancta Saturnina quieſcit, traditur extitiſſe. Porrò hæc virgo de Germania præclaris natalibus orta, à pueritia ſuam virginitatem Domino vouit, quam cùm parentes iuxta ritum ſæcularem maritare diſponerent, integritatem pudoris cæleſti ſponſo ſeruare mallens, viriles thalamos procul abhorruit. Videns autem quia aut voluntati parentum non poſſet reſiſtere, aut proterui ſponſi appetitum euadere, à paternis ædibus latenter egreſſa, fugam iniit, & ad hanc viciniam vſque perueniens, iuxta prædictum vicum curſum vitæ martyrio conſummauit. Nam

S. Saturninæ vita & martyrum.

vir

vir ille cui pacta à parentibus erat, palantem vsque ad ipsum locum persecutus est. Quem cùm post tergum virgo venerabilis eminus prospexisset, tota intremuit, & quomodo se morsibus infestantis bestiæ eximeret, nescit. Quid enim faceret? mox, vti erat animal simplex, pastoribus, qui * illuc gregem pascebant, absconden- *r. illic.*
da se interserit, taliterque quærentem latere æstimauit. Quod tamen iuuenis aucupatus, vt lupus esuriens super innocentem ouiculam irruit, euaginatoque gladio decollauit. Quæ mox, vt antiquitas relatorum audet asserere, proprium caput manibus sumpsit, populoque spectante vsque in ecclesiam, quæ in ipsa villa, in honore sancti Remigij aderat, deportauit. Ad cuius ergo venerationem, à fidelibus Christianis facto monasterio, puellaris congregatio delegatur, sed prædictis causis intercipientibus, ad vnius presbyteri obsequium redigitur. Est autem antiqua relatio, quòd longo post tempore Saxones, incertum qua causa, ad hanc vicini- *Saxones partẽ corporis S. Saturninæ asportant.*
am deuenerunt, & per ipsum vicum transeuntes, audita quidem sacra opinione, partem corporis sacræ virginis asportarunt,

De

De monasterio Sanctæ Mariæ Atrebatensium.

CAP. XIII.

VEniamus nunc ad Atrebatense territorium. Monasterium namque sanctæ Mariæ, vbi quondam Pontificalis cathedræ principatus fuerat, quadraginta canonicos habet. Illud verò modernis diebus Rodulfus ipsius ecclesiæ Thesaurarius, consilio domni Gerardi Episcopi, ampliauit: essetque locus venerabilis, & minus indigens, nisi fastuosa Flandrẽsium Comitis excellentia, quæ iuxta supereminet, aduersari aliquando consueuisset. Ibi verò iuxta altare Dei genitricis Mariæ, quod beatus Vedastus suis diebus consecrauerat, anno quidem secundo Gerardi Episcopi, multæ & multum pretiosæ sanctorum reliquiæ inuentæ sunt, ad quarum illustrationem diuersa miracula, per tres circiter annos, diuina clementia operata est. Leprosi enim mundati, contracti humanis vsibus solidati, multique à diuersis languoribus curati, sospitate donantur.

Reliquiæ Atrebati inuentæ.

De

De S. Vedaſto. *S. Vaaſt.*

CAP. XIIII.

IN caſtro verò Atrebatenſi, monaſterium ſancti Vedaſti, quod ſuprà diximus à ſancto Autberto fuiſſe cõſtructum, monachorum religione lætatur, multiſq; virtutum prodigijs cælitus illuſtratur. *Monaſt. S. Vedaſti. lib. 1. c. 19.*

De duabus baſilicis.

CAP. XV.

HVic etiam * infra idem caſtrum, duæ baſilicæ iuxtà ſubiacent canonicorum, vna videlicet in honore ſanctæ Mariæ, altera verò ſancti Petri Apoſtoli. *v. intra.*

De Maraculo. *Maroeul.*

CAP. XVI.

EST etiam in vico Maraculo monaſterium Canonicorum, vbi ſancta quieſcit Bertilia, quæ hoc ipſum ſuum prædium ſanctæ Mariæ tradidit. *Maraculẽ S. Bertilia.*

De Albiniaco. *Aulbigny.*

CAP. XVII.

RVrſus verò in vico Albiniaco monaſterium eſt canonicorum, ſancti *Albiniacũ.*

S. Chilianus. videlicet Chiliani, qui Scotus fuisse traditur.

De Monasterio S. Vindiciani.

Monast. S. Vindiciani in Mon. S. Eligij.

CAP. XVIII.

ITem in monte sancti Eligij (sic enim locus dicitur) canonicorum quoque est monasterium sancti Vindiciani Cameracensium Episcopi, quod postquam viris militaribus infiscatur, pro immunitione rerum, ad raritatem fratrum redigitur.

De Lucau, & Pas.

CAP. XIX.

Lucheul. Pas en Arthois. PRæterea in viculis Lucau, & Pas duæ basilicæ sunt canonicorum, quæ postquam quoque militaribus viris in beneficijs tradũtur ad inopiam elapsæ sunt.

De Cella S. Saluatoris.

CAP. XX.

Berclaus præpositura S. Vedasti. EST autem vicus ex rebus sancti Vedasti, nomine Berclaus, in paludibus quidem situs, pecori, ex sufficentia pascuæ, aptus, omninoque etiam monachorum vsui oportunus. * *v. illic.* Illuc ergo Le-

duuinus

duuinus Abbas, considerata rei oportunitate, monasterium fundare disposuit, si quidem ei Episcopalis auctoritas aspiraret: quippe duplici vsu satis competenter prouiso; quòd inibi videlicet partem ex monachis, qui ad cœnobium sancti Vedasti frequentiores confluxerant delegaret; & bona ecclesiæ circumiacentia tutius possiderentur. Itaque domnum Gerardum Episcopum in conuentu synodali conueniendum æstimauit, suæque deliberationis effectui coram omni synodo licentiam postulauit. Cuius auctoritate nec difficilè impetrata, monasterium ædificare festinauit, consummatumque ab ipso domno Episcopo consecrari obtinuit. Loci autem vocabulum Episcopus inmutauit, sicque cellam sancti Saluatoris statuit nominari.

De Duvvacensi castro.

Ecclesia S. Amati Duacensis.

CAP. XXI.

PRæterea etiam apud castellum Duvvaicum monasterium est canonicorum, vbi corpora sanctorum iacent, Morantij atque videlicet Amati. Sciendum est autem, quòd ante constitutionē huius castelli, vsus telonei, quod nunc pro in-

murentis Flandrenſium Comitis potentia, in ipſo caſtello, mutato priſtino ritu, ſumitur, apud Lambras villam ſanctæ Dei genitricis, ſoluebatur. Erat enim Regius fiſcus, ſed tempore Stephani Epiſcopi, à Karolo Rege, ſanctæ Mariæ donatur habendus. Illo etiam tempore portus illuc habebatur. Poſtquam verò incolatus huius caſtelli cœperat, illic nauigij vſus deriuatur, & huic noſtræ villæ tantùm dimidia portio telonei ſoluitur. In hac autem villa Rex Sigebertus fortè ſepultus eſt. Cui, cùm ad obſidendum fratrem ſuum, qui tunc temporis Tornaco morabatur, ire pararet, beatus Germanus Pariſiacenſis Epiſcopus præſago ſpiritu prædixerat, non poſſe ſe * conſummatum ire illiuſmodi negotium, ſi germanæ neci eo ſpiritu intenderet. Hic autem verbis ſurdeſcens, exequi parat diſpoſitum. Sed ne beati Pōtificis irritum haberetur præſagium, in ipſo itinere morte præuentus, in prædicta villa Lambras ſubterratur.

Lambræ fiſcus & portus regius B. Mariæ Camerac. datus à Carol. Simp.

Sigebertus Lambris apud Duacum ſepultus.

S. Germanus.

r. conſummare.

De Lenenſi Monaſterio.

CAP. XXII.

Lens en Arthois.

APud caſtrum Lenenſe habetur quoque monaſterium canonicorum, vbi

vbi ſanctus quieſcit Vulganius, qui Scotus traditur extitiſſe. *S. Vulganius.*

De villa Henim.

Hennin Lietard.

CAP. XXIII.

IN vico etiam, quem dicũt Henim, eſt baſilica in honore ſancti Martini, antehac vnius tantùm presbyteri regimine *acta. Nuper verò Rotbertus Atrebatenſis de remedio animæ tractans, conſilio Gerardi Epiſcopi, expẽſis proprijs rebus, XII. canonicos inibi deputauit. *r. Gubernata.*

De vico Belgico.

CAP. XXIV.

ITem verò in territorio Atrebatenſi, in vico videlicet qui Belgicus ab incolis nuncupatur, extat baſilica canonicorum ſancti Remigij, vbi diuina ſæpius miracula cælitus fieri dicunt. Notandum verò, quòd locus iſte antiquitus adeo præeminebat, vt ab eo omnis noſtra regio, etiam vſque in præſens, Belgica diceretur. *Vnde Belgij nomen.*

Hasnon.

De vico Hasnum.

CAP. XXV.

IN vico etiam, quem dicunt Hasnum, Abbatia fuerat Regalis olim, atq; ditissima, vbi ex maxima parte requiescunt corpora sanctorum Marcellini & Petri. Nunc autem degeneris sæculi moribus viciatis, vbi tunc, clerici pauci deseruiũt, desolatam & inopem condolemus.

S. Marcellinus & Petrus.

Gal. Marchiennes.

De Marcenijs.

CAP. XXVI.

APud villam quoque Marcenias, virgo Dei glorioſa Rictrudis ex proprijs opibus & prædijs consilio sancti Amandi, qui tunc temporis insignis habebatur, monasterium struxit, vbi sanctimonialibus ad seruiendum delegatis, ipsa etiam Abbatissa habenas regiminis moderata est. In cuius vita plurimum, & post vitam aliquantulum religio creuit, vsusque ecclesiasticus regulariter adoleuit. Seculo autem semper, vt diximus, in deterius viciato, ipsarum etiam puellarum ordo viciari & deprauari cœperat. Iamque magis ac magis deprauatus mos

S. Rictrudis sanctimonialis.

cap. 25.

in

in degeneri posteritate vsque in præsens durauerat. Nuper verò iam dictus Abbas Leduvvinus, Gerardo episcopo, & Marchione Balduino satagentibus, feminas turpiter viuentes, mundato loco exturbauit, ac monachos qui melius & religiosius Deo & prælibatæ virgini, quæ ibidem quiescit, deseruiant, constituit. *cap.* 20.

De Hamatgia. *Hamage.*

CAP. XXVII.

NEc procul hinc, in villa Hamatgia, beata quoque Christi famula Eusebia, prædictæ scilicet virginis filia, ex rebus hereditarijs ecclesiam struxit, quam sanctimonialibus constitutis, etiam ipsa Abbatissa, pro modo facultatis, multa ope dotauit, quæ nunc per sæcularitatem multum delapsa, vix paucos canonicos habet.

De Duneng. *Dononium vulgò Denain.*

CAP. XXVIII.

RVrsus quoque in vico Duneng, beata Rainfredis ex sui iuris rebus cellam fundauit, & sanctimonialibus constitutis, ipsa etiam Abbatissa regimonium duxit. Hanc autem postea incumbente

bente inopia, inclinatam pauci canonicī incolebant: donec cōsilio domni Gerardi Episcopi, & Leduvvini Abbatis, moderno tempore Balduinus Comes ad pristinū statum restituit, ibique monialibus regulariter institutis, Abbatissam nomine Ermentrudem præfecit.

Hasspre.

De villa Hasspro.

CAP. XXIX.

QVo tempore Normanni, maximè quidem Rol tyranno incentore, per hoc regnum, vt per alia desæuierint, *lib. 1. c. 59.* & ceu suprà diximus, culpis Christianorum exigentibus, ecclesias sanctorum passim combusserint: tantæ formidinis tempestate, corpora sanctorum, Aycadri videlicet, atque Hugonis, de Gemegio *Gemegium monast.* cœnobio, quod super fluuium Sequanam, non procul ab vrbe Rotomago situm est, ad villam Hasprum, quæ ab vrbe nostra non plus quàm decem milibus disparatur, allata sunt. Quam villam, vtrùm ab antea possessam subiacuisse prælibato monasterio, an tunc temporis, aut à Rege, aut à quolibet principe pro remedio animæ, receptationi sanctorum traditā fuisse dicamus, incertum est. Ex his certè beatus

tus * Aycadrius, à ſancto Filiberto, eiuſ- *r. S. Aycadrus.*
dem cœnobij * Abbate probatiſſimo, Ab- *r. fundatore & ab.*
bas etiam conſtitutus, regimen ſacrum a-
gebat, vitæque moribus & virtutum co-
ruſcatione fulgebat. Ad cuius piam con-
uerſationem ſanctus vir Domini Hugo *S. Hugo Rotomag.*
Rotomagenſis Epiſcopus, * Karlemanni *r. Karlomanni.*
Regis filius, diuina inſpiratione ſuccen-
ſus, relictis ſiquidem Epiſcopatus habe-
nis, curiſque ſecularibus abdicatis, diſci-
plinam monachorum & habitum ex toto
deſiderio appetiuit, ſacriſque magiſtri
moribus informatus, omni virtutum ge-
nere perfectus emicuit. Ambo autem qui
& quales extiterint, eorum vitas legenti-
bus euidenter occurrit. His nimirum a-
pud hanc villam poſt hac remanentibus,
monaſterio facto, monachis delegatis, ad
laudem eorum pius & miſericors Deus
multa, immo & celeberrima virtutū pro-
digia dignatus eſt operari, in tantum ſa-
nè, vt nemo ex vicinis potentibus, aut
in expeditionem aliquando trāſeuntibus,
vllam præſumptionem antehac audeat ir-
rogare. Sed quia monachorum Abbas
longè aberat, eoſque rariſſimè pro diffi-
cultate longinquitatis viſitare ſolebat, in
libertate ſoluti, ſæculum ſectabātur, inre-
gulariterque viuentes vſque ad tempus

Gerardi Episcopi, vtpote absque rectore, periclitabãtur. Quod videns Episcopus, Abbatem, vt hoc corrigeret, sæpe commonuit: sed quia, vt dximus, longè aberat, correctionem morabatur. Contigit autem Episcopum, pro ecclesiastica sollicitudine, fortè per hanc villam transitum facere, præfatoque Abbati Leduino (comes enim erat itineris) obscœnam monachorum cõuersationem indicare. Salubri etiam, immo competenti consilio hortatus est illum, vt si quas res sancti Vedasti in vicinia prælibati cœnobij haberet, eas siquidem pro hoc monasterio, quod sibi esset contiguum, cõmutaret, huncq; locum, pro compẽdio æternæ remunerationis, meliorare satageret. Qui inter huiusmodi colloquia incertò hæsit, & tamẽ, ac si difficile, recusauit. Nec multò post autem temporis interuallo, Abbas salubriter consultus, bene & diligenter considerata oportunitate, notum fecit Episcopo, se executorem fore monitionis, si ab ipso Abbate Theoderico commutationem impetrare valeret. Vnde lætus Episcopus, continuò, directa legatione, Abbatem Theodericum adorsus est, monstrans animæ periculum, ni tempore sibi consuleret: cùm lõgè esset positus, locum commutare

Quomodo Haspra cesserit monasterio S. Vedasti.

mutare deberet. Quod ſi nollet, adiuncto ſibi Balduino Marchione, falſos monachos expelleret, locumque emendare cum omni auctoritate ſatageret. Super quod Abbas competenti conſilio vſus, mandatis Epiſcopi ſatisfacere æſtimauit, rebuſq; ſancti Vedaſti, quæ in ſua vicinia circumiacent, ſuſceptis, villam Haſprum Leduino Abbati contradidit. Hæc autem commutatio coram Rotberto Rege Francorum, coramque Comitibus, Balduino videlicet Flandrenſium, & Ricardo Rotomagenſium facta eſt, & eiſdem corroborata. Abbas itaque Leduinus, vt ædificator videlicet idoneus, locum cum ſummo ſtudio, ad laudem & veneration̄em ſanctorum, qui ibidem quieſcunt, emendauit, nouiſque ædificijs, & clauſtro regulari inſignire * exercuit. *an.* 1024.

r. feſtinæ, uit.

De Valentianis.

Valenciennes.

CAP. XXX.

IN caſtro Valentianenſi monaſterium eſt canonicorum, quod Arnulfus Comes, conſilio & auctoritate Rothardi Epiſcopi, in honore ſancti Iohannis Baptiſtæ conſtruxit, rebuſq; pro oportunitate collatis, XII. canonicos deputauit.

De

S. Saulue.

De monaſterio S. Saluij.

CAP. XXXI.

NEc procul hinc, olim quidem ſancti Martini eccleſiola, nunc autẽ monaſterium canonicale, in veneratione etiam ſancti Saluij Epiſcopi & martyris conſtat. Ipſo namque tempore ſanctus Saluius, totus ſupernæ patriæ inhiãs, cauſa peregrinationis, habenas reliquit Epiſcopij, profectuſque peregrè, prædicationi operam dare æſtimauit. Igitur de loco ad locum procedens, verbum Dei populo ſuggerebat, & maximè celebrationibus miſſarum inſtabat. Verùm vbi ad ipſam viciniam deueniret, ac quadam die de Valentianenſe portu ad vicum Condatũ tranſiret, à quodam peſtifero, factis inſidijs, captus, in cuſtodia religatur, raptiſque indumentis ſacerdotalibus, & ornamẽtis Epiſcopalibus, quæ ſecum portauerat, obtruncatur. Sepultuſque à viris religioſis in ſuprà dicta ſancti Martini eccleſia, tunc ad præſens, & poſtea multis præconizantibus miraculis, quanti & qualis meriti extitiſſet, apparuit, vt pleniſſimè in libro ſuæ paſſionis reperitur. Vnde attonitus Princeps regionis Carlomartellus,

S. Saluius iuxta Valentianas.

lus, pro ſalute animæ, de ipſo fiſco Valẽtianenſe, & de alijs rebus locum augmentauit, ſumptumque ſtipendiarium deputans, canonicos conſtituit.

De Mareclijs. *Mareilles.*

CAP. XXXII.

SAnctus quoque vir Dei Huntbertus, ſanctitate conſpicuus, & non modicè prædiatus, ex patria Laudunenſe decedẽs, in villam Mareclias locum ſuæ ſanctæ cõuerſationis elegit; ibique, de rebus proprijs & prædijs, monaſterium in veneratione ſanctæ Dei genitricis, & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, apoſtolica auctoritate conſtruxit. Illucque fratribus ad deſeruiendum ſtatutis, ipſe etiam Domino ſeruiens, virtutum ſignis & doctrinæ, vitæque meritis ſatis clarus emicuit, ibique laborem huius vitæ conſummans, ſepultus in pace quieſcit. Hanc ſiquidem Abbatiam primus Otto Imperator, Heinrici Regis filius, vt in primo libro latius digeſſimus, tempore Fulberti Epiſcopi habendam tradidit ſanctæ Dei matris eccleſiæ Cameracenſium. *S. Huntbertus.* *cap. 72.*

De

VValers.

De villa VVaſlero.

CAP. XXXIII.

S. Dodo.

IN villa quoque Waſſero beatus Landelinus monaſterium ad paucos fratres condidit, cui ſanctum Dodonem bonæ memoriæ virum præfecit. Hic nimirum ſacris moribus cluens, vitæ innocentiam duxit, ibiq́ue, depoſito onere fragilitatis, fæliciter in pace quieſcit.

Fiſciacum.

De villa Feſcau.

CAP. XXXIV.

S. Hetto.

IN villa etiam Feſcau monaſterium eſt, vbi ſanè ſanctus vir Domini, Hetto videlicet Scotus, diuina prouidentia dirigente, deueniens, aliquanto tempore cõuerſatus eſt, tandemq́ue curſum ſuæ peregrinationis finiens, migrauit ad Chriſtũ. Ad cuius meritum declarandum, diuina pietas multa dignata eſt operari documẽta virtutum. Vnde quidam ex religioſis viris ſancto viro tantorum emolumenta bonorum tradiderunt, vt aliquot canonicos admitterent.

De monaſterio quod eſt in villa Alto-monte. Hault. mont, vulgò Omont.

CAP. XXXV.

NEc præteream vicum quem Altum Montem dicunt, nec immeritò ſic nominatum : cùm beatus Vincentius, cum multis viris religioſis, qui cum eo fuerant, ſua cõuerſatione reddiderit ſublimatum. Porrò iſte Vincentius Comes egregius, videlicet ſanctæ Waldetrudis maritus, iuxta quidem ſæcularem eminẽtiam, & rebus & genere potentiſſimus, eruditione tamen & crebris monitionibus beati Autberti Pontificis informatus, ſæcularis militiæ pompam procul abhorruit, Deiſque obſequijs mancipare ſe potius æſtimauit. Igitur dum de loco ſuæ conuerſationis expetendo ſollicitus curam gereret, non defuit diuina pietas, ſancti viri deſiderium completura. Nam quadam nocte pluit Dominus niuem, & omnem regionem circum & circa niueo rore reſperſit, excepto paululo loci, quod in ſupradicto vico, in modum videlicet crucis, reſpergendum reſeruauit. Quod vir Dei ſuo deſiderio cælitus contigiſſe, altiore conſilio intellexit, diuinoque indicio certior factus, mox eodem in loco mona-

Altus mõs.

S. Vincentius.

S. VValdetrudis.

monaſterium ex proprio ſumptu fundauit. Quod etiam ſuus magiſter Autbertus, viris ſecum religioſis adhibitis, in honore Apoſtolorum Petri & Pauli dedicauit, ibiq́ue vir ſanctus fæliciter conuerſatus, laudabilis vitæ ſanctitatem ducere adſtuduit. Ad cuius piam conuerſationẽ multi viri religioſi confluxerant, traditiſq́; prædijs & proprijs rebus, cum * ſacro viro degentes, ad vitæ regularis normam ſeſe conſtrinxerant. Cùm autem locus à Regibus & Principibus augmentari, & frequentia fratrum populoſus cœpiſſet haberi: vt liberius Deo vacaret, in ſecretiorem locum ſeceſſit, quem etiam locum paulò poſterius dicam. Huius verò forma & exemplo religio monachorum poſtea multo tempore adoleuit, ſed per incurſus Gentilium, immo & per crebras ſeditiones domeſticorum, ſubripiente inopia, ordo monachalis ad canonicalẽ redactus, ſic ad tempus domni Gerardi Epiſcopi vſque remanſit. Quod verò cernens Epiſcopus, præcepto Heinrici Imperatoris, conſilioq́; Herimani Comitis, ac voluntate ſui fratris Godefridi, fratris videlicet Epiſcopi, qui ex parte Herimani Comitis ipſum locũ in fiſco tenebat, emeliorauit; & facto Abbate Fulcoino, in priſtinũ ordinis

Hinc patet vnde bona monaſterijs acceſſerint. v. ſancto.

cap. 46.

Vide infrà lib. 3. c. 6.

dinis ſtatum reformauit. Hic autem vir bonæ memoriæ Abbas, cuni ſummo ſtudio & labore, nominis ſui officium librãs, & vſum regulæ interius docuit, & locum omnem pro modo temporis, vt pote adhuc videlicet nouitium, pulchris ædificijs, & vſui monachorum neceſſarijs, exterius inſigniuit.

De Melbodienſe monaſterio. *Maubeuge*

CAP. XXXVI.

DIcendum eſt quoque in Melbodio monaſterium puellarum, quod beata Chriſti virgo Aldegundis ad opus ſuæ conuerſationis, ex proprijs prædijs ſtruxit, quod etiam beatus Autbertus, multis viris * ſecum adhibitis dedicauit. Hæc nimirum virgo laudabilis, ſoror ſanctæ prælibatæ Waldetrudis, à beato Autberto doctrinata, velamen piæ religionis accepit, ibique, cum plurima turma ſororum, puræ vitæ innocentiam ducens, depoſita corporis gleba, cæleſti ſponſo cum ardenti lampade obuiam perrexit. *S. Aldegundis.* *r. addit religioſis.*

De Laubienſi cœnobio.

CAP. XXXVII.

TRanſeundum eſt ad Laubienſe cœnobium, quod ſacris initijs ſancti Landelini, ad tanti honoris, qui nunc *S. Landelinus.*

eſt, paulatim peruenerat titulum. Hunc nimirum Landelinum, in primæua quidem ætate, à beato Autberto Pontifice literis & moribus ſacris imbutum, poſtea verò, fallente diabolo, pij magiſtri profugium, ſpreto clericatu, manui prædatoriæ, in libro vitæ ipſius legimus ſociatum. Hunc, inquam, poſtquam magiſter benigniſſimus, diuturna lamentatione, & iugi prece ab errore reuocatum, quaſi pater filium ſuſcepiſſet, ac ſaucium, dulci correctione, ac beniuola conſolatione recreaſſet, in prælibato loco, tunc temporis ſolitario, ſecedere monuit, vt diſciplinatius videlicet errata corrigeret, & emendatius viueret. Peracto itaque habitationis ædificio, & in veneratione apoſtolorum Petri & Pauli conſecrato, (paucis ſiquidem viris nitidæ vitæ ſecum receptis,) monitiones & mandata magiſtri æquæ lance morrs & operis adimpleuit, & de die in diem proficiens, ad vitæ ſanctiſſimæ culmen tranſcendit. Vbi verò locus viri ſancti pia conuerſatione florere cœpiſſet, & ex munificentijs Regum, ſiue potentum quorumlibet, quantò rebus exterius, tantò etiam numero monachorum interius abundaret, mox inde remotus, ſiquidem vt Deo ſtrictius manciparetur, ſecre-

secrètiorem locum, quem paulò post dicemus, expetere æstimauit. Secessurus autem, eo loci præfecit beatum virum Dei Vrsmarum, pijs moribus præditum, in functoria tantùm prædicatione sacratum Episcopum. Hic etiam vir de villa Fleon, quæ infra siluam Terasciam sita est, oriũdus, formam innocentis vitæ fratribus exhibuit, diesque suos in bonis operibus egit. Hoc igitur doctore, & dein beato Erminо succedente, (de quorum monasterio subsequenter narrabimus) efflоruit locus, & ad Dei gloriam, vt vsque in præsens apparet, mos plenè adoleuit ecclesiasticus.

cap. 41.

Fleon patria S. Vrsmari.

De monasterio Sanctorũ Vrsmari & Erminі,

CAP. XXXVIII.

HOrum itaque beatorum Dei confessorum dormitionis habitaculum subiungamus. Erat namque Ecclesia parochialis subiacens prælibato cœnobio, quæ iuxtà, scilicet in vertice montis, sita est, vbi ipsi monachi, sed & omnes collimitanei circum & circa degentes, tumulandi ferebantur. Ad hanc etiam beatissimi viri Vrsmarus atque Erminus, cùm defuncti sunt, portantur humandi, quo-

Hodie est, Canonic. collegium Binchij residens.

rum meritis declarandis diuina pietas multa miracula dignata eſt operari. Sed quia ſuprà de ſancto Vrſmaro parum tetigimus, non incongruum, ſi de ſancto quoque Ermino aliquid expliceмus. Hic nimirum vir vitæ laudabilis, & non parum prædiatus, de pago Laudunenſi oriundus extitit, & de die in diem in bonis operibus proficiens, omnium virtutum cluebat * commercijs. Quem, quia odor bonæ opinionis illius longè lateque increbuit, beatus Vrſmarus, † ſuprà dictũ monaſterium regens, ſæpius accerſiuit, dieque ſuæ vocationis imminere intelligens, ipſum rectorem monaſterij, officijq; ſui poſt ſe ſupparem & miniſtrum, Pontificemque delegit. In functione igitur vicaria ſubrogatus totum ſe in diuinis cultibus propenſius mancipauit, ſuique magiſtri forma inſtructus, de creditis ſibi ouibus curam ſollicitè geſſit. Illud etiam prædium ſuum Ercli in vſibus fratrum expendit. Poſtquam verò ambo ad remunerationem vocati, primò quidem beatus Vrſmarus, dein vir Dei Erminus, in iam dicta parochiali eccleſia tumulati fuiſſent; tot & tantis munificentijs locus ille donatur, vt modernis temporibus, monaſterio facto, Canonici mitterẽtur.

cap. precedenti.

r. exercitijs.

† *intelligit Laubiẽſe,*

Monaſterium ex donarijs piorum.

De monte Caſtriloco. CAP. XXXIX.

Mons en Haynau.

IN villa Caſtriloco duo quoque monaſteria habentur, vnum quidē puellarum, quod ſancta Waldetrudis, coniunx prælibati ſancti Vincentij, atque ſoror beatæ Aldegundis, ædificauit. Cùm enim vir ſuus beatus Vincentius, relicto mundi naufragio, monaſterij portum expetierit, ipſa quoque diuina clementia inſpirante, calcare ſeculum æſtimauit, ſanctoque debriata ſpiritu, à beato Autberto confortata, habitum ſancti velaminis ſumpſit. Deinde verò, ex ſuis dotalibus beneficijs & proprijs prædijs, ipſum monaſterium in honore ſanctæ Mariæ, ex ſententia & auctoritate ſancti Autberti, patroni ſui, condidit. Vbi etiam adſcitis non paucis familiaribus feminis, puritatem vitæ laudabilis ducens, cæleſti ſponſo obuiam itura, lampadem lucernæ ſibi inextinguibilis præparauit. Alterum verò monaſterium eſt Canonicorum ſancti Germani.

S. Waldetrudis.

S. Germani monaſt. Montibus.

De Cella Sancti Giſlani. CAP. XL.

Vulgò S. Giſlain.

NEc procul hinc, in loco videlicet quem dicunt Cellam, monaſterium

rium est monachorum, sancti Gislani. Iste nimirum, angelica visione monitus, ab Athenis digressus, cursum suæ peregrinationis in ipsa parte direxit, illudq; monasterium, auctoritate sancti quoq; Autberti, sed & sancta Waldetrude, cui tunc temporis familiari dilectione inhæserat, opitulante, fundauit. Qui quantus, vel qualis vixerit, liber qui de vita ipsius cõponitur, largiter edixerit.

S. Gislenus.

Crespin.

De Crispinio vico.

CAP. XLI.

IN vico Crispinio monasterium canonicorum est, vbi sanctus vir Dei Landelinus, vt iam paulò superius diximus, pro frequentia fratrum, relicto Laubiensi cœnobio, commẽdato viro Dei Vrsmaro regimine, suisque ritè ordinatis rebus, secessit, viteque nitidioris perfectione exacta, migrans ad Christum, in pace sepultus, multis virtutibus coruscauit. Hæc autem abbatiola, vt in primo libro in præceptis regalibus videri potest, sanctæ Dei matris ecclesiæ Cameracensium subiacere debere traditur, sed infestationibus gẽtium subripientibus, aut in mutatione regni,

S. Landelinus. cap. 37.

cap. 67.

regni, modò diuulsa, militaribus viris beneficio infiscatur. *Militibus infiscatum Crispinium*

De villa Condato. *Condet sur l'escauld.*

CAP. XLII.

APud villam quoque Condatum, olim regalis & diues, in honore sanctæ Mariæ, Abbatia fuerat puellarum: nunc autem est monasterium, præ inopia, paucorum canonicorum. Vbi sanè sanctus vir Dei Wasnulfus, genere Scotus, *S. Wasnulfus.* cursu peregrinationis consummato, sepultus, cum patribus in pace obdormiuit, * suisque meritis omnem locum illustrauit miraculis. *a. g. huiusque.*

De villa Lutosa. *Leuse.*

CAP. XLIII.

EST monasterium quoque Canonicorum, in honore apostolorum Petri & Pauli, in vico qui dicitur Lutosa, quod construxit beatus Amandus: & est diues Abbatia, vbi vir Dei venerabilis Baidilo *S. Baidilo.* requiescit, qui corpus sanctæ Mariæ Magdalenæ de Hierusalem in Burgundiam, in *Corpus S. Mariæ Magdalenæ.* loco Vercelliaco attuliſſe fertur.

Renays.

De vico Rotnasce.

CAP. XLIV.

IN vico Rotnasce est monasterium Canonicorum, à sancto quoque Amando, in honore eorundem apostolorum constructum, vbi martyr Dei preciosus *S. Hermes.* Ermes quiescit. Hoc autem demiramur, quòd hunc locum tam antiquum, & tam *Endense cœnobium. r subiecerit.* opulentum Ludovvicus Pius Endensi cœnobio * subiacendum donauit.

De villa Iham.

CAP. XLV.

Monast. Einhamẽse. EST etiam locus super Scaldum fluuium, quem dicunt Iham, vbi modernis temporibus honorabilis vir Comes Godefridus, & vxor sua Mathildis, matrona videlicet memorabilis (erat enim suum prædium, suis vsibus oportunum) castro quidem munito, nauigium, mercatum, teloneum, cæteraque negotia statuerunt. * Infra castrum verò monasterium in honore sanctæ Mariæ, deputatis Canonicis, fundauerunt. Extra autem Herimannus filius duo monasteria struxit, vnum sancto Laurentio, alterum verò sancto Saluatori. Nunc igitur locus, vt-

r intra. Monast. S. Mariæ.

S. Laurẽtij & S. Saluatoris.

pote

pote nouiter instructus, ex omni sufficientia floret, & tamen esset vberior, nisi crebro hostili incursione quateretur, quod maximè ab inimicis Dei patitur, pro stabilitate regni & fidelitate Imperatoris.

De villa Sungeias.
CAP. XLVI.

Monast. Sonegiense, vulgò Songniez.

REpetamus etiam locum, quem relictis quidem in Altomonte fratribus, expetijsse beatum Vincentium præ- *cap. 35.* diximus. Hic profectò ab incolis Sungeias *S. Vincentius.* nuncupatur. Vbi ipse vir Domini à frequentia * populare remotus, fratribus *r. populari.* sociatis, monasterium struxit, ibique, exactis huiusvitæ cursibus fæliciter, sepultus, cum filio suo Landrico, Meldensi Episcopo, in pace quiescit. *S. Landricus.*

Monasterium in loco Maslinas.
CAP. XLVII.

APud Maslinas quoque monasterium est Canonicorum, vbi quiescit pre- *Monast. Mechlinienſe Gal. Malines.* cioſus Dei martyr Rumoldus, genere *S. Rumoldus.* Scotus, qui vitam eremiticam ducens, inibi martyrizatus est. Hoc autem monasterium ab antiquitate constructum, regalibus emolumentis maximè augmentatur.

Monaſt. Lirenſe,

Monaſterium Sancti Guntmari.

CAP. XLVIII.

S. Guntmarus.

NEc procul hinc eſt monaſterium Canonicorum, quod ex proprijs prædijs vir Dei Guntmarus, illuſtris laicus ſtruxit, ibiſque ſepultus diem reſurrectionis exſpectat.

Finis ſecundi libri.

LIBER

LIBER TERTIVS DE REBVS GESTIS GERARDI EPISCOPI.

Gerardus in episcopum Cameracensem eligitur, & honorificè deducitur ac suscipitur. Walterus Castellanus à legatis Imperatoris grauiter increpatur.

CAPITVLVM I.

DOMNVS Imperator Heinricus, vt superius diximus, suorum Principum vnanimi consilio vsus, Gerardo suo Capellano, adhuc Diacono, non infimis parentibus Lotharienſium atque Karlenſium edito, apud * Aruitam villam Saxoniæ, Kalendis Februarij, donum largitus est Episcopij. Hunc in pueritia Albero Remenſium Archiepiscopus, pro consanguinitate, sed & pro prædijs, quæ ex parte matris in ipsa terra habebat, hereditario iure tenendis, secum, permissione parentum, abduxit, & sub regula canonica degentem familiariter educauit. Sub cuius libe-

lib. 1. c. vlt.

r. Arintam

liberali eruditione, & normam ecclesiasticæ religionis, & mundanæ disciplinam satis viderat honestatis. Episcopali verò munere infulatum, ipso quidem die, & crastino, purificationis scilicet glorioſæ Dei genitricis Mariæ, secum Imperator detinuit, tertio verò die licentiam discedendi accommodans, Abbatibus videlicet Richardo, & Bertaldo Endensi, sed & Herimanno Comiti per legationem præcepit, vt Gerardum comitantes, ad vrbem commissam vsque deducerent. His ergo comitantibus, cùm iter faciens, Valentianense castrum penè subiret, Balduinus Comes, audito rei exitu, etiam comitaturus occurrere festinauit, tantaque copia fultus, in vrbem peruenit, à populo videlicet & clero cum læta & officiosissima celebritate susceptus. Missi verò regij prædictam Walteri sæuitiam audientes, mordaciter illum & cum indignatione reprehendunt: immo & quo spiritu cum alijs malis, etiam domum Episcopalem occupare præsumpserit, rogant. Qui mox falsam defensionem obijciens, fallaciter composuit, quòd ita se facere, non causa rapinæ, sed tuitionis aduersus Balduini Comitis impetum, cui malè suspectus erat, disposuit. Hoc autem longè â rei

Balduinus Barbatus Comes Fland.

lib. 1. in fine.

VValteri malitia.

veri-

veritate ſecluſum, ac magis dolo quàm fide ſuffultum fore reſpondent, præſertim cùm ſuas opes intactas reliquerit: epiſcopales verò abnormi effuſione cõſumpſerit. Tandemq́;cum aſperitate, erroneo conſulunt,monentes vt melioratus ab inſolentijs deſiſteret, correctiſq́; præteritis, fidelitatem Epiſcopi in reliquum obſeruaret. Id continuò quàm ſanctè promiſit, ſed vt poſterius multis modis videbitur, fidem ſermonibus derogauit.

Gerardus ad Imp. ſe confert & presbyter ordinatur. Deinde Cameracum reuerſus, inuenit VValterum in pauperes tyrannidem exercere, qui ad Imp. vocatus, ire renuit. Gerardus Remis conſecratur Epiſcopus. VValterus iterum ad Imp. citatus, pœnitentiam ſimulat, datis obſidibus.

CAP. II.

PRocedente verò aliquo temporis, ipſe Domnus Gerardus ordinatis ſuis rebus, vaſſalliſque ac clericis ſibi ſacramento conſtrictis, ad Imperatorem,in villam videlicet Nouiomagum ſe contulit, & cum alijs Imperatoris fidelibus,etiã Balduinum Comitem pariter duxit,vbi ei Impe-

Walcra villa Balduino in beneficium tradita.

Imperator villam Walcras beneficiauit. Hoc autem in loco ipsum Domnum Gerardum in sua præsentia fecit ordinari presbyterum. Denique ipsi accommodata remeandi licentia, mandat, vt in die sancti paschæ sibi famulaturus, Waltero secum pariter adducto, ad ecclesiam Leodecensium adueniret. Sic reuersus, multa iterum mala reperit: quippe querulis pauperum clamoribus tristè pulsatus, quorum Walterus alios verberabat, alios insuetis exactionibus semper vexabat. Super hæc ergo tyrannum increpans, animæ pericula monstrat. Verùm ille inobedienter audiens, monitus saluberrimos omnino deprauat. Cùm autem, pascha propinquante, ad præfatam ecclesiam, Episcopus Imperatori seruiturus, secundum monitum ire disponeret, cum suis fidelibus, etiam Walterum, vt secum pergeret, parari præcepit. Quo renuente, ipse Præsul cum suis alijs in vrbem Leodecensium, præscripto termino, Imperatori occurrere festinauit, debitumq; obsequium exhibens, super Walteri iniuriam & inobedientiam exclamauit. Post hæc verò monuit illum Imperator, vt secum ad nouum Episcopium dedicandum, in ciuitatem videlicet Bauenberg, vnâ proficisceretur,

ſceretur, ibiq́ue in ſua præſentia à Miſſis apoſtolicis, multiſq́ue coëpiſcopis, ſiue Abbatibus, qui illuc ad encenia templi conuenire deberent, ordinaretur Epiſcopus. Qui etſi honorabilius & diſciplinatius coram regia pompa, & Lotharienſi ſolertia, ſciret ſe ordinandum: tamen loci amore, quo nutritus fuerat, captus, à nullo quidem, niſi à Metropolitano Remenſium Archiepiſcopo, ſe ordinatum iri velle reſpondit. Quippe ſatis prouidè ac competenter cauſam conſiderans, ne fortè videlicet eo etiam ipſe cõſuetudini ſedis Metropolitanæ contraire videretur, quòd domnus Erluinus Epiſcopus, ob ſupradictam contentionem, Romæ ordinationem ſuſceperat. Quo audito, Imperator altioris conſilij illum aduertens, libenter adquieuit, dataq́ue reditus licentia, largitus eſt ei librum conſecrationes clericorum, & ordinationem Epiſcopi continentem, vt per hunc videlicet conſecratus, haud fortaſſe quidem indiſciplinatis moribus Karlenſium inregulariter ordinaretur. Vnde mox ad ſua cum honore & proſperitate conceſſit. Nec multò poſt, paratis viaticis, cum ſuorum primoribus, excepto Waltero, eccleſiam Remenſium petens, ſumma cum veneratione

lib. 1. c. 110.

Imp. dat Gerardo librum Pontificalem. & Karlenſes irregularius ordinabant epiſcopos quàm Lotharienſes.

tione Pontifex ordinatur. Sic itaque ſublimatus, oues ſibi commiſſas reuiſit quãtocius; ſed nequaquam ab inſolẽtijs Walteri feriatur. Cæterum aures ſuæ querimonijs pauperum non vacabant, eorum ſcilicet quos Walterus, vt dictum eſt, iniuriosè torquebat: quos etiam peſſimè affectos, direptis ſubſtantiolis, in vinculis mancipabat. Vnde Imperator, exclamante iterum Epiſcopo, grauiter excitatus, ſed & recordatione huiuſmodi cõtrouerſiarum, quas in Erluinum quoq; dudum exercuerat, efferatus, illuſtres viros Comites, Godefridum ſcilicet, poſtea Ducẽ, fratremque Herimannum, huic vrbi direxit, & vt ad ſe tantæ immanitatis virum facerent ire, mandauit: certè ſatis admirans, quòd cùm ſe Caſtellanum aduocatumque ciuitatis aiebat, nunquam aulam regiam frequentaret. Qui Comites, herilibus obtemperantes iuſſibus, VValterum conueniunt, ac priſtinæ reconciliationis ingratum, & inſolentiæ reum haud mollibus indignationis motibus redarguentes, plurimum dequeſti ſunt: eum videlicet non ſolùm promiſſam emendationem irritam feciſſe, ſed ad augmentum ſuæ tyrannidis, iram Epiſcopi amplius prouocaſſe. Sibi enim totius rei præpoteſtatem

Godefr. Dux Lotharingiæ de quo lib. 2. c. 45.

penitus

penitus vſurpare: Epiſcopo verò ſolum nomen ac ſpeciem honoris relinquere. Ad diſtrictum ergo iudicium Imperatoris contendat, monuerunt. Ad hæc ille perterritus, mox incredibilis pœnitentiæ ſpeciem induit, & quem crederes vlterius nequaquam eſſe lapſurum, obſidibus quidem cum ſacramento oblatis, congeſtis etiam precibus, ad totius generis ſatisfactionem, tota ſe humilitate deiecit: adeo ſanè, vt etiam ipſe domnus Epiſcopus, miſeratione pulſatus, iratos Comites precibus mitigaret. Quo petente, Comites emolliti, ſuſpectum omne prætergrediuntur, ſuſceptiſque quinq; maioris pretij obſidibus, Walteri precibus accedere æſtimarunt: eo videlicet pacto, vt ni infra conſtitutum placitum Epiſcopo ſatisfaceret, iudicandus, poſtmodum, præſentiam Imperatoris adiret. Hoc autem & ipſi obſides coram omni populo deierarunt: quòd ſi pactum vllo modo ſolueret, mox Epiſcopum ſecuturi, illum omnino deſererent,

VValterus abſente epiſcopo bona eius vaſtauit, & ſuburbium ciuitatis incendit Sed iterum pœnitentiam ſimulans, intercedẽtibus precibus Rotberti regis Franciæ & Odonis Comitis, veniam impetrat.

CAP. III.

HIs ita geſtis, nec longò poſt, Walterus nõ ſolùm euacuauit promiſſum, ſed etiam multò peius ſui furoris ampliauit incurſum. Nam dum Epiſcopus Gerardus ad obſidionem Mettenſium ciuitatis aliquandiu cum Imperatore moraretur, Walterus neſcio quid malè ſuſpectãs, mox fide mutata, bona Epiſcopi exteriora vaſtauit, immo & ſuburbium ciuitatis igne conſumpſit. Quod vbi delatum foret Epiſcopo: cur hoc feciſſet ſatis ſuperque obſtupuit, præſertim cùm ipſum nihil læderet, verùm inuiolato fidei pacto, condictum placitum expectaret. Walterus autem, ſoluti fœderis prætendens pœnitentiam, ſuæ præſumptioni, oportuna calliditate, præuidit. Quò enim grauius aduertit ſe offendiſſe Epiſcopum, tantò altioris præſidij quærit ſibi ſuffugiũ. Nam Rotbertum Regem & Odonem Comitem

tem precatores ſibi & adiutores parauit: & vt domnum Epiſcopum placaturi, ſuæ temeritati veniam rogarent, obtinuit. Verùm hi circa negotium aliud occupati, Harduinum Nouiomenſem Epiſcopum cum alijs etiam oratoribus, vſu vicario, ad Gerardum Pontificem delegarunt. Qui tempus acceptabile pœnitentibus aucupati, circa initium quadrageſimæ, reducto Waltero, precatum venerãt, ac precum delinimento iram Epiſcopi mitigantes, omnes in preces deſcenderant. Horum itaque rogationes Epiſcopus, quem putares obſtinatiſſimum & inexorabilem, non † vili pondere ratum duxit, ſed domeſticarum neceſſitudinibus ærumnarum altrinſecus deploratis, eorũ precibus aſſenſum porrexit, huiuſmodi tamen conuẽtionibus ſuorum amicorum ſacramento collatis.

† *for. vilipendere.*

Reliquiæ Atrebati in eccleſia B. Mariæ inuentæ, & multa ad eas facta miracula.

CAP. IV.

TVnc etiam temporis in monaſterio ſanctæ Mariæ Atrebatenſium, iuxta altare, multorum ſanctorum reliquias pre-

De eadem re lib. 2. cap. 13.

cioſas contigit inueniri. Ad quarum quidem merita propalanda, diuina clementia diuerſi generis ſigna & prodigia operante, non ſolùm ex vicinis, ſed etiã longè poſitis regionibus per totum ferè biennium, multitudo maxima confluebat.

Dehortatur Gerardus Baldricum epiſcopum, ne Lantbertum Comitem in amicitiam aſſumat: quod tamen cùm feciſſet, ab ipſo inuaditur, capto Herimanno Comite, & in cuſtodia Rotbodi Comitis Namurcenſis detento. Liberatur autem per matrem ipſius Rotbodi, & reconciliatur Rotbodus Imperatori per interceſſionem Gerardi & Baldrici.

CAP. V.

IPſo verò in tempore, cùm poſt Nocherum ſanctæ memoriæ Epiſcopum, Baldricus Leodicenſis eccleſiæ adeptus eſt dignitatem, Lãtbertum Comitem aſſumere in amicitiam æſtimauit, vtpote conſanguineum, & ideo adiutorem patriæ futurum. Huius autem perfidiam Gerardus Epiſcopus plerumque compertam intimauit, & ne illum ſibi adſciſceret, exhortatur, hominem eſſe enim ſubdolum, fide vacuum, timendas eius calliditates. Quod profectò poſtea ita proba-

Lantbertus comes Louanienſis.

probauit euentus. Episcopus enim, cùm in villa Huuardas castellum muniret, ad firmitatem videlicet pacis, ad maleficos territandos, ipse Lantbertus, furoris sui obstaculum videns, mox fide mutata, congregata valida manu, Rotbodo Namurcensi Comite sibi adhibito, non erubuit Præsulem inuadere, omnibusque fugatis, Herimannum tantummodo Comitem, cui erat pudori fugere, ibi in ecclesia sancti Gorgonij, vbi quidem spe resistendi sublata, quia fugerant cuncti, secesserat, captum Rotbodi Comitis custodiæ commendauit. Quod quamuis amicis eius, multum dolentibus ne diu teneretur, suspectum foret, diuina tamen clementia, quæ vota omnium superuadit, in melius prosperauit. Rotbodi namque Comitis mater, sano vsa consilio, Herimannum Comitem suis amicis se redditum ire promisit, si pro tanta commutatione, sibi gratiam amicorum ipsius Herimanni, & Imperatoris, quem offenderat, resarcirent. Quod cùm rescirent Episcopi, Gerardus atque Baldricus, Imperatorē in loco qui Confluentia dicitur, synodū celebrantē, & de Episcopo Mettensium, qui inimicis suis inhæserat, tractantem aggressi sunt: & vt Comitissa

Huuardas villa quæ Hugardis dicitur.

1013. *Sig.*

poſcebat, ei Imperatoris gratiam impetrarunt. Sicque Comes Herimannus, neſciente Lantberto, à captione ſolutus eſt.

Monaſterium Altimontis in beneficium Comitibus datum, ſed poſtea, expulſis canonicis, reſtitutum eſt monachis, conſilio & auxilio Gerardi Epiſcopi.

CAP. VI.

EST autem monaſterium in pago Hainou, in villa quæ dicitur Altus-
lib. 2. cap. 35. mons, quod, vt poſterius lectori occurrit, ſanctus Vincentius, beati Autberti prædicatione de laico monachus factus, ex rebus ſui iuris ſub monachorum religione conſtruxit, ac ſub regia manu per multos annos non mediocriter floruit. Superuenientibus autem cauſis diuerſarum tempeſtatum, quas legimus, Comitibus in beneficium traditum eſt, & ad tantum caſum paulatim deuoluitur, vt monachis quidem egeſtate coactis, paucorum clericorum cuſtodiæ mandaretur. Procedente verò tempore, contigit Arnulfo, patri Domni Epiſcopi, à Comite Herimanno in beneficio compenſari. Hic profectò, audito de antiquitate & ſumma vene-

veneratione loci, ſicuti vir † ſanus ad priſtinum gradum voluit reformare: ſed, ſubripientibus cauſis bellorum, non potuit. Poſt cuius exceſſum, cùm Arnulfi filio hereditariè ceſſit; huius ninirum meliorare volentis deſiderium diuina clemẽtia ſecundauit. Ipſo enim tempore frater ſuus ad Pontificium ſublimatur, cuius tam conſilio quàm auxilio, pulſis quidem Canonicis, domno abbate Richardo, monachorum religio reuocatur. Qui Richardus poſtea Fulcuinum abbatem ſibi ſubſtituere æſtimauit. Hunc ergo domnus Epiſcopus Gerardus, vnaque abbas Richardus Imperatori præſentarunt abbatia donandum. * Nullum enim abbatias, præter Imperatorem aut Epiſcopum, largiri, cuiquam fas eſt, quamuis aduocatiæ earum laicis commendantur. Subrogatus itaque Fulcuinus, multo labore monaſterium, quod deſertum inuenerat, domno Epiſcopo adiuuante, tam claustro & cæteris ædificijs, quàm regulari fratrum ſeruitute muniuit. Quod ita innouatum Kalendis Maij in honore ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, vt antè fuerat, domnus Epiſcopus conſecrauit. Abbas autem clericorum incurſus, qui eiecti fuerant, ferre non poterat,

† *for. ſanctus.*

* *rectius nulli. Abbatia à quibus cõferebantur.*

niſi domnus Epiſcopus virtute compeſceret.

Godefridus Ducatum obtinet per interceſſionem Gerardi Epiſcopi, & per eum cum Lantberto Comite conciliatur.

CAP. VII.

EOdem verò tempore defuncti Ducis Ottonis, filij Karoli, Godefridus antea dictus, interceſſione Gerardi Epiſcopi, & obtentu maiorum fidelium Imperatoris, adeptus eſt dignitatẽ, inter quem & Lantbertum Comitem iamdudum vetus feruebat diſcordia. Quos Gerardus Epiſcopus, licet Lantberti profluuiam fidem, & inſtabilem animum nouerat, tamen ne qua calliditate Godefrido in tam nouo honore officeret, interpoſita pace amicauit. Hic itaque ad tantum culmen promotus, cum honore & maxima virtute fidelitatem Imperatoris agebat: ſanè adeo, vt nemo melius pacem patriæ dilataret, bella ſedaret. Illo ſiquidem rectore conſilij, Imperator ſuperborum ceruices ſubigebat, hoſteſque vincebat.

ſuprà cap. 2.

Monti-

Montibus Hannoniæ fons S. VValdetrudis ſanguinolentus conſpicitur: quo prodigio bella imminere prædixit Epiſcopus.

CAP. VIII.

IVxta Caſtrum-mõtem fonticulus eſt, per multos annos ab incolis ſanctæ Waldetrudis veneratione ſeruatus, vbi infirmi perfuſi ſoſpitatem meritis ſanctæ Virginis recuperare feruntur. Vbi cùm eo 1011. *Sig.* tempore quædam femina pergeret pro infirmitate lauatum, reperit quaſi recenti cruore reſperſum, & dum lauaretur, viſa eſt facie ſanguinolenta. Quo prodigio domnus Epiſcopus bella imminere prædixit, quod ita ipſa res poſtea indicauit.

Lantbertus bellum mouens in campo Florinenſi aduerſus Godefridum Ducem cadit in prælio, & Henricus Lantberti filius, interueniente Gerardo Epiſcopo, cum Imperatore redit in gratiam.

CAP. IX.

DEniq; verò tẽpore procedẽte, Lãtbertus iam dictus, cũ Rainero nepote ſuo, Raineri filio, inimicitiã aduerſũ Ducem Godefridum, & Herimannũ fra-

trem, ſoluto fœdere, iterum excitauit, alterniſque pulſibus contentio inuicem eò vſque proceſſit, dum in campum Florinenſem conuenientes, aſperam pugnam committerent: Dei tamen iuſto iudicio, Lantbertus, cum multa quoque ſuorum ſtrage, cæſus occumberet. Poſtea idem Rainerus, & Heinricus Lantberti filius, paternos quidem mores omnino imitati, ſuper fideles Imperatoris pleroſque impetus faciebant, ac † humanis operibus, morumque inſolentijs Imperatorem malè offenderant. Videns autem Gerardus Epiſcopus domnum Imperatorem circa alia negotia occupatum, in quantum potuit ſalutem patriæ ſapienter præuidit, ſibique coëpiſcopis, Albaldo videlicet & Haimone adhibitis, gratiam Imperatoris ipſis malefactoribus, pace interueniente, obtinuit.

Florinenſis campus. vide infrà c. 12.

for. inhumanis.

Epiſcopus Gerard. pacificator.

Matrimonium inter Rainerum, & filiam Herimanni Comitis, etſi intercederet cõſanguinitas, à Gerardo, pacis cauſa, toleratum.

CAP. X.

HIs ita geſtis, Rainerus ad integrandam amicitiam, filiam Herimanni Comitis ſibi quæſiuit matrimonio copu-

lari.

lari. Sed hoc, pro consanguinitate quæ dicebatur, esse inlicitum Gerardo Episcopo æstimanti, omnino displicuit. Et tamen postea consilio coëpiscoporum vsus, inuitus siluit: quippe proponentium beati Gregorij monitus suo discipulo Augustino collatos. Cui cùm Anglos prædicatione Dominici verbi erudiens, ad fidem Christianæ religionis excoleret, si virum ac mulierem seu quartæ, seu quintæ propaginis iunctos inueniret, iunctos etiam, si nollent, pateretur, admonuit, gratia videlicet propagandæ nouæ Christianitatis. Prolem enim esse futuram, quæ melius legem * seruaret. Hoc ergo potius consentire deberi, ne fortè aliquid esset dispēdium antiquæ Christianitatis. Si enim tanti viri gener fieret, spem fore pacis, sin autem, naufragium patriæ.

Gregor. in epist. ad August. Anglor. epis. c. 6. & 7.

g. a. seruarent.

Victoria Godefridi Ducis aduersus Gerardum quendam Comitem, Imperatori rebellem.

CAP. XI.

ITem etiam Comes quidam Gerardus, secundum secularem pompam malè fastuosus, plerisque assultibus Imperatorem irritabat: illique, quasi capiti & domino omnium

omnium malorum, cuncti rebelles & infideles Imperatoris, ſubiecti, cuncta mala perpetrabant. Qui parata valida manu, circa viciniam Ducis Godefridi, illum quidem incautum æſtimans, quadam die cum incendijs & deprædationibus deſæ-
1014. *Sig.* uire acceſſit. At ſubitò Dux, nuncijs excitatus, collectis quos præſentes habebat, in fidelitate Imperatoris, ſed & in Dei clementia fiſus, aduerſum hoſtem ierat, bellumque iniens, Gerardo fugato, & vnico filio vulnerato capto, poſtmodum verò defuncto, victoriam adeptus eſt. Quæ cauſa reliquis infidelibus magnum incuſſit timorem, ac patriæ intulit pacis & quietis tranquillitatem.

Bellum in campo Florinenſi de quo ſuprà cap. 9. vbi Lantbertus Comes cecidit poſtquam ab eo exiliuerunt reliquiæ, quas acceperat à moniali cum qua nocte præcedente inceſtum commiſerat.

CAP. XII.

DEhinc verò in campo Florinenſi factum eſt bellum, vbi Lantbertus
2. 1015. *igeb.* Comes cæſus, finem fecit ſuæ tyrannidis, vnâ etiam non paucis altrinſecus interfectis. De quo quia quiddam mirum ac memorabile domnus Epiſcopus referre ſolebat, notare congruum æſtimaui. Ipſa namque

namque nocte, cùm ad Florinas tenderet bellaturus, inceſtus ſiquidem apud Niuellam cum quadam moniale dormiuit, quæ ei in fibula ſuæ camiſiæ reliquias precioſas innexuit, vt per earum merita videlicet, in ipſo prælio periculum euaſiſſet. Vbi verò cùm ventum eſt, ſuper cæteras veſtes etiam loricam induitur, &, vt moris eſt bellantium, capiti inpoſitam loricæ ſtrictim commiſit, ſubtus quidē reliquijs in fibula camiſiæ ex induſtria reſeruatis. Quo munimine fretus, inpenetrabilis ferro, bellum agebat, donec ex Dei voluntate ſanctæ reliquiæ per medias veſtes, & per loricam ſubitò erumpentes, procul aceruo lapidum inſiderent, in albo quidem panniculo inuolutæ. Statim Comes, viribus deſtitutus, occubuit cæſus. Quomodo verò reliquiæ exiluiſſent, vnus ex perſequentibus Comitem intuitus, dum cæteri interficiunt hoſtem, inuentas in ſua ocrea feſtinanter abſcondit. Poſt bellum verò rediens domū, in ipſa coxa cœpit grauiter infirmari, morboque creſcente coactus, qualiter illud ſanctum pignus inuenerit confeſſus eſt. Quod cùm fama, Comitis Herimanni, cuius miles erat, auribus detuliſſet, cum omni deſiderio reliquias quæſitas habuit; &

Florinæ.

Reliquiæ ab inceſtæ moniali traditæ Comiti inceſto.

tamen

tamen poſtea Imperatori has roganti cõceſſit. Domnus autem Epiſcopus illud inceſtum ſuperius dictum credere non potuit, donec ipſe, cum Baldrico Epiſcopo in eodem monaſterio cauſam diligentius ventilauit. Vbi quidem monialis rubore ſuffuſa, tandem culpam eſt confeſſa.

Gerardus epiſcopus & Godefridus Dux compeſcunt ſeditiones contra ſtatum Imperij, & Duci Baioariorum Herimanno Ducatum impetrant.

CAP. XIII.

cap. 11. for. oſores. POſt bellum verò Gerardi, quod iam diximus, illas ſeditiones quas † ſororij Imperatoris contra ſtatum regni ſæpius incitabant, Domnus Epiſcopus, Duxque Godefridus vnâ cum alijs fidelibus Imperatoris multo labore ſopierant: Ducique Baicariorum Herimanno, qui priuatus fuerat, Ducatum poſtea impetrarunt.

Mortuo Baldrico Leodicenſi epiſcopo ſuccedit Vulpodo & iubente Imp. à Gerardo intronizatur.

CAP. XIIII.

1017. EOdem tempore, mortuo Baldrico Leodicenſium Epiſcopo, Vulpodo ſub-

ſubrogatur, ac iubente Imperatore, à Gerardo Epiſcopo ad eandem eccleſiam ductus, dono Epiſcopij intronizatur. Iſte ſiquidem omni religione prædituſ, normam iuſtitiæ ſuis exhibuit, morumque ac vitæ innocentis exempla reliquit.

Engebrandus abbas Laubienſis irreligiosè viuens, à Gerardo & Vulpodo deponitur, ſubſtituto in eius locum Richardo.

CAP. XV.

SVb ijſdem diebus Engebrandus monachus abbatiæ Laubienſis eccleſiæ præerat: ſed ſub ſpecie regularis habitus ſæculariter viuens, nomen officij impugnabat. Nihil enim religionis interius doctrinabat, & exterius bona eccleſiæ turpiter diſſipabat. Vnde quidnam agerent ambo Epiſcopi, Gerardus videlicet & Vulpodo inuicem conſulentes, iſte quia in ſua parochia eſt eccleſia, ille quia in ſuo abbatia eſt territorio, eum eijcere moliuntur, & tandem effectũ adepti, ſed non ſine magno labore, pepulerunt. Qui poſtea depoſitum ſe abſque legali iudicio atteſtans, tamdiu aduerſus Epiſcopos clamores excitauit, dum indicto placito, ijdem *Laubienſe monaſt. ſub quibus?*

dem Episcopi iterum cum multis Abbatibus conuenirent, illumque coram omni populo confessum & deuictum canonicè ab officio iure priuassent. In cuius vice Richardum summæ religionis virum, diuina gratia præordinante, substituunt, qui & spiritualibus doctrinis monachos ædificauerat, & res exterius, vt videri nunc potest, multiplicare studuerat.

Richardus abbas S. Vedasti onus prælaturæ sponte deponit, substituto Leduino ex consilio Gerardi Episcopi.

CAP. XVI.

EA etiam tempestate Richardus Abbas, vt & liberius Deo seruire potuisset, & pro cælesti potius, quàm pro humana affectatione, se onus sumpsisse, cunctis notificaret, à regimonio Atrebatensis ecclesiæ se relaxare disposuit, consilioque Gerardi Episcopi, in sua vice Leduinum, ex laico piæ religionis monachum factum, substituit.

Defun-

Defuncto Heriberto Colonienſi epiſcopo, ſubrogatur Peregrinus, & ordinatur coram Imp. adſtante Gerardo & alijs epiſcopis: Inde Imp. in Italiam proficiſcitur, multa donans Gerardo pretioſa munera.

CAP. XVII.

DEfuncto autem Heriberto, venerabili Colonienſis eccleſiæ Epiſcopo, 1021. *Sig.* Peregrinus ſubrogatur, in ipſáque eccleſia, in natali Apoſtolorum Petri & Pauli, coram Imperatore, adſtantibus quidem multis Epiſcopis, pariterque etiam domno Gerardo Epiſcopo, ordinatur. Poſt quam ordinationem Imperator Nouiomagum petijt, ibique ſuis, quos Græci in partibus Apuliæ, circa vrbes videlicet Salernam, Beneuentum, Capuam, debacchantes premebant, ſe ſubuectum iri diſpoſuit. Paratis ergo viaticis iter arripiens, domnum Gerardum Epiſcopum vſque ad monaſterium Sanctas ſecum adduxit, ipſumque magnis & optimis muneribus, in auro videlicet, in pallijs, in precioſo etiam vaſe argenteo honorifice donans, cum amore & beniuolentia ad ſua remeare permiſit. Exin verò emenſo itinere,

ſuper Græcos irruens, Troiam ciuitatem obſidione vallauit, illucque domni Gerardi Epiſcopi mentionem faciens; ei munera iterum miſit, ſanè mandans totius beniuolentiæ commercia.

Gerardus epiſcopus apud Florinas duo fundat monaſteria, S. Gingulfi, & S. Iohannis.

CAP. XVIII.

EPiſcopi verò patre defuncto, ipſe dõnus Epiſcopus, apud Florinas, pro reuerentia ſiquidem loci quo natus fuerat, immo & pro ſalute animæ patris, & illud monaſterium ſancti Gingulfi, quod pater imperfectum reliquerat, ad finem perduxit, & alterum ſancti Iohannis, ex rebus ſuis & fratrum ſuorum, non tam pulchra ædificiorum, quàm forti operoſitate, fundauit. Sed hoc quidem clericorum: illud verò monachorum, vtrumq; annuente Baldrico Leodicenſium Epiſcopo, in cuius parochia ſunt, conſecrauit. Deniq; illa abbatia domni Abbatis Richardi regimonio commendata, ſed & magni Imperatoris H. auctoritate firmata, cœpit florere, ac poſtea magis magiſque, Deo gratias, tam affluentia rerum, quàm ſanctitate monachorum efloruit.

Bellum

Bellum Godefridi Ducis & Episcoporum Coloniensis, Traiectensis, & Leodiensis ex iussu Imp. contra Theodericum Arnulfi Gandensis filium. Lotharienses panico metu territi fugiunt, Godefridus capitur, Baldricus in villa Herevvarda moritur, Legiam ad sepeliendum deportatus, vocato ad eum tumulandum Gerardo Episcopo.

CAP. XIX.

ERat etiam locus quidam siluis ac paludibus inhabitabilis, qui ab incolis Merevveda nomen accepit, vbi videlicet Mosa & Vval fluuius de Rheno effluẽs pariter corriuantur. Nullusque ibi, præter venatores ac piscatores, habitare antea consueuerat, eratque Episcoporum Treuirensis videlicet ac Colonien sis, sed & aliquot Abbatum in piscatione & venatione communis possessio. Huc nimirum Theodericus Arnulfi Gandẽsis filius, qui participium monarchiæ Frisonum tenebat (quia Frisones, pro morte patris quem interfecerant, suspectos habebat) secesserat, factoque quodam municipio, alienus inuasor, ipsam terram præsumpserat possidere, sed & negotiatores inibi nauigan-

Merevve. da in confluentia Mosæ et Vahalis, vbi terribilis conflictus.

Frisonum monarchia

tes, grauiſſimo cenſu conſtringere. Vnde Imperator Henricus clamore excitatus, ac maximè Albaldi Epiſcopi, cui maior portio de ipſa communi poſſeſſione cedebat, monitione compulſus, Duci Godefrido, ſed & Epiſcopis Colonienſium, Treiectenſium, Leodicenſium, vt exercitum adunarent, edixit. Qui cùm iuxta decretum regium iter facerent, inter agendum accidit prodigium, quod mihi non videtur eſſe ſilendum. Baldricus enim Epiſcopus in vico Treiectenſi, in monaſterio ſanctæ Mariæ cõdidit cryptã, deſuper iam altari erecto. Vnde cùm ipſo die poſt orationem egreſſus, cùm in nauim intrare deberet, etiam cum ipſo exercitu profecturus, mirabile dictu, fuſo altari, totum illud opus diruitur. Hinc ergo malum omen multi opinabantur, ſiue publicum, ſiue priuatum Epiſcopi, vt paulò poſt probauit euentus. Ipſe enim cum alijs etiam arrepto itinere, mox infirmitate præuentus, in villa quæ Herevvardus dicitur remanſit. Cæteri verò cum innumerabili multitudine permeantes, Theodericum, cum paucis Friſonibus quos ſecum habebat, adorti ſunt, procul dubio ſe victuros eſſe putantes. Quis enim tantum ac tantæ virtutis exercitum præ-

Epiſ. Colon. Treiect. Leod.

Herevvard villa.

prævalere ambiget, præsertim cùm vsu bellico & disciplina militari præstarent, & Imperatori, studio placendi, inniterentur? Cùm ergo cominus conflixissent, derepente, incertum quis diabolico instinctu vexatus, in hac voce bis, horrendum, erupit. Fugite, fugite. Quo Lotharienses exterriti, nescimus quo Dei occulto iudicio, omnes fugam inierunt. Ex quibus, quàm multa, ac quàm miserabilis cædes facta est, nō est præsentis negotij explicare. Nec tam tamen ab hostibus ferro, quàm timore vexati, inter naues dum fugerent in numero periclitabātur, manifesto quidem quod scriptum est: *quia vnus mille, & duo fugarunt decem millia.* Dux autem Godefridus, quem secunda bellorum accenderant, vndiq; circumfusus, dum fugere pudoris æstimat, fugientibus socijs, solus in prælium ruit; cæsisque quos aduersum ierat, à latere circumuentus, tandem capitur vulneratus. Timens autem Theodericus tantæ magnitudinis virum in captione tenere, suæ temeritati consuluit, eumque, vt sibi Imperatoris gratiam emercetur, abire concessit. Ipso verò die, & vt multi coniectant, eadem hora qua bellum factum est, Baldricus Episcopus in prædicta villa

Lotharienses fugiunt.

Deut. 32.

a. Legiam & i. hominem exiuit,* Letgiam tamẽ ad ſepeliendum deuectus. Ad quem tumulãdum domnus Gerardus Epiſcopus per legationem vocatus, ire non diſtulit, ſed fraterno ductus amore, per totam noctem celeriter equitauit. Cùm verò citra Montem-caſtrum iter carperet, adhuc quidem prælij, quod fuerat factum, ignarus, tunc primum de prælio, & de captione Ducis acceperat. Duplici ergo mærore affectus, viam metire feſtinat, ſemperq́; quoſcunque habebat obuios, de prælio conſulebat. Antequam verò Letgiam perueniſſet, adrumatur ei Ducem rediſſe. Mox ergo repentina rerum conuerſione, non ſolùm Epiſcopus, ſed & multi alij mærorem quem de obitu Epiſcopi conceperant, gaudio quod habebant de Ducis incolumitate, mutarunt. Ad quem feſtinus epiſcopus, in caſtrum videlicet Argentolum, permeauit: à quo quidem honorificè ſuſceptus, omnem ordinem belli audiuit. Sciendum tamen quòd ante illud prælium, ferè per quatuor menſes cometa viſa eſt, ſolito tamen mirabilior, in modo videlicet quàm maximæ trabis.

Montes Hannoniæ.

Argentolũ caſtrum.

Mortuo

Mortuo Simone abbate S. Giſleni, qui res eccleſiæ diſtraxerat, agente Gerardo epiſcopo VVenricus vir ſanctus ſuccedit. Aldonis eiuſdem abbatiæ prædonis qui in cœmiterio ſepultus fuerat horribile iudiciū.

CAP. XX.

IN illis diebus, monaſterio ſancti Giſleni, in villa Cella, vnde ſuprà mentionem fecimus, præerat quidam Abbas, nomine Simon, qui ſæculariter viuens, res eccleſiæ diſtrahebat. Poſt cuius exceſſum ad tantam paupertatem deduxit, vt vix quatuor monachi remanerent. Dominus autem Epiſcopus hoc præuidēs, quæſiuit Abbatem; ſanctumque virum, Wenricum nomine, Imperatori obtulit dignitate donandum. Quamuis enim Abbatia pauper ſit & exigua, pendet tamē de manu regia. Qui Abbas factus, cùm ad cōmiſſum monaſterium perueniſſet, omnia diſſipata miratur, & non tantùm præſentia damna deplorat; verùm etiam multas incurſiones latronum, qui illuc quā plurimi conuerſantur, poſtea perpeſſus eſt. Quorum vnus, nomine Aldo, nominatiſſimus raptor, multas inrogabat iniurias, in tanta quidem præſumptione ſublatus, vt in-

lib. 2. c. 40.

Abbatia S. Giſleni afflicta.

vt infra clauſtrum cum rapinis & armis aliquando verſaretur. Vnde Epiſcopus Comitem Rainerum frequenti clamore pulſauit, ſanè ſurdum; quia & ipſe raptor raptoribus fauere conſueuerat. Contigit autem domnum Epiſcopum aliò tendentem per illud monaſterium tranſitum facere. Vbi cùm perueniſſet, prædictum latronem inuenit, captumque Albaldo Treiectenſium Epiſcopo commendauit. Poſt vnius verò anni curriculum, domnus Epiſcopus multorum precibus delinitus, redire permiſit, promittentem videlicet, & ſanctè deierantem, quòd rapinis ſe ſubtraheret, fidelis eccleſiæ cum omni deuotione manſurus. Hoc verò irritum faciẽs, poſtea ab inſolẽtijs nõ ceſſauit. Sed paulò poſt, per miſericordiam Dei, morte correptus, in ipſo tamen cimiterio, multo ſuorum precatu, ſed neſciente Epiſcopo, tumulatur. Quod quàm nefarium fuerit, diuina clementia propalauit. Poſt biennium enim, cùm alij humando, ipſius tumulus foderetur, de toto certè corpore nullum veſtigium, præter vnum ſubtolarium, reperitur. Per hoc ergo cunctis intelligere datur, quantæ damnationi in Tartaro impij deputantur.

Rainerus Comes Montenſis ſiue Hannoniæ.

VVen-

VVenrico abbate defuncto, duos ſubſtituere præſumit Rainerus Comes, quos cùm Gerardus Epiſcopus reieciſſet, Imperator Herbrandum ſubſtituit.

CAP. XXI.

POſt obitũ verò domni Abbatis Wenrici, duos Abbates, alterum poſt alterum, Comes Rainerus, ſubſtituit: hoc ſiquidem modo abbatiam vendicare præſumens. Quod quia nefas eſſet, domnus Epiſcopus ſua auctoritate reiecit, cùm, vt ſuprâ diximus, Abbatiam quamliber, nullus præter Imperatorem aut Epiſcopum, debeat commendare. Poſtea verò Imperator quem voluit, Herbrandum videlicet, qui nunc eſt, monente domno Epiſcopo, vt dignum eſt, ſublimauit. Hic etiam multa mala perpeſſus eſt à Comite Rainero. *cap. 6.*

Potator blaſphemus in ſacram communionem terribili morte punitur, armiger eius excæcatur. Quantum ſit nefas tales in cœmiterio ſepelire.

CAP. XXII.

INter hæc etiam illud memoriæ commendandũ eſt, quod in ipſis diebus, in

vico quodam Treiectenſis diœceſeos accidiſſe, domnus Epiſcopus nobis narrare ſolebat, ſibi certè ab Epiſcopo Albaldo relatum. Quia namque Aquaticorũ Friſonum circa ipſam parochiam moris eſt, aut vix paucos, aut nullos Euchariſtiam in die ſancti paſchæ velle guſtare. Ipſa ſiquidem die, ſacerdos in quodam videlicet vico eiuſdem diœceſeos, populum ſuum cæleſti alimonia refecturus, plebeculã admonere curauit, vt ad percipiendum cæleſtis vitæ ſacramentum venirent. Quibus de more cunctantibus, vnus qui maior cæteris aderat, inſtinctu diabolico agitatus, myſterium Chriſti blaſphemare non timuit, dicẽs malle ſibi † peccarium plenum ceruiſiæ, quàm illud cæleſtis epulum menſæ. Vt autem maiorem hæſitationem intuliſſet cæteris, addidit: omnes ipſo anno morituros quotquot eſſent ipſo die cæleſtem alimoniam aſſumpturi. Quo nimirum omnes exterriti, ſicuti rudes, Dominicæ menſæ ſe ſubtraxerunt. Ille verò blaſphemus ad quandam tabernam de more profectus ceruiſiam nimiam inconcauit. Sicq́; debriatus, aſcenſo equo, dum aliô cum ſuo armigero tenderet, mox diuina vltione percuſſus, de caballo corruens, collum ſiquidem fractus, ſpiritum exala-

certè pro certò.

Friſones Aquatici alieni à ſacra cõmunione.

for. beccarium.

Blaſphemi & ebrioſi pœna horribilis.

exalauit: in † atrio tamen, quia maior e- *†. i. cœmi-*
rat villulæ, ſubterratus. Quod quantum *terio.*
nefas fuerit, diuina clementia non multò poſt mirabiliter indicauit. Sed nec prætereundum quod armiger in ipſa hora qua dominus ſuus de caballo corruit, diuinitus ſit excæcatus, ſed poſtea pœnitens, Dei miſeratione lumen recepit. Tunc temporis verò Albaldus Epiſcopus apud Imperatorem H. in Saxonia morabatur. Vbi cùm audita huiuſmodi cauſa, ipſius blaſphemi tumulationem in atrio accepiſſet, altiùs ingemuit, ſatiſque hoc indignum iudicans, vt infidelis ſit particeps fidelium defunctorum, ſtatim detumulari præcepit. Sed quia hoc nemo præ timore ipſius parentelæ facere auderet, ipſe epiſcopus ab Imperatore diſcedens, per eundem vicum tranſitum faciens, blaſphemum defodi fecit, defoſſumque per pedem fune ligato longè trahi præcepit. Qui cùm traheretur, licet quindecim ferè diebus ſub tumulo iacuiſſet, per ſpatium vnius miliarij, mirabile dictu, ceruiſiã ac ſi recens bibiſſet, euomuit. Quod quia domnus Epiſcopus ſæpe narrabat, ſcribere ratum duxi, ne poſteros latuiſſet, vt infideles quique quaterentur terrore; fideles verò meritò lætarentur.

Horri-

Horribilis pœna Alberti Veromandenſis Comitis ob linguæ peccata, qui & habitu monachali abiecto, iterum chlamydem militarem aſſumpſerat.

CAP. XXIII.

ITem quàm mirificum ſub illis diebus Alberto Vermandenſi Comiti, fratri videlicet Ottonis qui nunc eſt, dignum quidem recõpenſante diuina clementia, accidiſſe, domno epiſcopo narrante, cognouimus, nolumus præterire. Hic nimirũ Comes omni malitiæ deditus, officium linguæ in detractione, in periurijs, in ſcurrilitate, ſed & in omni genere prauitatis exercuit. Quod cùm diu feciſſet, iuſto Dei iudicio tandẽ graui & intolerabili lãguore percuſſus, pœnas luit, & ex cõſideratione ſuorum ſcelerum perterritus, (piè ſiquidem monente monacho Walerano, qui tunc ſub Richardo abbate monaſterij ſanctæ Hunegundis præpoſitus erat, nunc autem, Deo gratias, boni teſtimonij Abbas) falſam pœnitentiam induit, poſtea ſub monachali habitu Domino ſeruiturus. Tonſo igitur capite, aſſumpto habitu, ex illa infirmitate aliquan-

quantiſper conualuit, moxque inſtinctu diaboli, cui totus inhæſerat, relapſus ad vomitum, conſilio matris, aliorumq; fautorum qui hoc eum per inſaniã feciſſe dicebãt, militari chlamyde iterum ſumpta, mutauit cucullam. Statim verò iterũ ineuitabili morbo corripitur, & vt digna meritis ſuis recompenſatio omnibus appareret; lingua eius diuino igne ſuccendi reperta eſt. Cui cùm hora exitum maturaſſet, ſtulti canonici corpus Domini detulerunt. Quod cùm guſtaſſet, mox in his verbis vltiſſimis ſpiritum exalauit. Ferrũ, inquit, quod mihi * clerici detulerunt, me occidit. Quẽ viſitaturus, cùm iam dictus monachus iterum adueniret, latentem ignem in ore volens cognoſcere, moribundum os difficilimè cultello recluſit, & linguam vſq; ad palatũ, miſerabile viſu, crematã, matri ac fratri, & cæteris adſtantibus apertè monſtrauit: certè inſinuãs manifeſtum Dei iudiciũ, & hoc meritis ſuis dignè cõpenſum, qui quò aduixit, linguã omni malicia deprauauit. Quod quia certus relator, ipſe videlicet monachus domno Epiſcopo intimauit, ad honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, memoriæ commendaui, vt quicũque audierint improbi terreantur, boni verò meritò gratulẽtur.

Lingua eius igne ſuccenſa eſt.

a. Canonici.

Gerar-

Gerardus episcopus interfuit consecrationi Beroldi episcopi Suessionensis, vbi motam difficultatem inter Azelinum Laudunensem & Harduinum Nouiomensem episcopos, sua prudentia sedauit.

CAP. XXIV.

EA tempestate, cum alij multis coëpiscopis, interfuit etiam domnus Episcopus consecrationi B. Suessionẽsium Episcopi, in ipsa videlicet ecclesia Suessionensi. Vbi siquidem A. Laudunensium Episcopus, H. Nouiomensium episcopum omni calliditate & fraudulentia criminatus, procul extorret, & indignum fraterna conuentione, coram coëpiscopis qui aderant exclamauit. Ad cuius rei experientiam, literas ex nomine Domni Apostolici falsò signatas in medio publicauit, in quibus Harduinum pro multis criminibus anathematizatum esse contendit. Ad quod roborandum aliquot coëpiscoporum fraudulenter illectis, etiam domnum Episcopum illicere æstimauit. Domnus autem Episcopus eius commenta declinans, quamuis Harduini lapsus aliquot non nesciret, longè dissensit, iudicans certè

certè Harduinum nequaquã iudicio eius debere damnari, cuius consilio obiecta crimina perpetrasset. A capellanis enim eorum, Harduinum, hortante Azelino, quædam turpia feciſſe audierat. Quorum verò contentio diu inuicem ventilata, eo vſque proceſſit, vt inſtinctu diabolico in arma volare excandeſcerent. Domnus autem Epiſcopus partim canonicis ferulis alterutrum pungens, ad tempus difficillimè tranquillauit.

Agente Azelino ad Archiepiſcopatum Remenſem eligitur quidam indignus: quare eius ordinationi & conſecrationi Gerardus Epiſcopus vehementiſsimè reclamauit.

CAP. XXV.

DEfuncto A. Remenſium Archiepiſcopo, Azelinus Laudunenſis quendam laicum Ebulonem nomine, antea ſuum ſecretariũ, & ſuæ calliditatis conſcium acclamauit, & vt Rex concederet ſuis adulationibus impetrauit, virum ſanè nullius diſciplinæ, nihil etiam litterarum, præter pauca ſyllogiſmorum argumenta ſcientem, quibus idiotas ac ſimplices quoſque ludificari ſolebat. Sub *A. Albero-ne.*

ſpecie

ſpecie verò literarum, ad tanti honoris faſtigium multò antè tendebat, ſpemque ſuam multa pecunia cumulabat, quam vſuris turpiter aceruabat. Hoc quoq; Azelinus, multò antè quæſiuit, & nunc maximè inſudabat, quatenus per eum ſuas calliditates liberiùs exerceret. Ad cuius ordinationem & conſecrationem vocatus domnus Epiſcopus, altius reclamauit, & hoc indignum, vt poſtea probauit euentus, & contra diuina eloquia factum, iuxta illud Apoſtoli: *Non Neophytum*, viua contradictione redarguit.

1. *Tim.* 3.

De cauſa inter Azelinum, & Harduinum epiſcopos in Synodo in Monte S. Mariæ celebrata.

CAP. XXVI.

POſtea tamen procedente tempore, videns quia emendari non poterat, fraterna ſiquidem coëpiſcoporum quibus inhæſerat admonitione ductus, ad quandam Synodum, quam in Monte ſanctæ Mariæ celebraturi eſſent, conuenerat. Vbi nimirũ Azelinus timens obiectiones Harduini, quem ſuſpectum habebat, illius commenta preuertens, ſibi conſuluit, epiſtolamque

lamque, quam de Harduini culpis inſcripſerat, vni Epiſcoporum porrexit legendam. Quæ cùm alta voce in medio legeretur, auditum eſt anathema eſſe inter eos, Harduinum videlicet ibi adſtantem. Quo lecto ſynodus perturbatur, magnaq; altercatio facta, tamen diligentius diſcutienda in alteram ſynodum vſque differtur.

Improbat Gerardus Epiſcopus conſilium perniciosum Epiſcoporum, qui ſibi Regalia iura vendicare volebant, oſtendens, quæ epiſcoporum, quæ Regum ſint officia, ſed tandem acquieuit inuitus.

CAP. XXVII.

IPſo in tempore videntes epiſcopi B. Sueſſionenſium, & W. Beluacenſium, præ inbecillitate Regis, peccatis quidem exigentibus, ſtatum regni funditus inclinari, iura confundi, vſumque patrium & omne genus iuſtitiæ profanari, multum Reipublicæ ſuccurrere arbitrati ſunt, ſi Burgundiæ Epiſcoporum ſententiã ſequerẽtur. Hi nimirũ totius auctoritatis expertes, cõmune decretũ fecerunt, vt tam ſeſe, quàm omnes homines ſub ſacramẽto

Valerannus 39. in tab. Democharis.

Burgundicorum epiſcoporum iuramentum.

conſtringerent, pacem videlicet & iuſtitiam ſeruaturos. Huiuſmodi igitur commento prædicti Epiſcopi excitati, ſuperioris quidem Galliæ coëpiſcopis conſpirantibus, etiam domnum Gerardum Epiſcopum, vt ſecum ſentiret, pariter monuerunt. Qui altius cauſas aduertẽs, procul renuere æſtimauit, cunctiſque perniciosum conſilium, ac impoſſibile intelligens, nullum aſſenſum porrexit. Hoc enim non tam impoſſibile, quàm incongruum videri reſpondit, ſi quod Regalis iuris eſt, ſibi vendicari præſumerent. Hoc etiam modo ſanctæ eccleſiæ ſtatum confundi, quæ geminis perſonis, regali videlicet ac ſacerdotali, adminiſtrari præcipitur. Huic enim orare: illi verò pugnare tribuitur. Igitur Regum eſſe, ſeditiones virtute compeſcere, bella ſedare, pacis commercia dilatare: Epiſcoporum verò, Reges, vt viriliter pro ſalute patriæ pugnent, monere, vt vincant orare. Hoc ergo decretum periculoſum eſſe omnibus; omnes videlicet aut iurare, aut anathemati ſubiacere. Omnes enim communi peccato inuolui, ſi commento huiuſmodi vterentur. Itaque Epiſcopum diſſentientem cæteri coëpiſcopi occultis reprehenſionibus improbabant, dicentes eum

Gerardus nihil vult probare contra ius Imp. vel Regum.

eum non esse pacis amicum, qui pacem volentibus dissentiret. Postea verò suorum crebro hortamine circumuentus, sed maximè abbatum, * Leduini videlicet & Rotrici precatu coactus, acquieuit inuitus. Sed quod antè reclamabat, postea probauit euentus. Vix enim pauciſſimi crimen periurij euaserunt.

a. Lietduini.

Epistola Gerardi Episcopi ad Leodicenses Archidiaconos plena ecclesiasticæ eruditionis & disciplinæ; de excommunicatis non absoluendis, nec in sacro loco sepeliendis, nisi pœnituerint.

CAP. XXVIII.

SIc itaque domnus Episcopus diuina eruditione scutatus, leges ecclesiasticas, prout poterat, viriliter tuebatur, cunctisque aduersantibus obuiabat inuictus. Leodicenses ergo archidiaconos, qui aut amore pecuniæ, aut amicorum gratia ducti, excommunicatos ab ipsis cunabulis totum vitæ spatium in omni prauitatis genere consummantes, inter fideles quidem Christianos concedebant pariter tumulari, iustè redarguit, & vt hoc abhorrerẽt, fraterna correctione admonuit,

hoc modo. *G. gratia Dei, licet immeritus Episcopus, sanctæ Leodicensis ecclesiæ Archidiaconis, illud supplere moribus inoffensis, quod exigit prærogotiua nominis.*

Quoniam quidem semper de caritatis vestræ actibus fraterna affectione sollicitor, saluo caritatis proposito vos monere cupio, ne aliquam irrationabilem nouitatem vsurpare velitis, per quam ab ecclesiastica, & apostolicæ institutionis consuetudine discrepare videamini, in eo specialiter, quod prophetica & Euangelica auctoritate, nec non apostolica & sanctorum patrum traditione firmiter & inrefragabiliter confirmatum est: videlicet ne eos qui ab ipsis cunabulis totum vitæ suæ spatium in prauis actibus consummantes, & aduersum sanctam Dei ecclesiam vesano furore intumescentes nequaquam à suæ malitiæ proposito mansuescere potuerunt, sed nec vlla rerum conuersione, etiam in ipso suæ vitæ exitu, vllam pœnitudinis correctionem prætendentes, indurati, & excommunicati, cũ ipsa prauæ voluntatis intentione finem vitæ acceperunt, & iusto iudicio à sanctæ matris gremio excluſi, & fidelibus debito, priuati sunt sepulchro, eos, inquam, absolutionis gratia donandos, & inter fideles indiuisa communitate sepeliendos iudicetis. Quod quidem non temere à vobis fieri confido, si

vnde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius vestræ obseruantiæ sumere velitis, & beati Petri apostoli sedes, quæ vobis, sacerdotalis mater est dignitatis, ecclesiasticæ vobis sit magistra rationis. Ad quam vos promouere pro exiguitatis meæ sollicitudine, præsentis occasione temporis, si quidem sustinetis, moneor, præmissis paucis quidem, sed non vitandis sententijs, ex propheticis & euangelicis decretis. Nam quid apertius contra huiusmodi, aut quid efficacius occurrere poterit, quàm illud quod per Iezechielem prophetam Dominus increpando denunciat: Si auerterit iustus, in quiens, se à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum abominationes quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur: in præuaricatione sua, qua præuaricatus est, & in peccato quo peccauit, in ipsis morietur. Et paulò post: In iniusticia sua, inquit, quàm operatus est, morietur. Vnde vobis æstimandum propono, si illi præteritæ iusticiæ, quæ fortasse aliquæ fuerant, nihil proficiunt ad euacuandam sequentium malorum maculam, quantò minus, immo nihil, huic illæ, quæ nullæ quidem fuerant in omni vita, cui certè nullum tempus præterijt à malitiæ Ezech. 18.

ſtudijs alienum? Sed & ipſe Dominus pro-
1. Timo. 2. *phetarum, & mediator Dei & hominum, à beato Petro interrogatus de peccante fratre, modum correctionis ſub hoc fine concluſit:*
Mat. 18. *vt ſi per ſe ſolum moneri non poſſet, vnum aut duos adhibendos putaret, quibus minimè proficientibus, continuò eccleſiæ commonendum deputaret, quam ſi minus audiret, fore ſicut Ethnicum & publicanum. Cui ſententiæ continuò ſubiunxit. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; Et: Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo. Quod igitur ex ſententia veritatis in cœlo ligatum eſt per eos, qui, auctore Deo, principatum ſuperni iudicij ſortiuntur, vt vice Dei ligandi auctoritatem accipiant; quis tam præcipitatæ mentis atque exorbitatæ intelligentiæ eſt, vt ligationis huius cenſuram irritam, non dicam facere, ſed confiteri præſumat? Verùm quia ſæpe accidere ſolet, vt erga quemlibet proximum odio aut gratia moueatur paſtor, inde rectè per pro-*
Ezech. 13. *phetam dicitur: Mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas quæ non viuunt. Vnde beatus Gregorius in ho-*
Gregor. homil. 26. in Euang. *milijs ſuis: Non morientem, inquit, mortificat, qui iuſtum damnat: & non victarum viui-*

viuificare nititur, qui reum ſupplicio abſoluere conatur. Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſoluendi poteſtas exercenda. Videndum itaque quæ culpa, aut quæ ſit pœnitentia ſubſecuta poſt culpam: vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos paſtoris ſententia abſoluat. Tunc enim vera eſt abſolutio præſidentis, cùm interni arbitrium ſequitur iudicis. Quod bene quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat, quæ videlicet monſtrat, quia prius mortuum Dominus vocauit & viuificauit, dicens: Lazare veni foras: & poſtmodùm qui viuens egreſſus fuerat, à diſcipulis eſt ſolutus. Illum porrò diſcipuli viuentem ſoluunt, quem magiſter reſuſcitauerat mortuum. Si enim diſcipuli Lazarum mortuum ſoluerent, fœtorem magis oſtenderent quàm virtutem. Ex qua conſideratione intuendum eſt, quòd illos nos debemus per paſtoralem auctoritatem ſoluere, quos auctorem noſtrum cognoſcimus per reſuſcitantem gratiam viuificare. Quo contrà conſiderandum eſt, noſtro non poſſe arbitrio ſolui, quos internus arbiter nullo ſpiritu ſatisfactionis animauit. Quid autem ipſe dilectus Domini Iohannes de talibus dicat, audiamus, ipſe inquam, qui ait: Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt. Hæc eſt, inquit, fiducia

Ioan. 11.

1. Ioan. 3.

Ibid. 5.

quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos. Scimus etiam quia petitiones habemus quas poſtulamus ab eo. Qui ſcit peccare fratrem ſuum peccatum non ad mortem, petit, & dabit ei vitam peccanti non ad mortem. Et continuò ſubiungit: Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis: ac ſi apertè dicat, quia orare quidem pro peccato non ad mortem, voluntatis eius eſt qui
Ezech. 18. *non vult mortem peccatoris. Et hoc conſequenter adprobat cùm dicit: quia audit nos. Quod autem contrà intulit: Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis, profectò vult intelligi, quia pro huiuſmodi ora-*
Auguſt. *re, diuino eſt potius iudicio repugnare, ſicut ait beatus Auguſtinus: Pro apertè impijs orare, quid aliud eſt, quàm Deum ad iracundiam prouocare? Nam & ipſe per prophetam*
Ezech. 33. *Dominus dicit: vnumquemque in vijs ſuis iudicabo. Et alibi: Qualem te inuenero, ta-*
Gregor. lib. 4. dial. c. 39. *lem te iudicabo. Et beatus Gregorius in Dialogo ſuo dicit: Quia qualis hinc quiſque egreditur, talis in iudicio præſentatur: licet paulò poſt, quaſdam leuiores culpas, vt eſt ocioſus ſermo, immoderatus riſus, poſſe relaxari dicat. Et ſcriptura dicit: Lignum ſi ce-*
Eccle. 11. *ciderit ad auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit. Quale igi-*

tur

tur sit pro huiusmodi orare, psalmista per spi-
ritum terribiliter insonuit, dicens: Oratio Psal. 108.
eius fiat in peccatum. Et Dominus, sub specie
plebis Iudaicæ, pro talibus prophetam ab ora-
tione compescit, dicens: Ne assumas laudem Hier. 7.
*pro eis & oratione. Cæterum * quid apostolus* addidi quid.
in prima epistola ad Corinthios scribat, sanè
notum vobis esse non dubium est: Scripsi, in- 1. Cor. 5. 1
quit, vobis in epistola, ne commisceamini
fornicarijs; non vtique fornicarijs huius mũ-
di, aut auaris, aut rapacibus; alioquin debue-
ratis de hoc mundo exisse. Deinde subinfert:
Si is qui frater nominatur, est fornicator,
aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. rest. pro eam.
*Qua in re pensandum est, si Apostolus * tam*
districta animaduersione, horum consortia
deuitanda moneat, quanam nostri arbitrij
spe illum communioni fidelium restituendum
æstimemus, qui vsque ad ipsum vitæ exitum,
nullo vnquam malitiæ generæ caruit, qui
nunquam à seditionibus, ab effusione sangui-
nis, ab incendijs, nunquam à sacrilegijs, nun-
quam etiam manus à rapinis continuit: quin
potiùs in ipso vitæ extremo, pleno ventre ra-
pinis, spiritum vacuum iustitiæ alimentis e-
misit: qui manifesto Dei iudicio percussus,
nec confessionis venialem gratiã meruit, nec
viaticum salutis percepit: quem nos quidem,

culpis exigentibus, frequenti monitione ad satisfactionem vocatum, sed obstinatius repugnantem, apostolicæ auctoritatis virga percussseramus: vnde nec in extremo mortis positus, veniæ mentionem aut signum ostendit? Vnde ne diutius vos moremur, animaduertat caritas vestra, quid de ijsdem excommunicatis, & ita defunctis Leo papa in decretalibus suis dicat: Horum, inquit, iudicio Dei causa reseruanda est, in cuius manu fuit, vt talium obitus vsq; ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viuentibus nec communicauimus, mortuis communicare nonpossumus.]

Leo epist. 92. ad Rustic. Narbon. c. 6.

Sed fortasse cuilibet subripi potest, vt absolutionis mercedem & sepulturæ, aut pecunia, aut prædijs in vsibus ecclesiæ contraditis quærendam arbitretur, asserens ex huiusmodi rebus palatia stare, ecclesias instaurari. Sed hanc eius sententiam qualiter Ambrosius Autbertus refellat, paucis audite. His, inquit, qui talia dicũt nos veraciter respondemus: quia inde magis palatia ruunt, ecclesiæ subuertuntur, vnde secũdum vestram sententiam stare videntur. Inde gens super gentem venit, inde regnum in regnum consurgit, inde clades, inde fames, inde exeidia, inde oriuntur discrimina, & vnde terrenus dominus placatur, inde Dominus cæleſtis ad iracun-

Ambros. Autbertus.

Nota de donis impiorum & rapinis.

iracundiam prouocatur. Verùm quoniam non latet noticiam veſtram, quoſdam ſub obtentu æqui & rectí, prætendere tale aliquid factum à modernis ſenioribus: idcirco vos fratres mei, & inter vos domnum Iohannem cariſſimũ noſtrum ſingulariter conuenio, ne hanc malæ conſuetudinis normam tanquam ab auctoribus ſibi ſeruandam adſcribat. Non enim auctores dicendi ſunt, qui non ea quæ à Domino, & ſanctis patribus tradita ſancta eccleſia retinet, ſed libitu ſuo, quæcunq; voluntati occurrunt ſeruanda inſtituunt. Conſideret potius quid Dominus Scribis, & Phariſæis iurgantibus, quod diſcipuli eius tranſgrederentur præcepta ſeniorum reſponderit: Quare, inquiens, & vos tranſgredimini Mat. 15. *mãdatum Dei propter traditionem veſtram? Et paulò poſt: Sine cauſa, inquit, colunt me, docentes doctrinas & præcepta hominum. Sed ſi fortaſſe obijcitis, veſtrũ parœchianũ fuiſſe, & ea gratia liberam abſoluendi poteſtatem vobis vendicatis; de hoc in Meldenſi Concilio, quid ſancitum ſit in medium proferatur, quod eſt huiuſmodi. De his qui infra parœchiam beneficium aut hæreditatem habent,* Concil. Meldenſe cap. 2. *& alterius Epiſcopi parœchiani ſunt, & dum de loco ad locum iter faciunt, rapinas & deprædationes peragunt, placuit nobis vt excommunicentur, nec ante ex parœchia exeãt,*

quam

quàm quæ perpetrarunt dignè emendent; quorum excommunicatio ſeniori eorum, & proprio Epiſcopo ſignificanda eſt, ne eos recipiant antequam illuc redeant, vbi rapinam fecerunt, & omnia plenitèr emendent.]
Verùm de hoc ſatis ad præſens dictū. Iam vos fraternæ caritatis amore hortamur & petimus, vt quia huc vſque à vobis, & à loco iſto bonus vſus & cuncta quæ ad generalem eccleſiaſticæ dignitatis obſeruantiam pertinent, ſeruata ſunt, quod reſiduum temporis eſt, ſummâ curetis vigilantia, ne antiquæ religionis nobilitas aliqua adinuentionis nouitate inposturetur: ſed ne ſeniori veſtro, fratri autem & gratia Dei coëpiſcopo noſtro, aliquid præter æquum & bonum, quod fortaſſe ille adhuc minus prouidit, ſuaderi delectet, quod nos quidem iure incuſamus à vobis non adeo curatum, pro Erieboldo ſcilicet, quem vt ipſi noſtis, nos à ſeniore veſtro & fratre noſtro commoniti, excommunicauimus, ob inceſtum quod cum ſanctimoniale commiſerat, atque pro aliis malis, quæ in noſtro Epiſcopio multa perpetrauerat, quem nunc frater noſter abſolutum, ad communionem ſine noſtro conſilio & monitu ſuſcepit. Sed & paroechiani noſtri, quos pro eccleſijs quas incenderant, & rapinis quas exercuerant, à communione ſequeſtraueramus de noſtra paroechia

Id vetat can. 33. Apoſt.

roechia in veſtram, id eſt in Niniellam, nobis reclamantibus, ſublati, ad ſepulturam admiſſi ſunt. Veſtri etiam de quibus apud vos planctum habuimus, pro incendijs quoque & alijs culpis ſimiliter à nobis excommunicati, tamen nec ſatisfactione purgati, nec abſolutione donati, in eodem loco adhuc iacent ſepulti.

Gerardus epiſcopus monet Adalberonẽ Laudunenſem epiſcopum, qui ſimoniacè alteri epiſcopatum ſuum tradere, & ſecum in eadem ſede epiſcopali collocare cogitabat.

CAP. XXIX.

DEhinc verò Adalberonem Laudunenſium Præſulem, qui Epiſcopiũ quo fungebatur Widoni clerico, nepoti videlicet Beroldi Epiſcopi, vendere vſurpauit, & ſecum in ſede Pontificali collocare putabat, hoc ſcripto correxit. *Domino Adalberoni ſanctæ Laudunenſis eccleſiæ Epiſcopo G. gratia Dei coëpiſcopus.*

Etſi huc vſque vario de vobis plebis rumore nihil mouebamur, dũ quidem & eccleſiaſticæ diſciplinæ cultibus, & publicæ adminiſtrationis actibus, haud mediocriter ſapere videbamus: nũc tamẽ ſtupor quidã mentẽ noſtrãperturbat, & vt ita dicã, penè exanimat, cùm

cùm à vobis tam mirandum atque inuſitatum nefas in ſancta eccleſia eſſe audimus, vt videlicet vnius regimen eccleſiæ duobus cedat paſtoribus, & vos eligendæ ſucceſſionis vobis arbitrium aſſcribatis. Quod quidem nec in omni veteris teſtamenti canone, aut apoſtolica eccleſia, ipſi bene ſcitis nulli donatum fuiſſe. Verùm etſi aliquem ex ſanctis per ſpiritum de ſucceſſore prænũciaſſe audiuimus, non noſtrum eſt, in exemplum trahere, quia, vt ait beatus Gregorius: Miracula Dei non ſunt in exemplum trahenda, ſed admiranda. Precamur igitur caritatem veſtram, ne tantò diſpendium honoris, mutando propoſitum æſtimetis, quantò diuinæ ordinationi contraire formidetis: neue ſcripturam vobis, ſed vos ſcripturæ ſubmittatis; ne nimis amando ſententiam veſtram, poſteris relinquatis occaſionem vſurpandi ſacerdotij, cui re veræ ſuccedet materia ſeditionis. Nihil enim defuturum arbitramur, ſi huiuſmodi vſus increuerit, vt non ſedes eccleſiæ venales exiſtant, & ſumma ſacerdotij mercaturæ compendijs venundetur, ſicú; pecunioſus quiſq; ad culmen paſtoralis regiminis aſpiret. Quod autem caritatis fraternæ affectu vobis dicimus, precamur ne indignari debeatis.

Simile habet lib. 6. Mor. l c. 8. aliàs 6.

De

De eadem re ſcribit ad Ebulonem Archiepiſcopum Remenſem, ne in hoc conſentiat.

CAP. XXX.

ITem ad Archiepiſcopum E. qui hoc conſenſerat, ita ſcribit. *E. Archiepiſcopo G. nullius meriti coëpiſcopus.*

Quoniam quandam execrandæ vſurpationis nouitatem infra diœceſim veſtram coaleſcere audiuimus, videlicet vt vna eccleſia duos habeat Epiſcopos, & alter alterum ad inſtituendum ſibi ſucceſſorem liberum habeat arbitrium, quod ſanè nullius auctoritatis conſtat pondus habuiſſe: videmur iam intueri quoddam quaſi baratrum patẽs, de quo fumus temerariæ vſurpationis erumpens, portendit quoddam ſchiſmatis incendium futurum, per quod, ſubeuntibus diſſidijs, eccleſia à ſuæ pacis vnitate ſoluatur. Nos verò quoniam nullum vos huic ſententiæ præbuiſſe aſſenſum audiuimus, gratias agimus Deo, de cuius hoc vobis munere venit, ne vos in hoc hæreſiæ præcipitium pertrahere quis potuerit. Quare paternitatem veſtram præmonemus, obteſtantes per eum qui nos paſtores in eccleſia ſua, licet indignos, eſſe voluit, ne vnquam vos huic adinuentioni,

ni, quæ quidem contra Spiritus ſancti ordinationem, & totius eſt eccleſiæ catholicæ inſtitutionem, conſenſum præbeatis. Quod autem nuper nos conuenire velle vos ad colloquendum mandaſtis, illud veſtræ voluntati reſeruauimus, & maturius agendum cenſemus, quia inde tanta ſanctæ Dei eccleſiæ diſcrimina oriuntur, vnde negligentius eius commodis in commune conſulimus.

De eodem ad Beroldum Epiſcopum Sueſſionenſem.

CAP. XXXI.

B. nomine & merito Epiſcopo G. nullius meriti coëpiſcopus, quicquid ab beatè viuendum præſtantius.

Quoniam quandam execrandæ conſuetudinis nouitatem infra ſanctam eccleſiam coaleſcere audiuimus, videlicet vt vna eccleſia duos habeat Epiſcopos, & vnus alterum ad inſtituendum ſibi ſucceſſorem liberum habeat arbitriũ, quod ſanè nullius auctoritatis conſtat pondus habuiſſe; videmur iam intueri quoddam baratrum patens, de quo fumus temerariæ vſurpationis erumpens portendit quoddã ſchiſmatis incẽdiũ futurũ, per quod, ſubeuntibus diſſidijs, eccleſia à ſuæ pacis vnitate ſoluatur. Verum, quoniã ſi in hãc rem aſſenſũ adhuc præbuiſtis nõdũ auditur à nobis frater-

fraternitatem vestrã præmonemus, obtestantes per eum qui nos ecclesiæ suæ ministros & pastores esse voluit, vt si hoc vestro constat esse consilio, diuinæ ordinationi cedendum potius æstimetis, quàm proprio arbitrio impendatis; ne tam vos carnalis amor in sinistrum rapiat, quàm spiritualis feruor in zelum rectitudinis accendat. Sin autem: nunquam in hoc hæresiæ præcipitiũ quis pertrahat, vt huic adinuentioni, quæ quidem contra spiritus sancti ordinationem, & totius est ecclesiæ catholicæ institutionem, consensum præstetis.

Gerardi episcopi epistola ad Leduinum Abbatem S. Vedasti, qua deplorat calamitates sui temporis, & inter cetera conflagrationem ecclesiæ B. Mariæ Atrebatensium.

CAP. XXXII.

G. nomine, non merito Episcopus L. Abbati & omni congregationi sancti patris nostri Vedasti sub eo degenti, & omnibus hanc paginam deuotè legentibus & vita, & pax à Deo multiplicetur, qui est vita & gloria cunctis in se credentibus.

Quoniam sanctæ matris ecclesiæ cognouimus vos esse filium, imitando patrẽ vestrum

miſericordem Deum, qui ad ſuæ bonitatis ſimilitudinem vos ſibi in adoptionem procreauit filium, Deo & caritati veſtræ gratulamur multùm. Præ cæteris enim filijs eidem eccleſiæ matri ad præſens, Dei iudicio, afflictæ, per compaſſionem animi honorem exhibuiſtis debitum. Legimus enim in libris Regum Dauid Regem & prophetam benedixiſſe viros Iabes Galaad, qui Saul Regem ſepelierunt, quamuis deiectum, & à Deo re-
2. Reg. 2. *probatum, dicentem: Benedicti vos Domino, quia feciſtis miſericordiam cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum. Si enim illi benedictionem à Rege & propheta Dauid promeruerunt, qui quamuis deiecto & à Deo reprobato Sauli miſericordiam fecerunt, multò magis vos qui feciſtis miſericordiam cum domina veſtra omnium matre, ſancta videlicet eccleſia. Si enim Dei patris caritas oſtenditur in filio, qui per mortem carnis animam ſuam poſuit pro genere humano; eiuſdem filij imago monſtratur & in illo, qui neceſſitatem patienti ſuo miſeretur proximo. Si verò hoc caritatis commercium ei conceditur qui conſolatur proximum, quantò magis illi qui honorauit miſericorditer eccleſiam, generalem matrem fidelium, & inſuper Mariam genitricem Dei Redemptoris omnium? Sed ne diu meæ mentis vobis celetur affectus, non*

longis

longis vobis patefaciam ſermonibus. Subrepit namque mihi plus ſolito timor & dolor, qui licet ſit mihi per vſum vetus, fit tamen ſemper per augmentum nouus. Nam ſi aliquando meipſum ſecundum qualitatem vitæ aſpicio, in amaritudine verſor, quia in bonis deficio, in malis perduro. Si quando verò ad ea quæ in mundo ſunt perſpicienda mentis oculum attollo, cuncta, quia in maligno ſunt poſita video. Quanto mundus feriatur gladio, quibus populus intereat percuſſionibus manifeſtè conſidero, ac per hoc adhuc maiora venire timeo, quia noſtro ſacerdotali peccato hæc fieri confiteor: ſicut ſcriptum eſt, teſtante beato Petro apoſtolo: Quoniam tempus eſt vt incipiat iudicium de domo Dei. Et in Iezechiele: A ſanctuario meo incipite. Verbi gratia: veluti in præſenti ſanctæ Mariæ Atrebatenſium manifeſtum eſt eccleſia, quam III. *Kal. Auguſti ignis adueniens de cœlo totam combuſſit videntibus cunctis. Vnde timeo nimiũ, diuinæ animaduerſionis hoc fuiſſe iudicium venientis ſuper filios hominum, vt ſicut olim ante aduentũ Domini, ob ſignum miſericordiæ, eo in loco alba vellera duo leguntur cecidiſſe: ita ob ſignificationem vltionis diuinæ, quæ ventura eſt ſuper diffidentiæ filios, ignis veniret cum ſulphure, qui terrendo moneret electos, vt poſſent*

Hinc elucet pietas Gerardi epiſc.

1. Io. 5.

1. Pet. 4.

Ezech. 9.

Conflagratio eccl. B. Mariæ Atrebat. 1030.

Duo alba vellera ceciderunt Atrebati ante Chriſti aduentum. Epheſ. 5.

Pſ. 59. *à facie arcus fugere, & exureret impios & peccatores, qui Chriſto ſemper detrahunt filiis eccleſiæ. Solent enim de nobis dicere miniſtris eccleſiæ. Hi ſunt paſtores populi, qui*
Oſe. 4. *non verè paſtores ſunt, ſed lupi. Comedunt enim peccata populi, quia fructus eccleſiæ in ſtipendio cotidiano percipiunt: ſed nec orationis ſtudio, nec prædicationis verbo, nihil penitus inſudant, ac per hoc, quicquid aduerſitatis ſit in ſæculo, videlicet mortalitatis, peſtilentiæ, famis dicunt promereri, & incipere à ſanctuario. Et verè à ſanctuario, quia ſecundum illud vaticinium Hieremiæ:*
Thren. 4. *diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Sed ſiue ſit hæreticus, ſiue falſus Chriſtianus, qui hæc opponit fidelibus, ei reſpondeatur quod ait in epiſtola*
2. Pet. 4. *ſua beatus Petrus: Si hæc primum à nobis, quis eorum finis qui non credunt euangelio Dei? Et ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Et iterum, quod ait Dominus Galilæis in euangelio, qui ei nunciauerant quia ſanguinem ſuorum miſcuerat*
Luc. 13. *Pilatus cum ſacrificijs † idolorum. Quibus*
textus eorum. *reſpondens dixit: Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerunt, qui talia paſſi ſunt? Non, dico vobis; ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Et iterum, quod ait de decem & octo*

ſupra

ſupra quos turris in Siloa cecidit, & eos occidit. Putatis quod ipſi debitores fuerunt præter omnes habitantes in Hieruſalem? Non, dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Quid plura? hæc namq; fratres cariſſimi ſecundum euangelium Dei, & Apoſtolum Petrum eorum reſpondenda ſunt ſtultitiæ, propter fidelitatem & honorem eccleſiæ, & tamen non poſſumus negare, quia vera ſunt multa, quæ de nobis cotidie inſultando ſtudent diffamare. Sicut enim ait beatus Gregorius: Mundus eſt plenus ſacerdotibus, ſed tamen in meſſe Dei rarus inuenitur. Et iterum: Qualis populus talis ſacerdos. Vnde neceſſarium duximus, vt quia per vitæ noſtræ exemplum grex Chriſti proruit ad interitum; per vitæ noſtræ meritum reuocetur ad Chriſtum, prædicando illud euangelicum, vt faciant omnes pœnitentiam qui ceciderunt per culpam. Vos ergo fratres cariſſimi, qui iam ſæculo renunciaſtis, ſtantes in portu Domini, ſubuenite nobis laborantibus in mari, orantes Deum orationibus & ieiunijs, ne veniat ſuper nos iudicium iræ Dei.

Gregor. hom. 17. in euang.

ibidem ex Oſee 4.

Mat. 3.

Eiusdem epistola ad G. Abbatem tractans de Hezelino & nepte ipsius Episcopi, ac reddendo debito coniugali.

CAP. XXXIII.

G. Episcopus nomine, non merito, G. abbati virtutum roborari incrementis.

Leodicenses archidiaconi nuper de Hezelino & nepte nostra, vxore eius dicta, habuerunt concilium, vnde miramur, postquam ex veritate cognouimus, quod, & quemadmodum inter eos fecerunt iudicium. Audiuimus enim eundem Hezelinum nunc primùm dixisse, quia semel cum ea concubuit, quod factum hactenus tacuit, dum apud pleraque conuenticula proinde interpellatus extiterit, à quibus etiam pro inpossibilitate eiusmodi, rubore verecundiæ aspersus, crebrò redijt. Vbi re vera suum tacere nihil aliud fuit, quàm contradicentibus assensum præbere. Ergo non vltrà debuerat audiri in hoc apud synodale concilium, vbi à magistris concilij attentius inquirenda est probata veritas, vel refutanda falsitas prolatorum verborum. Sed estò semel cùm ea concubuit, quid autem de reliquo: videlicet quòd cum ea octo annis

aut

aut plus eo cõuersatur, nec vltrius eã cognouit, neque spes est vlla, vt in futurũ debeat aliter expectari? In quibus discernẽdis audiatur Doctor ecclesiæ Paulus Apostolus, qui ad Corinthios scribens, ait: vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Et debinc prosequitur: Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Quam sententiam de talibus iudicantes exponant nobis, quid apostolus vult intelligi dicens: Nisi fortè ex consensu: aut si debitum vxoris per octo annos semel coëundo, ex consensu eius potuit exolui. Si verò nituntur vltrà aliquid quærere, audiant quid alias idem dicit apostolus: An experimentum Christi capietis eius qui loquitur in nobis? Quod vobis scribendum æstimauimus, vt hanc apostolicam sentẽtiam eis proponatis euidentius, qui aliter quàm legitimè nouerint iudicare de talibus. Cui aut concedant, aut eam detestantes, quid rationabilius inuenerint prætendant.

1. Cor. 7.

2. Cor. 13.

Eiusdem epistola ad. Fulconem Episcopum Ambianensem, vt Drogonem Tervvanën-sem episcorum à Comite B. expulsum adiuuet apud regem Franciæ.

CAP. XXXIV.

DOmino Ambianensium Episcopo F. G. gratia Dei Cameracensium coëpiscopus & huius vitæ innocentiam, & cœlestis cum Angelis gloriam.

Quòd confrater noster Tervvanensium Episcopus. D. à Comite B. tantis iniurijs impulsatur, plorandum est, non solùm nobis confratribus suis, verùm etiam cunctis fidelibus Christianis. Quod certè, vt audiuimus, non aliter quàm ille qui patitur, fraternæ intuitu caritatis ægrè portamus. Quis enim tam sæuus aut duricors, qui sedem ecclesiasticam viuo pastore non defleat viduatam? Ergo monemus vos in Dei nomine atque precamur, vt fratri deiecto, quocunque modo potestis, succurrere satagatis. Nullus enim, Deo gratias, melius potest, & certè debetis, quia olim vester fuit clericus, ac vestro suffragio, ad tantæ dignitatis * *gratiam sublimatus. Decet enim vos meminisse, quàm obnoxius sit & canonicis & apostolicis sanctionibus, quicunque Episcopum quemlibet naufragantem distulerit adiuuare si possit.*

g. add. peruenit.

Vestram

Veſtram itaque caritatem humiliter imploramus vt domno Archiepiſcopo, vna cum fratribus cæteris coëpiſcopis conuocatis, ad ſuffragium fratris Regem fortiter excitetis: quippe hoc ei intimantes, quia ſi ſanctam eccleſiam mutilari permittet, cæleſtis ira regnum ſuum diſcindet.

Vnde floreant, vel pereant regna.

Celebratur Aquiſgrani Synodus prouincialis, in qua, ex teſtimonio & iudicio potiſſimum Gerardi Epiſcopi Cameracenſis, contentio epiſcoporum de Burcitho monaſterio dirempta eſt.

CAP. XXXV.

SVb his diebus, cùm fortè Imperator H. in Aquiſgrano palatio, tam de eccleſiaſticis, quàm & de ſecularibus pertractaret, in ipſa interim eccleſia prouincialis Synodus ab Epiſcopis celebrata eſt. Vbi ſiquidē inter Archiepiſcopum Colonienſium P. & D. Leodecenſium Pontificem altercatio non parua incanduit, pro monaſterio videlicet Burcitho, quod vterque ſuæ parœchiæ ſubijcere contendebat. Domnus autem Gerardus Epiſcopus, vt teſtimonio veritatis litem cōpeſceret, viua voce increpuit, quòd Epi-

Pelegrinus. Durandus.

fortè eſt Bortſchot.

ſcopi Leodecenſes quinque Abbates illius monaſterij ſine vlla contradictione Archiepiſcopi conſecrauerũt, immo & ipſe, Imperatore rogante & Baldrico Epiſcopo Leodicenſi petente, in præſentia domni Imperatoris, in Aquenſi eccleſia ſanctæ Mariæ, præfati monaſterij clericos ordinauit, ipſumque monaſterium cum Archiepiſcopo Popone Treuirenſium, & Haimone Virdunenſium conſecrauit. Eo ergo ſibi videri rectius Leodecenſi quàm Colonienſi regimonio ſubiacere. Quod ita quoque cæteris teſtificantibus, Archiepiſcopus, præter vllam ſynodalem reuerentiam, ira commotus abſceſſit.

Magna ſiccitas & intemperies æſtus, columnæ autem marmoreæ ipſius eccleſiæ in qua ſynodus habebatur, vberrimis madoribus deſudabant, & cuius rei hoc fuerit præſagium.

CAP. XXXVI.

SEd nec obliuioni tradendum, quòd per aliquot dies dum ſynodus celebraretur, tanta ſiccitas aëris, & intemperies æſtus excanduit, vt multi mortalium præ nimio ardore deficere putarentur: ſed

&

& aliquot animalia ſubitò laberentur ex- 1022. *Sig.*
tincta. Econtra verò columnæ marmoreæ ipſius eccleſiæ vberrimis & inſuetis madoribus viſæ ſunt inſudare, adeo vt quorumuis manibus fortè lauandis ſufficere poſſet: pauimenta quoque marmorea veluti ſcatentia, tanto liquore natabant, vt ex induſtria reſpergi ab ipſius eccleſiæ cuſtodibus putarentur. De quo multi ſapientes attoniti, quid conijcerent neſciebant, ſed pro humano intuitu imminere ruinam aliquorum principum præſagabant, quos ab eccleſiæ fidelibus conſtaret eſſe plorandos. Et verè vtique, cùm paulò poſt, primò quidem Dux, deinde Imperator interierunt: quorum caſibus ſancta eccleſia, vt poſterius dicturi ſumus, deſolationem comparaſſe deplorat.

Comitia ſolemnia ac ſalutaria Henrici Imp. & Roberti Regis Francorum, ac multorum principum, Epiſcoporũ, & abbatum. Imperator Regi & alijs donat precioſa munera.

CAP. XXXVII.

HInc autem Imperator egreſſus, ad 1023. *Sig.*
Euoſium villam pulcherrimam, *Euoſium patria S. Gaugerici*
quam beati videlicet Gaugerici natiuitas inlu-

in Ducatu Luzenb. Gal. yuoü.

inluſtrauit, cum primoribus quidem ſuorum Palatinorum intendit, ibi ſcilicet cum Rotberto Rege colloquium habiturus, ſed & de ſtatu imperij, ac non tantùm de mundanis, verùm de ſpiritualibus locuturus: ſapienter quippe diſpoſito, vt in eo loco, vbi beatiſſimum Gaugericum nouerat ortum, eius gaudioſam feſtiuitatẽ quæ III. Idibus Auguſti eſt, celebrare veniret. Qui nimirũ, quantò maior, tãtò humilior, Regi Rotberto cùm ad ſe veniret, in villa Moſomo, in die feſto ſancti Laurẽtij occurrere æſtimauit: in craſtino verò ſancti Gaugerici, venientẽ ad ſe cum ſumma veneratione ſuſcepit. Hoc autem tã ſpeciale colloquiũ, & tantæ ſolẽnitatis conuentũ, non eſt meæ paruitatis euoluere. Vbi quidẽ diuerſarũ nationũ Duces ac Satrapæ, vbi ſummorũ & illuſtriũ virorũ, tam Epiſcoporũ videlicet, quàm & Abbatũ in numero confluxere perſonæ. Ad hoc autẽ plurimi conuenerunt, vt dignitatem Imperatoriã mirarentur, quam tantopere fama laudabat. Ibi certè pacis & iuſticiæ ſumma diffinitio, mutuæque amicitiæ facta recõciliatio. Ibi quoq; diligentiſſimè de pace ſanctæ Dei eccleſiæ maximè tractatum eſt, & quomodo Chriſtianitati, quæ tot lapſibus patet, melius ſubuenire debe-

deberent. Exin verò seſe inuicem conſulentes, vbinam iterum conuenturi, dominum etiã apoſtolicum, vnà cum tã citrà quàm vltrà Alpinis Epiſcopis ſecum habeãt, nuſquam aptius quàm Papiæ decernunt. His ita geſtis, cùm ab inuicẽ diſcedere debuiſſent, ac verò quis tanta ac tãti ponderis munera ſufficienter poterit æſtimare, quibus viciſſim Imperator Regẽ donauit, ab Archiepiſcopo videlicet Colonienſium, & à domno Gerardo Epiſcopo, ſed & à Duce Godefrido ſimul oblatis? Rex Imperatorẽ donare cupiẽs, quæcunq; potuit munera, vt ſuſciperet præſentauit. Qui omnibus cum gratiarum actione remiſſis, vtpote ditiſſimus, dentem tantũmodo ſancti Vincẽtij Martyris, ne immunis videretur, retinuit. Nec ſolùm autem Imperator Regem putauit donandum, verùm etiam omnes tam Epiſcopos, quàm abbates; ſed & maiores quoſq; precioſis muneribus accumulans, nullum penè indonatũ reliquit. Quicũq; ergo illuc conuenerant Imperatoriã magnificẽtiã cognituri, mirati profectò quæ viderant, dicebant ſe plura vidiſſe quàm rumor fuiſſet. Nullũ enim Regẽ, aut Perſarũ, aut Arabum huic conferre audebo, quãuis eos cunctis gentibus, opibus præſtare legiſſem.

Imp. ex donis regis Franc. tantùm accipit dentem S. Vincẽtij mart.

Imp.

Imp. proficiſcitur Virdunum, inde Metas. Eiuſdem munificentia in eccleſias & eccleſiaſticos, & nominatim in Gerardum epiſcopum Cameracenſem.

CAP. XXXVIII.

INde etiam Imperator procedens, Virdunum perrexit, natiuitatem ſanctæ Mariæ celebraturus, legatis quidem Regijs ſecum deductis, qui ibi reſponſionem Comitis Odonis audirent, quomodo ſe ab obiectis Rotberti Regis, à quo arguebatur, defenderet. Ipſa verò in die, domina Imperatrix, quia eam in proceſſionem domnus Epiſcopus addexterauit, ei ſtolam auro gemmiſq; contulit inſignitam. Ibi etiam domnus Imperator motus aliquandiu inter Odonem & Theodericum Tullenſem accenſos, caſtellis dirutis, quæ Odo iniuſtè condiderat, interpoſita pace ſopiuit. Præterea monaſterijs totius ciuitatis, primùm quidem capitaneo, deinde cæteris precioſa munera erogauit. Dein verò Mettis perueniens, per ſingula monaſteria multas opes diſtribuit, nullumque bonum aut clericum aut monachum præterijt indonatum, ve-

luti,

luti, quodam præſagio, imminentẽ diem, qui nimium vicinus erat, ſui obitus præuideret. Nouiſſimè verò domno Gerardo Epiſcopo commeatum, vt ad ſua reuerteretur, accommodans, aurum plurimum didragmauit, ac poſtea valedicens, ſanctæ Mariæ duo pallia, vnum ſimplex, alterum in modo crucis, aurea ſuperficie inſignitum, tranſmiſit per eum.

Ingens VValteri Caſtellani Cameracenſis malicia, & Gerardi Epiſcopi patientia.

CAP. XXXIX.

REuerſus itaque domnus Epiſcopus, à conſuetis malis Walteri minimè feriatur. Inter quæ plurima, iuuenẽ ſuum quendam, Rotbertum nomine, tam nobilitate generis, quàm virtute præſtantem, quia ſuſpicabatur eum ſuæ tyrannidi obſtiturum, cœpit paulatim odio infectari. Sed non quieuit, donec eum, quamuis ſub interpellatione domni Pontificis, qui eos fœderare quærebat, in tribuis poſitũ, etiam die Dominica interfecit. Pro qua re, & alijs huic ſimilibus, eum exterminauit ab vrbe. Sed paulò poſt, culpis Chriſtianorum exigentibus, Imperatore defun-

obijt Hen. ij. Imp. an. 1024.

defuncto, alijs quidem cauſis coactus, in caſtellum recipere æſtimauit; ſub conuẽtione tamen ſacramento ſubnixa. Sed quia ſæpiſſimè periurium incidens, non rarò culpas ſolitas iterabat, conuentiones illas ſæpiſſimas, quas domno Epiſcopo, dum reconciliaretur, callidè promittebat, ratum duximus ſubnectendas, vt lector videlicet pius, patientiam Epiſcopi compatiens admiretur, & immenſam tyranni ſæuitiam cum admiratione deploret. Sunt autem huiuſmodi.

Forma fidelitatis quam VValterus epiſcopo promiſit.

CAP. XL.

FIdelitatem ſicut tibi promiſi adtendam, quamdiu tuus fuero, & tua bona tenuero: & poſtpoſitis Karlenſibus cuſtumijs, talem honorem tibi obſeruabo, qualem Lotharienſes milites dominis ſuis & Epiſcopis. Et ſi quid contra te peccauero, & ex parte tui de ſatisfactione facienda monitus fuero, talem iuſtitiam tibi, niſi mihi indulſeris, faciam, qualem ſupradicti Lotharienſes milites ſuis dominis & Epiſcopis faciunt.

Iuſiu-

Iuſiurandum fideiuſſorum eiuſdem VValteri.

CAP. XLI.

SAcramentum quod Odo, Rotbertus, Anſelmus, Lantbertus, petente Waltero, iurauerunt.

Ab hac hora in antea non erimus tibi in damno, de vita, de membris, de Cameracenſi Epiſcopio, de terris, de caſtellis, neque de cæteris bonis, quæ hodie tenes, & per noſtrum conſilium in antea adquiſieris, ſalua fidelitate dominorum noſtrorum, quos hodie habemus, & pro hoc pacto deſtruendo dominum non faciemus, neque militem adquiremus. Et ſi VValterus contra te peccauerit, & ni infra duas quadrageſimas emendauerit, ex parte noſtri contra te adiutorium non habebit. Et ſi monueris, per rectam fidem te iuuabimus, ſine malo ingenio.

Aliæ literæ conuentionis ab vtraque parte ſeruandæ.

CAP. XLII.

NOtæ ſunt omnibus conuentiones quas iterum habemus cum VValtero noſtro. Sicut etiã dudũ culpas inauditas, quas contra nos cõmiſit, pro Dei amore, amicorũq; ſuorum

dimiſimus, eo videlicet pacto, vt ſic permanſiſſet deinceps in fidelitate noſtra, ſicut tunc ipſe, & ſui amici iurauerunt. Quanquam hanc promiſſionem horribiliter & inauditè infregiſſet, ita iterum eo tenore ei indulgemus, & pro Dei amore & petitione Regis Rotberti, & Epiſcopi Harduini, atque Comitis Balduini, ac Comitis Odonis, nec non & Ottonis, Rotberti, & aliorum amicorum ſuorum, qui hoc placitum fecerunt, quatinus, melius prioribus, has alteras promiſſiones conſeruet. Nobis erit ita obſequens in omnibus, ſicut in primo promiſit. Clericis & laicis noſtræ eccleſiæ, ſi aliquid ſuper illum clamauerint; aut ſecundum legem, aut ſecundum concordiam † iuratione & iudicio erit: & inſuper de quibus iuſticiam facere potuerimus illi, iuſticiam quoque faciet per nos, ſi clamauerint, illis omnibus. De ciuitate noſtra nullam guerram faciet, quæ ad damnum veniet nobis & Epiſcopatui noſtro, niſi licentia noſtra. Si hanc promiſſiouem infregerit, & admonitus de iuſticia fuerit, ſicut iam dictum eſt, infra duas quadrageſimas emendationem faciat, vbi duo vel tres ſint amici, qui hoc placitum fecerunt, & ſi ſonia eos tenuerit, probetur ipſa, & infra aliam quadrageſimam placitum expectabimus. Hanc conuentionem ex vtraque parte

† for. in ratione.

cap. 41.

te ſeruabimus per rectam fidem, ſine malo ingenio.

VValteri filius obſes epiſcopo datus, & conditiones conuentionis vtrimque.

CAP. XLIII.

SI iſte filius VValteri, nunc obſes noſter, mortuus fuerit, alterum pro eo nobis dabit, talem per quem nos ſecuros de ſua fidelitate reddet, & quicquid iniuſtè ſuper nos inuaſit, dum admonitus à nobis fuerit, ſecundum iudicium fidelium noſtrorum determinabitur. Si VValterus mortuus fuerit, & adhuc filius eius in poteſtate noſtra fuerit, reddemus illum militibus ſuis, & bona ſanctæ huius eccleſiæ, quæ per rectitudinem pater tenet, ſeruato tamen pacto ab eo nobis promiſſo; & domino noſtro Imperatore, & me, de fidelitate ſua redditis ſecuris. Et ſi ego Gerardus, vocatus Epiſcopus, antequã reddatur filius, mortuus fuero, reddetur patri, ſeruatis tamen conuentionibus ſupradictis; & ſi Regi Lotharienſi talem ſecuritatem fecerit, vnde ſecurus eſſe poſſit.

Lotharienſes ſibi conſulunt contra Karlenſes.

Walterus redit ad ingenium, condonat iterum episcopus, iterumq; ei obedientiam & fidelitatem iurat, qualem Lotharienses milites suis dominis & episcopis.

CAP. XLIV.

NOn diu in supradictis promissis permansit, sed de malo in peius ruens, ecclesiam mihi commissam in direptionem & conculcationem habuit: & ita contra me se erexit, vt tribus diebus me in hac ciuitate cum suis satellitibus armatus obsideret, & ne quis meorum hinc exire auderet. Qua de causa Heihampus ad me venit, vbi Comitem Herimannum mecum habui, & vt hæc ei perdonarem petiuit. Ego eius petitioni, suorũq; amicorum annuens, hæc omnia ei dimisi, & de his quæ emendauit, omnes leges perdonaui, & vt restauraret pauperibus quod iniustè eis abstulit, iussi: quod annuit, sed non adimpleuit. At ille, iterum vt prius, domino meo, & mihi, sacramento fidelitatem promisit, & quia sicut Lotharienses milites suis dominis & Episcopis obediunt, mihi obediret, iurauit.

Iterum

Iterum relabitur VValterus, ſed coram Ottone Comite reconciliatur epiſcopo, datis nouis obſidibus.

CAP. XLV.

VValterus, malis aſſuetus, omnia ſacramenta poſtpoſuit, & deterius quàm vnquam feciſſet, poſtmodum fecit. Quam maliciam diu ſuſtinui, & vt ſe emendaret ſemper monui. Cumq; videret me diutius talia non paſſurum, ſtatuto placito inter me & illum, Comitem Ottonem duxit ſecum. Qui de tantis malis miſſus ad rationem, iterum euictus omnia emendauit, & quia pauperibus ſua reſtauraret, promiſit; & quia mihi ſubijceretur, ſicut Lotharienſes milites ſuis dominis & Epiſcopis ſubijciuntur, vt prius, promiſit. Ego verò, Comitis Ottonis petitione, omnes leges ea conuentione ei dimiſi, vt non amplius in me delinquere quid deberet. Si autem deliquiſſet, & ad iuſticiam venire admonitus eſſet, infra tres hebdomadas mihi iuſtificaret. Qua de cauſa mihi Comes Otto Godefridum & Iuonem obſides dedit, vt ſi VValterus hæc non obſeruaſſet, ex ſua parte adiutorium non haberet. Si autem ipſe Comes hoc infregiſſet, ipſi obſides in poteſtatem meam, ſi eſſent admoniti, venirent.

Quod, ipſo Comite Ottone iubente, mihi firmauit iureiurando vterq; obſes. In ea conuentione quæ in me commiſit ipſe VValterus, & ſui propter eum, ab illa die dimiſi, vt ſi amplius in me delinqueret, quod emendare nollet, aut non poſſet, præterita futuris iungerentur, & iudicium, quod ſui æquales de beneficio prius iudicauerunt, eſſet ſtabile, & ſine dilatione excommunicare. Quod autem ad pœnitentiam, & ad Chriſtianitatem pertinet non dimiſi, ſed in conuentionem habuit, vt inde ipſe & ſui rationem redderent.

Iuramentum Ottonis Comitis, & obſidum epiſcopo præſtitum.

CAP. XLVI.

PRomiſit Otto Comes Deo ſanctæque Mariæ, & Epiſcopo Gerardo in manu ſua, vt ſi Walterus vnquam ab illa hora contra Epiſcopum eccleſiamque ſibi commiſſam in aliquo deliquiſſet, quod emendare nollet, aut non poſſet, nunquam ab illo, aut de ſuis auxilium ſiue cõſilium, ſiue receptaculum, quod ad damnum veniret Epiſcopo, eccleſiæq; ſibi commiſſæ: nec ſuus eſſet, nec ſuum beneficium teneret

ret ſine conſilio Epiſcopi;& iurauit,quòd hoc ſecundum ſuum ſcire, per rectam fidem adtenderet ſine malo ingenio . Iuo iurauit , quod Comes Otto ſuo conſilio non dimitteret,quin ſacramentum ſupradictum adtenderet , & ſi exire vellet , per rectam fidem ſequi faceret ſi poſſet , & ſi in culpam caderet, quam emendare nollet, aut non poſſet,conſilium ſiue auxiliū, ſiue receptaculum ei non præſtaret quod eſſet ad damnum Epiſcopo Gerardo , eccleſiæque ſibi commiſſæ, & quòd hoc per rectam fidem obſeruaret, ſine malo ingenio, ſalua fidelitate domini ſui.

Duodecim noui obſides epiſcopo dati à VValtero , eorumq; iuramentum .

CAP. XLVII.

DVodecim obſides Walterus dedit Epiſcopo Gerardo,quorū hæc ſunt nomina ..... qui iurauerunt, quod non dimitteret eorum conſilio ipſe Walterus quin hanc fidelitatem attenderet , & ſi in culpam caderet quam emendare nollet, aut non poſſet,poſtquam admoniti eſſent infra octo dies ad iuſtitiam ducerent ſi poſſent. Quod ni faceret, in-

fra alios octo dies ad epiſcopum cum beneficijs eorum, ſi admoniti eſſent, per rectam fidem venirent, & nunquam ei conſilium ſiue auxilium darent, quod ad dãnum Epiſcopo, eccleſiæque ſibi commiſſæ eſſet, & Epiſcopum iuuarent contra eum per rectam fidem.

VValterus ab epiſcopo excommunicatus, peiora deſignat. Fit noua conuẽtio apud Schelmas opidum.

CAP. XLVIII.

HÆc eſt quoque conuentio, nouiſſimè apud Schelmas opidum facta, quam, vt cunctis innoteſceret, ſemilatino ſermone huiuſmodi domnus Epiſcopus promulgauit.

Hic ſiquidem, quia eum pro culpis innumerabilibus excõmunicauimus, in tanta demẽtia aduerſum nos inſurrexit, vt quoſdã noſtrorũ, quia partibus eius non fauebant, quæreret interficere, militeſq; ſuos, qui ſecum erant excommunicati, maiorem eccleſiam ſanctæ Mariæ, aliaſq; eccleſias violenter compelleret introire. Et ideo magna neceſſitas nobis incubuit, vt eccleſias à diuino officio faceremus ceſſare: multa quoque mala nobis & noſtris fecit, quæ longum eſt enarrare. Tandem non valens eius inſaniam diutius

ferre,

ferre, nihil de suo auferentes, expulimus eum à nostra ciuitate. Expulsus autem cœpit aduersum nos amplius sæuire, villasq; nostras cum ecclesijs quas potuit depradari, atque igni concremare. Postea iussu nostri senioris à Comite Balduino, & filio eius, Tornacum conductus, vbi interfuerunt Dux Gozelo, & Episcopus Leodicensis, nullam nobis iusticiam fecit, sed fraude sua omnibus manifesta, in malicia perseuerauit. Sed vt tandem, cogente necessitate, oportunitatem sibi inuenit, hoc placitum in præsentia Hugonis Episcopi, Comitis quoque Balduini, & filij eius, nec non Ottonis, & Eustachij nobiscum firmauit.

Gerardus Episcopus, vetere diruta, nouam ecclesiam B. Mariæ Camerac. septennij spacio reædificauit, eamque anno M. XXX. 18. *die Octobris solemniter dedicauit, & multis donis precijsis, & possessionibus exornauit. Item monasterium S. Andreæ fundauit.*

CAP. XLIX.

EX quo dõnus episcopus Gerardus vrbẽ cõmissam primùm intrauit, vidẽs quidẽ tã angusta, quã vetusta monasterij

ſanctæ Mariæ ædificia, ac annoſorum parietum fiſſuram ſuſpectans, mox animum ad meliorandum intendit, ſi fortè, Deo præſtante, tempus ei ſuppeteret opportunum. Sed quia, vt ſuprà retulimus, tam inteſtinis quàm extraneis ſeditionibus impeditus, vſque ad annum Dominicæ incarnationis ī. xxiii. ſui verò præſulatus ..... inchoare non potuit. Tunc verò diuina miſericordia fretus, ac multorum fidelium Dei orationibus, quibus fiderat, roboratus, tam antiquas moles parietum demoliri præcepit. Quo facto omni ſtudio accinctus, vtpote ſapiens architectus, incepto labori ſollicitus inſtat, & neceſſarijs ſumptibus prudenter expẽſis, ad reædificandum tantæ difficultatis opus anhelat. Quippe timẽs, ne aut morte præuentus, aut qualibet alia cauſa coactus, opus imperfectum relinquat. Ad hoc verò difficilius nihil eſſe, quod ſuum deſideriũ remoretur aduertit, quàm lenta conuectio columnarum, quæ procul ab vrbe ferè in trigeſimo miliario cædebantur. Diuinam ergo clementiam deprecatus, vt ſibi propius ſolamen aliquod præſtare dignetur; quadam ſiquidem die aſcenſo equo, per noſtram viciniam in multis locis abdita terræ ſcrutatur, tandemq́;

Deo

Deo opitulante, qui nunquam deeſt ſperantibus in ſe, in vico quem dixit antiquitas Leſden, qui quarto miliario ab vrbe ſecedit, aperta terra, iuxta votum lapides columnares inuenit. Nec ſolum ibi, ſed etiam propius, in villa videlicet Nigella fodiens, aliud genus bonorum lapidum ſe reperiſſe lætatur. Vnde Deo gratias reddens, totum ſe ſtudio pij laboris accinxit, ac ne amplius demorer, operante diuina miſericordia, opus immenſum ſeptennio, anno videlicet Dominicæ incarnationis ī. xxx. reddidit cõſummatum. Exin verò, quod conſequens erat, prout decuit, decimo quinto Kalendas Nouembris ſolenniter, &, vt ita dicam, pluſquam ſolenniter, dedicauit. Quis enim tantæ gloriæ pompam dignè ſufficit enarrare, aut quis dicaciſſimus verborum ambitu tantam dignitatem poterit cohibere? vbi videlicet ſanctorum corpora noſtræ diœceſeos, cum plebe & clero in vnum congregata, vbi choros tam monachorum, quàm & canonicorum cateruatim commixtos, vbi etiam non tantùm vrbem interius, verùm & campos exterius paſſim vtriuſque ſexus multitudine pernatare videres. Quomodo autem ſanctorum corpora circa altare domnus Epi-

Leſdain pagus.

Nigella.

ſcopus

ſcopus ordinaſſet, ſummæ pietatis eſt memorare, ac pijs auditoribus ſalutare. Ipſe namque, pariterque abbas Richardus, ambo videlicet ſermentati, beatiſſimum Gaugericum, vtpote Pontificem ſummum, & ſanctæ dedicationis magiſtrum præcipuum, cum ſumma deuotione tollentes; laudibus decantatis, clero quidem ac populo præ gaudio, dum hæc ſpectarent, illacrymantibus, in cathedra Pontificali, ſicut antè fuerat, collocarunt. Iuxta quem medium, ſanctos quoque Pontifices, Autbertum, Vinditianum, Hadulfum, qui & ipſi eiuſdem altaris comminiſtri fuerant, altrinſecus ſtatuerunt, interpoſito etiam baculo ſancti Vedaſti, cum reliquijs ſuis. Deinde verò cæteros, id eſt martyres, confeſſores, ac virgines, vnumquemque iuxta ordinem ſuum, in circuitu, prout decebat, compoſuit. Porrò ſic compoſitos, quiſquis ſpiritualiter ſenſerat, procul dubio ſanctæ conſecrationis ſtudio credidit incumbentes. Sed quid de nundinis ſolenniter inſtitutis? Quid etiam de cæteris ſollennibus ornamentis? Quod nimirum facilius admirari poſſumus, quàm referre. Conſecrato ergo monaſterio, multa

multa ornamenta adhibuit, auream tabulam ampliauit, vtriſq; lateribus argenteas ſubrogans, cruces aureas cum ventilabris æquè aureis renouauit, calicem aureum, pallia quoque & caſulas addidit, & in alijs quibuſque vtenſilibus curam apposuit. Ad luminare procurandum eo loci, vbi ſancti Iohannis cõſtat oratorium, duos manſus in Andrelet deputauit : & cùm neceſſe fuerit, inſeruient reſarciendo operi eiuſdem oratorij. Præterea in Wileue, prædium Fulbetti Epiſcopi his adnumerauit. Reſtaurationi noui operis octo manſus in Lethfringien cum eccleſia ſua delegauit. Medietatẽ de villa Ireneias cum eccleſia ad vſus pauperum dedit. Ad præbendam fratrum eccleſiam in villa Maionis, quæ Fontanas dicitur, & alodium Gertrudis addidit. Villam Peſcãt de parentum hereditate, cum familia vtriuſque ſexus, ſtipendijs eorundem contradidit. Cuius cenſum ita bipertiuit, vt in dedicatione eccleſiæ medietatem eius inſumerent, reliquamque in die ordinationis ſuæ, quoad viueret, perciperent, eoque ſæculo ſubtracto, prædictam ordinationis diem in anniuerſariam tranſitus ſui commutarent.

Andrelet pagus.

Wileue.

Lethfringien.

Ireneias.

Fontanas.

Peſcant.

Prædium

Rollaincurt Prædium Rollaincurt, quod à Ragnelino accepit, Epiſcopio adiunxit. Itemque a-
Hadonis crux in Brabantia. liud in Bragbant ad Hadonis crucem.
Perona. Quartam quoque partem Perronenſis fiſci, quam à quatuor ingenuis hominibus adquiſiuit, Rotberto ſcilicet, atque Hubaldo, Athelino, Sueuo, menſæ Epi-
Monaſt. S. Andreæ in Caſtello S. Mariæ. ſcopi ad caſtellum ſanctæ Mariæ, cui circumiacet, deſtinauit. Sancti Andreæ oratorium inibi à fundamento conſtruxit, tertiamque partem quartæ partis ſupradicti fiſci contulit cõgregationi monachorum, quam pia ſollicitudine fouit quandiu vixit. Alodium Theoderici montis, quod Heruardus miles, & Fulco nepos eius hereditabant, eis manere voluit, &
VVatineias. Watineias quam de ſuo iure Heruardus iam dictus poſſederat, & quicquid in
Briaſtum. Briaſto, Fulcuinus atque Reſino habere videbantur. Villamq; inſuper, quæ Fon-
Fontanas. *Petroſa.* tanas dicitur, & in Petroſa tertiam partem cum eccleſia, prædiumq; in Solman
Solman. *Bermerenc* à Fagala acceptum, aliudque in Bermerenc, à Gonthone milite, itemque in vil-
Manſus S. Andreæ. la, quam Manſum Sãcti Andreæ nominare voluit, medietatem, eccleſiamque de
Ferreria. *S. Benignus.* Ferrerias concambiatam à Fratribus ſanctæ Mariæ, aliamque ſancti Benigni, &
Ors. *VVaſuilare.* *Viſetum.* de Ors, & de Waſuilare, & de Viſeto, &

apud

apud Bragbant alodium quoddam Ham cum eccleſia, eccleſiã de Liniaco, de Furnis aliam. In Cameraco aliam ſancti Martini cum furno. Medietatem telonei noui caſtri cum ambabus eccleſijs, & molendino vno. *Ham.* *Liniacum.* *Furna.* *Nouum caſtrum.*

Obitus Henrici ij. Imp. cui ſuccedit Conradus, principibus & epiſcopis nonnullis contradicentibus, quibus noluit accedere Gerardus epiſcopus, ſed tandem pax componitur. Gerardus Regem Francorũ placat, & Balduinum Comitem reprimit, ne Cameraci munitiones exſtruat.

CAP. L.

DIebus poſthæc ab hiſce datis, ſors dedit vltima Henricum Regem diuæ memoriæ diem obire. Cuius à vita receſſus, quantum deſolationis fuerit hominibus, pro nobis melius loquatur mundus in ſuis calamitatibus. Tandem collecti Principes Saxonum apud Magunciam, præfecerunt ſibi in Regem Conradum. Quorum ordinationi Dux Gothilo, princeps videlicet Lotharienſiũ contraire voluit, epiſcopoſque Coloniæ, Nouiomagi, Virduni, Traiecti, Leodij allocutus, ſacramen-

cramentum à ſingulis accepit, non niſi eius conſenſu manus ſe ei daturos neque ad eum ituros. Hoc idē dux Theodericus, Comeſque Haynocenſium Raginerus, cum ſibi complicibus ſacramento firmauerunt. Quod Epiſcopi primi infregerunt, qui ſe primos dederunt, canticumque populi malum facti ſunt. His omnibus pactionibus non acceſſerat domnus Epiſcopus, ſed conabatur eos ad pacis † redire gratiā, poſtquam eorum cognouit minus bene ſanam ſententiam. Interim ſuſpendit ſuum à regis præſentia gradum, ne ipſis fieret ſcandalum offenſionis: directis tamen officiosè legatis, maculà ſe exuit ſuſpicionis. Nihilominus Regem Francorum placare muneribus ſtuduit, ne ſibi primitus vſurpationem inferret, quàm toto regno facere ad conſilium habuit. Balduinum præterea Comitem repreſſit modeſtè, ne ſibi munitiones conſtrueret Cameraci, Walteri corruptus fraudulentijs. Ducibus tandem poſt annum, & ferè medium, ad pacem flexis, cum eis ad Aquas grani palatij iuit, ſeque deditioni Regis libens obtulit. Proceſſu temporis Balduinus, filius Balduini, cupiens ſe æquare patri, ab eo diſsidium fecit; adienſque Imperatorem, per eum ſe

Thren. 3.

for. redigere.

ſperauit

ſperauit poſſe conſequi à domno Epiſcopo, vt ſibi propugnacula liceret conſtruere in Cameraco, aduerſus patrem rebellaturo. Qua ſpe priuatus eſt, contradicente Epiſcopo.

Synodus Triburienſis ad petitionem Conradi Imp. celebratur, in qua obtinet ſententia Gerardi epiſcopi, vt de officio ieiunij primi menſis antiqua Patrum conſuetudo ſeruaretur.

CAP. LI.

TRiburiæ ſecus Magunciam Imperator Chonradus de diuerſis partibus Epiſcopos conuocauit, vt quæ vtilitatis & religionis ſunt, ad inuicem conferrent. Qui poſt aliqua dictorum ſuorum hoc habuerunt capitulũ, vt ſi quando ieiunium, primi menſis in ea hebdomada, qua conſtat caput ieiunij, ſicut ſolet, eueniret, amborum ieiuniorum celebritas vna officij expletione compleretur. In hoc rurſus moderatiſſimus paſtor antiquam Patrum conſuetudinem ſeruari monebat, & in altera hebdomada officium primi ieiunij celebrãdum, pro conſuetudine antiqua, cenſebat, cuius oblata 1035. *Herman. contractus.* 1030. *Sig.*

ſententia viſa eſt congrua, & ab eis decreta eſt tenenda.

Grauia onera & decreta, quæ toti populo imponere volebant Galliæ epiſcopi, prudenter refellit Gerardus epiſcopus.

CAP. LII.

1032. *Sig. al.* 1033. IStiuſmodi decretum à Franciæ epiſcopis, datum eſt ſeruari ſubiectis ſibi populis. Vnus eorum cælitus ſibi delatas dixit eſſe literas, quæ pacem monerent renouandam in terra. Quam rem mandauit ceteris, & hæc tradenda dedit populis. Arma quiſquam non ferret, direpta non repeteret: ſui ſanguinis, vel cuiuſlibet proximi vltor minimè exiſtens, percuſſoribus cogeretur indulgere: ieiunium in pane & aqua, omni ſexta feria obſeruarent, & in ſabbatho à carne & pinguamine, ſoloque hoc contẽti ieiunio in omniũ peccatorum ſatisfactione, nullam ſe ſcirent ab eis aliam adijciendam pœnitentiam, & hæc ſacramento ſe ſeruare firmarent. Quod qui nollet, Chriſtianitate priuaretur, & exeuntem de ſæculo nullus viſitaret, nec ſepulturæ traderet. Alia quoque importabilia quàm plura dederunt

runt mandata, quæ oneri visa sunt replicare. Hac nouitate pulsatus mandati præsul noster, infirmitatiq́ue peccantiũ condescendens, secundum decreta sanctorũ Patrum, ad singula suum formauit eloquium. Genus humanum ab initio trifariam diuisum esse monstrauit, in oratoribus, agricultoribus, pugnatoribus; horũq́; singulos alterutrum dextera læuaq́ue foueri, euidens documentum dedit. Oratorum à sæculi vacans negotijs, dum ad Deum vadit intentio; pugnatoribus debet, quòd sancto secura vacat otio; agricultoribus, quòd eorum laboribus corporali pascitur cibo. Nihilominus agricultores ad Deum leuantur oratorum precibus, & pugnatorum defensantur armis. Pari modo pugnatores, dum reditibus agrorum annonãtur, & mercimonijs vectigalium solatiantur, armorumq́ue delicta, piorum quos tuentur, expiat precatio sancta; fouentur, vt dictum est, mutuò. Quibus dum Abraham, & Iosue, & Dauid, ex voce Domini arma tulisse in prælium vetus ostendit pagina: & sacerdotes gladio accingunt reges regnante gratia, in nostra matre ecclesia, Dei sponsa, officium non est in culpa, si deest peccatum in conscientia. Hos & Apostolus

Tria hominum genera Deo seruientium.

miniſtros Dei appellat, ita dicens: *Mi-*
Rom. 13. *niſter enim Dei eſt, vindex in iram*, ſubin-
ferẽs: *Non. enim ſine cauſa gladium portat.*
Rapinas reddere debere, vt vetus ſileat
mandatum, Zachæi ſatis eſt exemplum,
Luc. 19. dicentis ad Dominum: *Si quid defrauda-*
ui, reddo quadruplum. Nec peccant qui re-
Luc. 6. petunt, licet audiant: *Si quis quæ tua ſunt,*
tulerit, ne repetas. Duo enim legimus, &
tacuiſſe dominum interrogatum: & non
interrogatum, fuiſſe locutum. Cuius ſi-
lentium ita non eſt otioſum, quemadmo-
dum eſt ſalutiferum eius verbum. Vt e-
nim laudauit Zachæum de rapinarum
redditione: ita ſiluit de earum repetitio-
ne proineuitabili neceſſitate. At vbi dixit,
ne repetas, permiſit perfectis quod habe-
bant in voto, pro reſecanda cupiditate;
non imperauit, vt dixi, pro neceſſitate.
Itaque illic non prohibuit, repetere, &
hic conceſſit nõ repetere. Inde Reges per
ſanctos Patres edocti, ſtatuerunt firmas
leges, vt res ſuas iniuſtè ſublatas eccleſia,
vel quilibet iuſtè repeteret; quas legaliter
cogeretur qui rapuerat, reſtituere. Simi-
lis ſtat ſententia, inter percuſſorem ho-
minis, & vltorem proximi. Percuſſor e-
nim debet vltorem ſatisfactione placa-
re, & muneribus, quem læſit & offendit,
ſub-

ſubtractis amici mortui conſolationibus. Neque cogi debet abſque placatione ad ignoſcendum, cui Dominus miſit ab altari reconciliatorem munus offerentem, quem vtinam minus perfectum, hæc à pœnitente oblata trahat beniuolentia. Ieiunium in 6. vel 7. feria generaliter non eſt omnibus imponendum, quibus nec vna eſt ſanitas corporis, nec æqualiter remordet accuſatio peccati: ſed nec ſufficiés eſt omnibus peccantibus hæc ſatisfactio credenda. Creſcentia quidem in dies crimina purganda ſunt ſecundum euangelij, Apoſtolorumq;, & canonum atque pontificum decreta, nec eſt conueniens, vt alia his contraria, qui præſunt, iubeant populo; eiſque concordent, qui organa facti ſpiritus ſancti, per eius flatum ſonuerunt ſua verba, vel ſcripta; ne videantur deſtructa. Excommunicatione quoq; non ſunt feriendi qui hæc ſacramento firmare noluerint, cùm de ſeruando vno mandato ſatis infirma ſit fragilitas humana, nedum periurio in omnibus his neglectis teneatur aſtricta. Quando autem ab hoc ſæculo, ad aliud quis habet ire, mens eius naturaliter habens obliuiſci, & memorari, magnitudine, ſeu nouitate viæ nimis extra ſe ſparſa; & propterea *Mat. 5.*

aliquantulum sui oblita, consolationibus piorum debet reuocari, vt pœniteat de peccatis, etiamsi tunc vsque fuit obdurata: ne dicam, vt ei postulanti, hæc, quod absit, denegetur misericordia. Mortuum etiam quemlibet peccatorem terræ traderæ, Dei dixit authoritas, ex quo peccator omnium peccatorum occisor, audiuit:
Gen. 3. *Terra es, & in terram ibis.*

Duaci à populo persuaso à VValtero, quòd Gerardus episcopus paci resisteret, interpellatus episcopus de pace statuenda, declarat studium pacis, & populo sedato, callidita-tes VValteri exposuit.

CAP. LIII.

CAusa posthæc fuit qua Duacum petijt. Vbi conuentus populi vocibus, de statuenda pace falsa: respondit pro tépore quod perceperat ab eo qui est idem heri & hodie, nec mutatur crastino tempore. Suggesserat in aures omnium Walterus, qui erant foris & intus, Episcopum paci nolle adquiescere, non quia erat filius pacis, sed quia liberius quærebat studere artibus suæ malignitatis.
Heb. 13.
cap. 52. Collegerat duo superius dicta, ne quis arma fer-

ma ferret, nec direpta repeteret, ſtudebatque vt præteritæ vitæ rapinis & cædibus, quibus paſtus fuerat, ſilentium darebus, quibus paſtus fuerat, ſilentium darebatur; & ex tunc licentius, nullo ferẽte artur; & ex tunc licentius, nullo ferẽte arma, aſſuetis malis frueretur. Quod præma, aſſuetis malis frueretur. Quod præſciens Epiſcopus, ſedato populo, calliſciens Epiſcopus, ſedato populo, callidates illius expoſuit, vtque paci non eſditates illius expoſuit, vtque paci non eſſet contrarius, debita ſua multiplicia illi ſet contrarius, debita ſua multiplicia illi indulſit, tantùm vt in reliquum populus indulſit, tantùm vt in reliquum populus de eo pacem haberet. Tunc deinde turde eo pacem haberet. Tunc deinde turba cœpit Epiſcopum benedicere, quia ba cœpit Epiſcopum benedicere, quia iam cognouerat eum omnium pacem in iam cognouerat eum omnium pacem in veritate quærere, etiam cum damno, ſi veritate quærere, etiam cum damno, ſi per hoc poſſet fieri, propriæ ſubſtantiæ, per hoc poſſet fieri, propriæ ſubſtantiæ, qui illi, vt dictum eſt, pro hoc vniuerſa qui illi, vt dictum eſt, pro hoc vniuerſa relaxauerat debita.

Exhortatione Balduini Comitis Flandriæ, tandem pax, cum VValtero, præſentibus multis Sanctorum corporibus initur. Gerardus epiſcopus ea quæ ad animæ ſalutem pertinent populo proponit, & imperfectos excuſat.

CAP. LIV.

HIs ita geſtis, Balduinus tunc temporis Flandrenſium Comes, hortari cœpit Epiſcopum, vt populo fauens,

pacem ſacramento firmare iuberet. Ille ne tunc quidem à ſenſu bono deficiens, non alia quàm lex, & Euãgelium annuntiat iubere profeſſus eſt. Tandem tædio victus, inter confines Cameraci & Atrebati multis ſanctorum corporibus delatis, cum maxima turba ad locum deſignatum venit. Sed ne hic quidem feriabatur Walterus, nunc circum circa, nunc foras, & intra ambulans, & muſſitans, hunc repugnare paci, in tantum, vt populũ commoueret propè ad inferendam vim. Qui minimè fractus hunc publicè tali modo, pro confutanda eius malicia allocutus eſt, dicens: *Pictura inſinuat imaginem diaboli ad aurem ſtare Simonis, ſuggerentem quæ voce proferret, aduerſus Petrum Apoſtolum contendens. Nec tua te refert actio, qui ad malum ad quod non ſufficis, commoues ceteros.* Deinceps populum ad audiendum ſedat, & quam inter ſe pacem quærerent, qui commanducare eum volebant, edocet. Factoque verbo de ſalute animæ: quæ Chriſtianitatis lex iubet, ſua ſponte ſe ſeruare, promittere monet, & cùm deuiarent ad pœnitentiam redirent. Alacres itaque facti, dicta eius pro vero tenentes, vnanimes promiſe-

runt,

runt, & ad propria cum pace redierunt.

De dictis nostris hoc volumus repetere, ne quis improuidus, nos putet non satis apertè verba euangelica protulisse contra Episcoporum statuta: quia Dominus quædam sua mandata dedit imperfectis pariter & perfectis: quædam solis perfectis. Quod sufficiat ad testimonium, quia cùm dixisset iuueni cuidam, mandata nosti? subinferens: non occides, ceteraq; huiusmodi: illeq; respondisset: Hæc omnia custodiui à iuuentute mea, ait: Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus. Alio quoque in loco, de eunuchis disputans: Qui potest, inquit, capere capiat: non enim omnes capiunt. Nec nos fugit posse dicere quemquam: quòd regnum cælorum non ingreditur nisi perfectus quisquam. Cui nos digito insinuamus, quia stella à stella differt in claritate, & verba Domini replicamus: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Quarum, vt ita dicam, secundum nos inæqualitas, non nisi ad eius omnipotentem facta est voluntatem. Quibus vt vna seruetur in æqualitate quãtitas, inuiolabilis data est ad alterutrũ charitas, quod est in singulis, cõmunicans omnibus, cùm quicquid factum est, sufficiens sit

Luc. 18.

Mat. 19.

1. Cor. 15.

Ioan. 14.

ad omnia per hoc quod habet in propria natura. Et de nobis dicimus ſimilia, quorum inperfectionem ſupplet, cui dicit propheta: Melior eſt miſericordia tua
Pſal. 2. *ſuper vitas. Per quam fit, vt quod habebunt ſinguli in cæleſti vita, ſufficiens ſit gloria, participabuntq; cunctorum lætitia, charitatis perfectione pleni, vt fiat æqualitas.*

Conradus Imp. in Italiam proficiſcitur, crudeliter agit cùm epiſcopis & alijs. Prodigia in coronatione eius facta. Nec multò poſt moritur, ſuccedente filio Henrico iij. ad quem Gerardus Epiſcopus proficiſcitur. Signa quæ mortem Conradi Imp. præceſſerunt.

CAP. LV.

an. 1037. Herman. Baron. ITaliam Chonradus Imperator abijt, vt ad votum de regno ageret, & arma ferentes impugnaret. Cùmque inibi degeret, quoſdam Longobardorum epiſcopos partibus Odonis fauentes inreuerens factus, in vincla coniecit. Mediolanenſium autem Archiepiſcopus re pro alia, pari modo captus, fuga ſibi conſuluit. Contra quem exaſperatus, loca quæ latè patebant, incendio abſque homine fecit.

Odo Comes Campaniæ in Gallia.

Nam

Nam id consilij cum Longobardis habuerat, qui in commune decreuerant iuramẽto. potentes cum infimis, nulla ratione se passuros, quẽlibet dominũ, qui aliud quàm vellent, contra eos ageret. Superuenit tãdem dies pentecostes, quæ poscebat inter missarum solemnia, pro consuetudine coronari Regem. Igitur quæsita, nulla reperta est ecclesia, præter vnam paruulam secus ipsam ciuitatem. Et ecce à mane cœperunt audiri tonitrua, coruscare fulgura tam grauia, vt plures in domibus mente excederent, aliquanti exhalarent inter missarum officia, sicut Bruno Episcopus, qui missam cecinit, testatus est. Bertulfus etiam quidam secretarius regis sanctum se vidisse dixit Ambrosium, pro his quæ Rex malè gerebat, indignatione commotum. Posthæc, relicto hoc negotio inperfecto, iter conuertit cis Alpes, nec multò post languore afflictus est, & vita apud Traiectum priuatus, Henricum filium suum regni & laboris dimisit heredem. Ad quem sæpe dictus Pontifex iens, manibus se illius commisit, pariterque Dux Gothilo, qui aliquantulum denegare disposuerat. Cuius Conradi mortem hæc perceſſerunt signa. Anno antè transacto, mense Aprili data VIII. idus visa

Conradi mors.

Signa quæ eam præcesserunt.

est

eſt in cælo, inter Orientalem, & Auſtralem plagam, quaſi ignea trabes, magnæ magnitudinis, quæ currens ſuper ſolem iam ad occaſum vergentem, viſa eſt in terram cadere. Cuius veſtigia diu potuerunt videri, ſicut fit vbi nubes claduntur poſt coruſcationem. Hoc ipſo autem, quo diem clauſit, anno, eclipſis ſolis fuit pridie idus Maij, & II. nonas Iunij, vt dixi, ipſe obijt.

Gerardus epiſcopus cum Rege Henrico venit Traiectum ad Moſam, vbi leuauit corpora SS. Gondulphi & Monulphi. Conſecratur ibidem eccleſia S. Seruatij, & Metis S. Stephani, vtriuſq; conſecrationi præſens eſt Gerardus, & datæ ſunt ei dictorum SS. reliquiæ.

CAP. LVI.

SVbſequente autem menſe Auguſto, cum ipſo Rege Traiectū venit dominus Epiſcopus, & rogatu Epiſcopi Nihardi leuauit corpora ſanctorum cōfeſſorum Gondulfi, & Monulfi, acceptis ſibi inde reliquijs: & cōſecrata eſt ibi eccleſia in honore ſancti Seruatij. Mettis poſtea conſecrata eſt eccleſia ſancti Stephani

phani protomartyris, vbi etiam interfuit precatu Theoderici, eiusdem vrbis Episcopi, qui ei dedit preciosas reliquias ipsius Martyris Christi, quas secum detulit.

Expellitur à ciuitate Cameracensi Aldo, qui ecclesiam S. Gaugerici in aduocationem tenebat, eamq; nequiter affligebat.

CAP. LVII.

ALdonem de Vido qui ecclesiam sancti Gaugerici in aduocationem tenebat, quam nimis affligebat, multis cõuictum nequitijs, à ciuitate expulit. Erat enim fraudulentus valdè, & alienus à veritate, & fidelitate ipsius. Campum contra eum accepit, vnde se recredidit, & legaliter fiet; dum suum adiudicatus perdidit. . . . . .

Gerardus episcopus consecraturus Atrebati ecclesiam S. Mariæ multas inuenit reliquias, & brachium S. Vedasti.

CAP. LVIII.

DOmnus Gerardus episcopus dedicationem ecclesiæ in honore sanctæ Dei

Dei genitricis Mariæ facturus, remouit altare à proprio loco, & effossa terra, quæ circa erat, multæ sanctorum reliquiæ ibidem repertæ sunt. Insuper brachium confessoris Christi Vedasti, & non modica pars de capite eius, & quibusdam membris. Cõsecrata est igitur ipsa ecclesia solemniter, 11. non. Ianuar. apportato sancti Vedasti corpore, cum alijs sanctis à monachis eiusdem loci. . . . . .

Hic consequenter erasæ sunt 14. lineæ.

. . . . . .

Lietduinus & Richardus præstantes virtute abbates S. Vedasti, quibus Iohannes successit, fauente Gerardo episcopo.

CAP. LIX.

PAucis antè transactis diebus, Lietduinus ex laico Monachus, & Abbas monachorum post factus, à sæculo abiens laudabiliter, & ad aliud perueniẽs, vt speramus, fæliciter, tristes reddidit, quos ad omne bonum instruxit. De quo, vt aliquantulum dicam, per indoctam Dei sapientiam, stultam ostendit Grammaticorum inflatam doctrinam, dum quicquid sæculi fuit, sollicitus cauit, & quæ Dei sunt, fidelis operator adimpleuit.

uit. Hic Abbatem Richardum, religiosum admodum virum, & Fredericũ, Comitis Balduini auunculum, à sæculo conuersum, prudentem & iustum introduxit, per quem locus ille in sancta religione, & mundi facultate cœpit pollere, & ab eo, loco subrogatus, nobiliter, vt decuit, in omnibus bonis permansit. A fundamento monasterium restaurauit, & omnibus *Luc. 1.*
vtilitatibus ampliauit, & in omnibus iustificationibus domini, sine querela vixit. Huic, postquam eum Deus tulit, Abbas Iohannes successit, electus à Fratribus, domno episcopo Gerardo fauente, cum Comite Balduino.

Epistola monitoria & deprecatoria Gerardi Episcopi ad Henricum III. *Imperatorem.*

CAP. LX.

DOmino H. Augustorum serenissimo, G. Episcoporum vltimus, & seruorum Dei seruus, pacis & salutis perpetuæ munus. Peccatis meis hoc reputo, vt solatium qualecunq;, quod mihi seni iam fesso de vobis huc vsque promittebam, in vitæ tempore vltimo subtraxerit Deus, non vos, cui incessanter pecco. Breuiter tamen hoc vestris auribus sug-

ſuggero, quia de fidelitate ſeruanda, ad communis regni ſtatum, apud vos in culpa non habeor. Triginta annos ducimus, quo in noſtra vrbe inter pagenſium noſtrorum gladios viuimus. Quibus quàm multa data ſunt ab eccleſia noſtra, cotidiana diſtributione, quæque ab Ottone & Heinrico, diuæ memoriæ regibus, prædeceſſoribus meis epiſcopis, collata mihi etiam, & à patrimonio ſunt reperta, non ſunt ſuggerenda. Et ſicut liberalitas veſtra Sacellarium habet, qui cauſis ſuperuenientibus cotidianas expenſas faciat, ita & ego ſacellarius eorum ſum, vt dilatio mortis, ne dicam vitæ requies eorum qui mecum ſunt acquiri valeat, quod virga diſciplinæ veſtræ habuerat facere. Et hæc cuius, niſi regni gratia? E contra adgrauata eſt manus plagæ veſtræ ſuper nos, quando paruitas noſtra minus idonea eſt habita apud vos. Hoc tamen domino dico, vt de me mala quælibet æſtimet: de vtilitate verò & cauſa quaſi prouiſionis noſtræ, non quibuſlibet pias aures præbeat, ſed eos conſulat, quibus gens, & patria eſt cognita, pluſq; vtilitati, quàm ſuggeſtioni credat. Nec tamen regiæ congruit perſonæ, impugnatores hactenus pacis, familiares habere, & eos per quos viguit procul abijcere. In vero mihi credite, quia ſuaſio iſta, res eſt ſimulata, non vera: & idcirco vobis

Triginta iam annos præeſt Gerardus.

vobis obedire diſtuli, quia nec nobis, nec vobis quies vltrà maneret. Sanè nõ adeo mirũ, ſi ab re plus iuſto mihi indignemini, ſicuti Mauricius Gregorio, quãuis longè infra Gregorium. Verenda verò quam ſubiit Mauricius vindicta, dum eſt heri, & hodie, cuius potimur vicaria perſona. Per eum qui formauit, & adunauit eccleſiam de latere ſuo vos precamur, ne ſcindatis, & diſſipetis eam: ne, quod abſit, extra eam inueniamini per purgationem ventilabri Dei. Loquaces adoleſcentes cum Roboam ne admittite, quin potius per ſilentem Chuſi, Dauid ſapientiſſimus princeps inter tres, quaſi te. . . . .

Heb. 13.

Mat. 3.
3. Reg. 12.
2. Reg. 16.
ibid. 23.

. . . . . .

. . . . . .

Educatio Lietberti apud Gerardum epiſcopum (cui poſtea ſucceſsit) à quo primùm dignitate Scholaſtici, deinde vt epiſcopo eſſet à conſilijs, denique Archidiaconatu, & Præpoſitura honoratur.

CAP. LXI.

HVic quidem Gerardo Pontifici dominus Lietbertus in Epiſcopatum ſucceſſit, qui ex Brachatenſi patria, nobili ortus proſapia, à progenitoribus educandus

candus puer commissus est sub ipsius Gerardi Pontificis disciplina. Puer igitur iste docibili ingenio præditus, & assidua pij magistri doctrina informatus, gemina scientia affatim imbuitur. Quem videns pius pater bonis studijs crescere, & per dies singulos ad meliora conscendere, cœpit eum vehementer diligere, & consiliorum suorum participem facere, & vt amplius in scientia eum confirmaret, regẽdas scholas sanctæ Mariæ matris ecclesiæ ei commisit, qui honor, propter laborem, rarus nobilibus committitur: sed quantò rarior, tantò magis honorabilior comprobatur. Huius igitur ministerij exercitatione perfectioris scientiæ culmen iuuenis ille cœpit attingere, & inter sapientes sapienter pollere. Cognita verò Episcopo Scholastici industria, separauit eum à puerorum doctrina, faciens illum semper consistere in præsentia sua, & lateri suo adhærere: & in iudicijs suis, tam publicis quàm priuatis, auditorem in primis, & mox iudicem insistere. Sicque factum est, vt iuuenis ille, paruo post tempore, in diuinis, & in humanis efficacissimè clarescceret. Quem videns episcopus bonis virtutibus abundare, & castitatem inuiolatam conseruare, cœpit eum diligere

Scholastici honor & dignitas.

gere præ omnibus, & priuata, & publica facere ex consilio ipsius. Et quia eum diuina clementia, & sapientia, & virtutibus exaltauerat, commodum duxit eum Episcopus magnificare, conferens ei Archidiaconatum, & Præpositurам, & cetera maiora ministeria ecclesiæ.

Lietbertus G. episcopum senectute grauem adiuuat. VValterus Castellanus ab inimicis occiditur. Eius vidua nubit Ioanni aduocato Atrebatensi, qui Castellaturam à Gerardo episcopo impetrare nitebatur.

CAP. LXII.

HIs acceptis honoribus ita vtebatur, vt maioribus perfruendis dignior iudicaretur. Post aliquantum verò temporis ipsi Gerardo pontifici, vergentibus annis ad occasum, senectus obrepsit, pro qua debilior iam fiebat à priori statu, tam in diuinis mysterijs, quàm in humanis negotijs. Sed L. quem à puero nutriebat, quem honoribus exaltauerat, in vtroque valdè eum iuuabat. Accidit interea, vt Gualterus Cameracensis Castellanus ab inimicis suis interfectus interiret, vnicumque filium cum vxore sua superstites *Lietbertus.* *VValteri exitus malus.*

sibi relinqueret. Quæ quidem vxor, Ermentrudis nomine, ab insania mariti sui non cessauit, sed per peiora quæque oberrans, mariti sui nequitias superexcellit. Et quia malitiam per se, vt volebat, exercere non potuit, filius enim eius puer erat, tyrannum quendam, nomine Iohannem, Aduocatum Atrebatensem, sibi in coniugium copulauit, suique, & filij sui patronum esse constituit. Filius autem ille mox mortem obijt, secundum quod scriptum est: *Generatio impiorum peribit.* Iohannes verò, cui mater pueri nupserat, quique per matrem beneficium pueri inuaserat, nitebatur aut vi, aut dolo illud sibi transducere, quod lex nulla sibi permittebat. Porrò vt res faciliores haberet effectus, cœpit ipsum G. pontificem magnis sollicitare promissionibus, & pecunia corrumpere necessarios, & familiares eius. Huius quidem consilij, L. inter fideles pontificis sapientissimum, participem esse noluit, timens ne prudentia, & fidelitate eius ab incepto repelleretur. Vnde vt eum à consultu Pontificis longè faceret, & à ciuitate procul expelleret, confictis causis inimicitias ei insimulabat. Quibus si locus esset, mortem etiam ei collaturum plerisque reuelauerat.

Vidua pessima peiorẽ ducit maritum.

Psal. 36.

uerat. Interea G. Episcopus infirmabatur, & cum ætatis decrepitæ molestia, acutæ febris valitudine angebatur; ita vt à domo sua, nisi alterius manibus exportatus, exire non valeret, neque disponere, quid sibi, vel reipublicæ vtile esset. Domnus verò L. cum eo assiduè esse non poterat; propter simultatem, & inuidiã quam aduersus eum Iohannes inferebat. Ideoq; apud nouum castrum sanctæ Mariæ, custodiæ eius deputatum morabatur, nisi aliquãdo Episcopum, refocillationis gratia, visitaret, congregato constipatus exercitu. Gaudebat igitur Iohannes de eius absentia, sed nihil tamen impetrare ab Episcopo valebat, eò quòd ab amicis L. dissoluerentur, & ad nihilum traherentur omnia petitionis suæ ingenia.

Moritur Gerardus episcopus. Lietbertus cum alijs baculũ pontificalẽ reportat Henrico Imp. nuncians illius depositionem. Qua audita contristatus Imp. inquirit quem dignè ei posset subrogare.

CAP. LXIII.

CVm hæc agerentur, superueniente

suæ vocationis tempore, Præsul G. defungitur: Iohannes tamen in ciuitate remanet, Castellatura indonatus. Porrò sepulto honorabiliter, sicut decebat, Gerardo pontifice, Henricum regem Lotharienſium adeunt domnus Præpositus & Archidiaconus, alijque Archidiaconi cum cæsatis Cameracensis ecclesiæ, reportantes baculum pontificalem, & nuntiantes episcopi sui depositionem. Audiēs Imperator obitum tanti viri, piè ei, eò quòd omnibus amabilis erat, condoluit, cœpitque quærere diligenter, quem in loco eius similem surrogare potuisset. Cui quidem hac in re sollicito, occurrit animo, quòd L. eiusdem Cameracensis ecclesiæ præpositus, qui suus iam dudum capellanus erat, quem fidelissimum sibi, & ecclesiæ illi sæpe necessarium in multis probauerat, ad regendam ecclesiam Cameracensem idoneus enitebat.

Lietbertus donatur ab Imp. episcopatu Cameracensi cum omnium exultatione, Imperatore hymnum Te Deum laudamus inchoante. Ioannes ciuitatis introitum ei negare parat, nisi se Castellanum constituat, & vi ecclesiam, & thesauros eius, domumq; episcopalem inuadit.

CAP.

CAP. LXIV.

VOcatis itaque Cameracenſis eccleſiæ legatis, tam clericis quàm laicis, ſuæ voluntatis ſententiam eis aperuit, L. videlicet Præpoſitum ſe præficere velle Epiſcopũ eccleſiæ Cameracenſi, quem ad regendam eccleſiam illam vtilem eſſe credebat, ſuæque commodum fidelitati. His auditis omnes aſſenſi ſunt, præter vnum Archidiaconum, Guonem nomine, qui mox conuictus eſt contradixiſſe inuidia potius, quàm vlla alia ratione. Sicq; annuente iſto cum alijs omnibus, donauit Epiſcopatum Cameracenſem domno L. Imperator Romanorum H. ſecundus. Videres igitur omne palatium gaudio repletum eſſe & exultatione, & incipientem ipſum etiam Imperatorem, *Te Deum laudamus*, proſequi Epiſcopum cum clero & populo vſque in eccleſiam, cum huius hymni iubilatione. Magnificatus eſt Pontifex à Rege & Principibus eius in magna gloria, & receptus eſt à ſuis cum gratiarum actione, & lætitia magna. Pontifex, facta fidelitate Imperatori, & omnibus competentibus adimpletis, ſatagebat ad ciuitatem ſuam reuerti. Sanè Iohannes

Liethertus Epiſcopus. an 1049. Meyer.

Epiſcopus fidelitatem promittit Imperatori.

hannes ille, qui ei infenſus Cameraci remãſerat, audiuit, præcurrente fama, quod factum fuerat; quia domnus L. accepto Epiſcopatu lætus remeabat. Hac pro cauſa valde iraſcitur, ſecumque diu reputat, quid opus ſit factu. Poſtea ſatellites in vnum conuocat, eiſque ſecretum animi ſui inſinuat, dicens, ſe L. nuper Epiſcopo facto nullum introitum ciuitatis Cameracæ indulgere, niſi ſe Caſtellanum prius ipſius ciuitatis voluerit facere. Præcepit igitur omnibus illis, paratos eſſe ſemper in armis, ad repellendum Epiſcopum illum, niſi ſibi hoc in dono ſatisfecerit. Dein Matrem eccleſiam ſanctæ Mariæ violenter inuaſit, & eiectis canonicis, theſauros eccleſiæ, & quodcunque intus inuenit, ditioni ſuæ mancipauit, cuſtodeſque ſuos armatos inibi poſuit. Baſilicam itaque Pontificalem cum militibus ſuis introijt, & vxorem ſuam in camera Pontificis introducens, ſtratũ ſuum in lecto Pontificali parari fecit, ſibique, & ſatellitibus ſuis, de Pontificalibus ſumptibus præcepit miniſtrari.

Ioannes

Ioannes episcopo appropinquanti portas claudit, ideoq; diuertit ad nouum Castellum S. Mariæ, manens ibidem, donec à Balduino Comite Flandrensium magna cum gloria introducitur in ciuitatem Cameracensem, Iohanne ignominiosè expulso.

CAP. LXV.

INterea dum hæc agerentur, nouus ciuitati appropinquat Episcopus, cui Iohannes cum parato occurrẽs exercitu, portas clausit, & longè repellit ab introitu. Episcopus itaque ad nouum Castellum sanctæ Mariæ diuertens, cum honore & lætitia recipitur à suis, ibiq́ue aliquandiu mansit, donec Flandrensium Comes B. à Rege Francorum reuertens, & per ipsum Castellum transitum habens, eum ibi inuenerit, & de Episcopio eius lætus effectus, vsque ad ciuitatem Cameracensem eum secum deduxit. Comes verò dum ad ciuitatem propinquaret, mandauit Iohanni, vt ipse, & sui à ciuitate exirent, & liberum introitum Episcopo venienti permitterent. Iohannẽs autem, quia contradicere ausus non erat, adimpleuit Comitis Domini sui mandatũ

per omnia, ſicut iuſſus fuerat. Intrauit igitur Epiſcopus ciuitatem ſuam, duce Comite, cum magna gloria, & expulſus eſt aduerſarius eius Iohannes cum ignominia magna.

Lietbertus epiſcopus Caſtellaturam Cameracenſem dat legitimo hæredi Hugoni: Iohannes, videns ſe ea priuatu, in transfuga à Balduino, per Imp. conatur eam à Lietberto impetrare.

CAP. LXVI.

PONtifex verò electo Iohanne, præcauens in futurum, & timens, ne vel ille Iohannes, vel quilibet tyrannus huic ſimilis in Caſtellaturam illam, aut vi, aut ingenio intraret, & poſtea iuſtus hæres, eam repetens, inde turbas faceret, vltrò Hugonem Gualteri Caſtellani defuncti nepotem, eò quòd legitimus hæres erat, adſciuit, eiſque Caſtellaturam illam conceſſit. Et quia iſte Hugo adhuc puer erat, ſed propinquum quẽdam, Anſellum nomine, moribus & armis egregium habebat, huius cuſtodiæ puerum cum bono eius comiſit; quem Anſellus ille vſque ad præfinitum tempus, optimè & fideli-

ter

ter rexit, Iohannes igitur Caſtellatura, quam iniuſtè vſurpauerat, priuatus, nec quidquam mali aduerſus Epiſcopũ proinde præſumens facere (prohibitus enim erat à Comite) ipſum Comitem Balduinum, cuius ligius miles erat, dereliquit, & ad Imperatorem Romanorum H. ſe contulit, quem ſciebat tunc temporis inimicum eſſe Flandrenſi Comiti. Huius quidem miles effectus, ſciens quia Imperator ſecundam profectionem in Flandriam aduerſus Balduinum pararet, promiſit ei, quòd exercitum ſuum illuc deduceret, ſi à Lietberto, cui nouiter Epiſcopatum dederat, Caſtellaturam Cameracenſis ciuitatis dari ſibi feciſſet,

Imperator ſe bello accingit aduerſus Comitem Flandriæ ductore Ioanne, & pontes parat vt Schildam tranſeat non procul à Valentianis.

CAP. LXVII.

HIs auditis Imperator, quia in terram Comitis depopulaturus venire deſiderat, lætus efficitur, æſtimans ſe facilè impetraturum ab Epiſcopo, quod à Iohanne poſtulabatur. Deniq; nec multum

an. 1054. Sig. Meyer. tum temporis interfuit, cùm Imperator, parato exercitu, & Iohanne ductore constituto, ex pacto & petitione eius, vt in Flandrensem patriam deueniret, iter aggreditur. Pertrãsiens igitur omnia interiacentia sui regni loca, peruenit ad Maen, vicum quendam super Scaldum fluuium, non longius quàm duobus milibus à Valentianis, vbi pontes volebat facere, & sic in terram Balduini, quæ præsens, trãsito flumine, occurrebat, intrare. Sed B. Comes alteram partem ripæ cum suo exercitu iam præoccupauerat, per quam Imperator in terram eius transire parabat. Sedentibus itaq; Imperatore & Comite è diuerso, neque altero alteri nocere valentibus, propter altitudinẽ intercurrentis fluuij, pars quædam ab imperatorio exercitu clanculum segregata, per Cameracum ciuitatem transijt, volens Comitem aduersus Imperatorem sedentem inparatum offendere, & sic ex inprouiso superare. Quod quidem factum fuisset, nisi ad vltimum per legatum monitus Comes, cum suis fugeret, & custodiam littoris vacuam derelinqueret.

Maen seu Main vicus.

Impe-

Imperator, transito Scaldi, terram Comitis Flandriæ, præda & igni deuastat. Ioannes petit ab Imp. sibi promissam Castellaturam conferri.

CAP. LXVIII.

HOc viso Imperator Scaldum fluuium, paratis pontibus, transijt, & terram B. hosti suæ deuastandam distribuit: sicque depopulando eam præda & igni, vsque ad debullientem riuum cum exercitu suo peruenit. Quo in loco præfatus Iohannes, acceptis secum satellitibus suis, coram Imperatore veniens, rogauit eum, vt Castellaturam Cameracensem sibi donari feciſſet, secundum promiſſum suum, si vellet amplius à se, & à suis habere conductum. Igitur Imperator vocauit ad se L. Episcopum, (præsens enim erat) & postulare cœpit, vt Iohanni Castellaturam donaret Cameracæ ciuitatis.

Vexatur ab Imp. Lietbertus episcopus, vt Castellaturam Cameracensem det Ioanni; quod tandem coactus annuit.

CAP. LXIX.

HIs auditis, Episcopus vsque ad animam

animam conturbatur, cùm iam eam iusto heredi donasset, & sæuissimus tyrannus iniustè eam repeteret. Respondit tandem, se non posse facere quod Imperator imperabat, quia Hugoni legitimo heredi secundum legem patriæ, iam eam donauerat. Imperator propter instantem necessitatem volebat petitioni Iohannis satisfacere: Episcopo autem videbatur quod fecerat nullo modo, se posse dissoluere. Imperatori quod petebat, leue videbatur, & modicum: Episcopo quod petebatur graue, & mortiferum. Si enim infandum hominem contra ius aliena petentem, in ciuitatem suam reciperet, neque intus pacem, præ tyrãnide eius haberet, neque foris † exhereditatum, & parentes eius sustinere posset. Humiliatus igitur & cõturbatus Episcopus vsquequaque, viuificationem petebat à diuina miseratione, volens donum suum legitimè perfectum, inuiolabiliter permanere. Sentiens igitur Imperator se blanditijs impetrare non posse quod petebat, cœpit abuti violentia, præcipiens Episcopum à militibus rapi, & extra potestatem eius positum, in custodia reseruari. Tandem Episcopus coëpiscoporum, & amicorum liberrimis cõsilijs correptus, scienſque, quòd secundum

pro exheredatum.

dum Apostolum, Regi debeat esse subiectus, annuit Imperatori de Iohanne quod petebat, sicque in suam potestatem redijt, liberatus ab omni custodia. *Rom.* 13.

Ioannes accepta Castellatura, vlterius deducit exercitum Imp. vsque ad castrum Islense, vbi Lantbertus Comes Lensensis occubuit, deinde Tornacum, & tandem de Flandro triumphans ad sua reuertitur.

CAP. LXXI.

QVo facto, accinxit se rursum Iohannes ad deducendi negotium, volens, si fieri posset aliquo pacto per clausulam illa, ducere Imperatoris exercitum. Laboranti igitur homini, & quærenti idipsum perficere, portæ clausulæ illius apertæ sunt de media nocte, sicque clausulam illam introiuit Imperator, facta inimicorum suorum resistere volentium non minima cæde. Pertransiens autem clausulam illam, & interfectis à dextris, & à sinistris occursantibus sibi, ad Islense castellum peruenit, vbi Lantbertus Comes Lensensis, cum multis ei occurrens, interfectus occubuit. Ab eo quidem castello diuertit ad Tornacum ciui- 1054. *Sig.* *Islense castellum.*

tatem

tatem, vbi in quodam municipio inclusit non paruam militum electorum fugientem multitudinem, quos obsidione, & ad vltimum fame oppressos compulit ad deditionem. Illis igitur acceptis, & per ergastula militum suorum in custodia reclusis, Imperator cum gloria ad ciuitates regni sui redijt. Sed nos à proposito deuiauimus, dum opera Imperatoris prosequentes, aliquantisper à gestis domni L. Pontificis siluimus. Remittamus igitur bella Imperatoris, & magnifica facta æduituis eius, & nos ad gesta Pontificis quæ restant redeamus.

Lietbertus episcopus Cameracum reuersus cum gratia Imp. & Iohannis fouet Hugonem, cui Castellaturam ante donauerat. Magna pace fruitur ciuitas Camcracensis.

CAP. LXXI.

REcedente Imperatore in regni sui patriam, recessit quoque domnus L. Episcopus Cameracum in ciuitatẽ suam, qui Hugonem puerum, quem Castellanum fecerat, non à se repulit, sed nõ minori cura, quàm ipse Ansellus, constitutus custos eius & tutor, fouet eum, & enu-

enutrit, ducens in irritum donum illud Caſtellaturæ, quod per violentiam Imperatoris, donare coactus eſt Iohanni. Hoc autem factum Imperator, piè pertulit, nullaque iniuria proinde Epiſcopum affecit: quin potius donum illud quod ab illo, Iohanni factum fuerat, ſuis muneribus, alioque beneficio reſtaurauit, paciſque concordiam inter Epiſcopum, & ipſum reconciliauit. Sciebat enim factum fuiſſe nutu conſilij ſui, quòd Epiſcopus ipſi Hugoni primùm Caſtellaturam donauerat. Epiſcopus igitur lætificatus adepta Imperatoris gratia, & de ſuperata Iohannis quæſtione iniuſta, ciuitatem ſuam Cameracum exaltare omnimodis ſatagebat. Ciues itaque, qui diutinæ ſeditionis oppreſſione, paupertati redacti fuerant, pacis dulcedine viuificati, quaſi de ſepulcro mortis reſurgebant. Præ labore enim & ſtudio Pontificis, in ciuitate Cameracenſi, & circumquaq; in omnibus appendicijs, miſericordia & veritas *Pſal. 84.*
ſibi obuiabant, iuſtitia & pax oſcula libabant. Aperta & reſerata ſunt omnia, nec fur inuentus, neque rapax, neque iniurians quiſquam qui alicui damna inferat. Clerici in eccleſijs opulentia referti, laudes Deo referebant: Laici cum omni pa-

ce officia ſua exercebant. Beatum dixe-
Pſal. 143. runt populum cui hæc ſunt, immo beatiorem Epiſcopum, per quem tanta pacis gaudia pullularunt.

Hugo Caſtellania iam adepta præcedentibus Caſtellanis malicia inferior non eſt, ideoq; ab Epiſcopo excommunicatur.

CAP. LXXII.

INterea Hugo Caſtellatura donatus, ætate proficiebat, tempuſque proximum inſtabat, quo Anſellus regimine eius carere, & ipſe bonum ſuum recipere debebat. Porrò Anſello videbatur, quia ad regendam Caſtellaturam iuuenis ille nondum eſſet idoneus, ideoque protelare volebat cuſtodiæ ſuæ officium, ſi ſibi permitteret Epiſcopus. Sed quamuis Pontifex de inperfectione Hugonis idipſum ſentiret cum Anſello, nolebat tamen ipſum fraudari à præfiniti temporis ſpatio, putans iuuenem per diſciplinam ſuam ad veritatis viam poſſe reuocari, ſi cæcitatis ſuæ ignorantia à recto deuiauerit. Sic ſic Anſellus nullatenus impetrare valuit, prece vel pretio, quin H. Caſtellaturam ſuam non reciperet in die ſuo. Adepto itaque

itaque H. honoris ſui gubernaculo, continuò palam fecit omnibus quod claudebat in animo. Antea enim quomodo eum cognoſceres, cùm prohiberent ſimul ætas, metus, & magiſter? Modò verò ſuæ poteſtatis compos, totius magiſterij & diſciplinæ contemptor, faſque nefaſque confundens, poſt prauitates cordis ſui & illicitas voluptates graditur ſine reſpectu aliquo. Poteſtné reſpectum iuſtitiæ tenere, qui in ciuitate domini ſui, & in foro eius, lignarium per angariam colligit; cùm id vnquam anteceſſor eius non fecerit, & contradictio reclamet, & prohibeat domini ſui? Factum eſt autem hoc lignarium à Hugone Caſtellano in ciuitate Cameracenſi, & poſitum eſt in inclaſtro ſancti Autberti ad contradictionem L. Pontificis, & hæc fuit prima cauſa de iniuriarum eius primitijs. Secunda iniuria talis extitit, quòd Ermenaldo villico, & cubiculario Epiſcopi, x. vaccas abſtulit, & in ciuitate ſua ſe præſente adduxit, & comedit, ipſumque Ermenaldum ad vltimum comprehenſum alligauit catenis. Quod cùm Epiſcopo nunciatum eſſet, valdè indoluit, venitq; ad domum Caſtellani, volens ſcire, quare cubicularium ſuum teneret in vinculis. Ille *Terent. in Andria.*

verò mox vt aduertit domum intrasse dominum suum, fuga lapsus est per alterum domus ostium. Vociferante igitur Episcopo, & adiurante in sacramenti nomine ne abiret, sed stans, de Ermenaldo, quem acceperat, rationem redderet; stare noluit, sed ascenso equo, aufugit. Hoc viso, Episcopus Ermenaldum vinculis mãcipatum reperiens, fecit absolui, & secum quasi ab orco subtractum, lætum reduxit. Postea verò Hugo, infecta pace, domum redijt, & ab incepta peruersitate non cessans, prioribus malis peiora superaddidit. Ciues namque meliores & ditiores contumelia & iniurijs afficiebat: alios indẽnatos, & iniudicatos in cippo viliſſimo concludens, & inter dedecora plurima, barbam alijs euellens. Euremarum namque de ditioribus ciuibus vnum, inhonestè traxit ad cippum publicum, Geraldũ quoque inter mercatores intus & foris satis cognitum, corpore quidem & ætate proiectum, tyrannis etiam reuerendum. Pro his & alijs huiusmodi sæpe correptus ab Episcopo, & emendari nolens, sed in peius corruens, excommunicatus est ab eo. At ille & hoc etiam contempsit, nullamque misericordiam quærens, vel melioratione promittens, ad Comitem

Sancti

Sancti Quintini abijt, ibiq́ue aliquamdiu versatus, quicquid mali potuit, aduersus Episcopum & Ecclesiam eius fecit.

Hugonis in Porriualle municipium, & latibulum latronum destruit Episcopus, sed eo destructo ad aliud, videlicet Inceium diuertit.

CAP. LXXIII.

POst paucos autem dies in Camera-censi pago, non longius à ciuitate, quàm x. millibus apud quendam locum, Porriuallem dictum, municipium firmauit, in quod introiens cum satellitibus suis, res vicinas deuastabat episcopij, transeuntes diripiens, circumquaque manentes afficiens rapinis. Hoc autem Episcopus diu ferre non potuit, sed collectos equites & pedites, ad municipium illud direxit. Municipium verò illud à saltu opprimitur, & coangustatum, & igne succensum ad terram prosternitur, sicq́; locus ille à satellitibus, & à latrunculis emundatur. Hugo igitur † ille, destructo municipio, ad aliud diuertit, cui Inceiũ antiquitas nomen imposuit, prædasq́ue & *For. illo.* *Incy.*

& mala plurima in Episcopum repetiuit. Quod etiam Episcopus molestè accepit, copiosamque armatorum multitudinem ad locum illum deduxit, fuissetque continuò municipium illud solotenus subuersum, nisi Rotbertus de Perrona, cum suis dolo obstitisset, qui venerat in Pontificis auxilium. His ita incassum decursis, Cameracenses, infecto negotio, ad ciuitatem suam sunt reuersi.

Hugo flagrat amore Adæ neptis Comitissæ Montensis, quam ab excommunicatione absolutus, & dimissis omnibus quæ Cameraci habebat, ac renouato iuramento fidelitatis, datisq; obsidibus accepit vxorem: sed iusiurandum non multò post violauit.

CAP. LXXIV.

INterea H. ille, quandam iuuenculam, Adam nomine, neptem videlicet Richeldis, Montensis Comitissæ, cœpit amare, eamq; in coniugiũ sibi velle cupidè copulare. Sed quia excõmunicatus, quomodo, quaque ratione id perficeret, nesciebat. Incendio siquidem carnalis amoris deuictus, ad Richeldẽ Comitissam pro-

progreditur, obnixè obsecrans eam, vt sibi in matrimonium coniungeret Adam neptem suam. At illa precibus eius deuicta, ad vltimum annuit quod petebat, si prius absolutus esset anathemate, quo ab Episcopo Cameracensi vinctus erat. Quid faceret? Absolutionem non curabat magnopere, quærit tamen eam ab Episcopo per internuntios, desiderio ardens concupitæ puellæ. Porrò Episcopus fatigatus multimodis iniurijs eius, absoluere eum nolebat, nisi prius dimissionem manu propria (quod & vulgò vuerpire dicitur) faceret ex omni beneficio, quod infra ambitum Cameracæ ciuitatis habebat. Hugo verò ad vltimum ambitione iuuenculæ inflammatus, fecit Episcopo secundum optionem eius. Werpiuit palam omnibus, præsente Episcopo, suisque militibus, præsente Comitissa R. suisque principibus, quicquid habebat beneficij infra ciuitatem ipsam Cameraci, sicque absolutus, fidelitatem Episcopo fecit de reliquis Castellaturæ bonis, & inde obsides dedit. Hæc autem fidelitas non diu est ab ipso H. obseruata, quia in natali sancti Andreæ iureiurãdo promissã, infregit eã ij feria, post palmas. In hac enim feria maioris hebdomadæ, Atrevvasiã siluã penetrat

Atrevvasia siluæ.

netrat, & omnia quæ ibi reperit iumenta Cameracenſium, ablata iniuſtè abduxit ſecum. Qui cùm ſæpius moneretur ab Epiſcopo in fidelitate iurata, vt ea redderet, noluit, ſed & in ipſo abſolutionis die, qui eſt ante paraſceuen, diffidentiam domino ſuo mandauit.

Hugo Cameraco relicto Oiſcium ſeu oziacum ſe confert, & quicquid mali potuit, epiſcopo intulit. Quare abiudicatur ei quicquid ab epiſcopo tenebat. Ille tamen pergit in malitia, adeo vt epiſcopum, nocte ſuper eum irruens, duxerit captiuum.

CAP. LXXV.

POſtea Cameracum derelinquens, diuertit ad Oiſeium, malumque quod potuit ſicut primitus, facere inſtituit aduerſum Epiſcopum. Mandauit igitur Epiſcopus ei non ſemel, ſed plus vice tertia, vt ante conſpectum eius veniens, præſentibus comparibus ſuis in rectum ſtaret de iniuſtitia ſua. Ipſe verò crebrò ſub nomine terræ ſuæ, & in fidelitate, quàm iurauerat commonitus, ad vltimum ante conſpectum domini ſui præſentibus comparibus ſuis venit: ſed de quibuſcunque interpellatus eſt rectum facere nolens, iniuſtior,

Oiſy.

iuſtior, quàm veniret, receſſit. Vnde cõpares eius, & alij quamplurimi nobiles, qui communi vtriuſque cauſa huic placito interfuere H. reum vocantes, terram quam de Epiſcopo tenebat, ei abiudicauere. Hugo autem ad municipium, quod apud Oiſeium ſibi parauerat, abindicata terra ſua redijt, & malum aduerſus Epiſcopum facere non ceſſauit. Epiſcopus tamen patienter ferens hæc omnia, abiecto timore parœchiam ſuam circumibat, eccleſias quæ conſecrandæ erant, benedicens, & cætera miniſterij ſui opera perficiens. Accidit autem, vt cùm huius laboris exercitio, ad quandam villam, Buricellum nomine, deueniret, eccleſiamque villæ eius conſecrandam benediceret, & poſt conſecrationem in confirmandis etiam hominibus, fatigatus, ibidem pernoctaret. Præfatum verò Hugonem ſermo huius rei non latuit, qui acceptis ſecum complicibus ſuis, ad domum illam peruenit, in qua iam lecto receptus Epiſcopus, laſſata membra commendabat quieti: fractis domus huius oſtijs, & quibuſdam reſiſtentibus interfectis, peruenit ad cameram vbi Pontifex cubitabat cum Wiboldo Præpoſito ſuo, & capellanis ſuis. Sentiens VViboldus

Buricellum pagus.

dolos & violẽtiam huiuſmodi, oſtio cameræ, quaſi pro obice, ſeſe oppoſuit: ſed vnus pluribus reſiſtere non valens, fracto oſtio, ab ipſo H. interemptus occubuit. Denique Epiſcopum, ſicut in lecto iacebat, cum camiſia tantùm, ille inſanus homicida non timuit accipere, & ad Oiſeium municipium ſuum, ita nudum aſportare, clauſumque in cuſtodia retinere.

Epiſcopus à Caſtellano latrone capitur, & incarceratur. 1070. *Meyer.*

Lietbertus epiſcopus per Arnulfum iij. Comitem Flandrenſem eiuſq; matrem Richildem reſtituitur, & tandem Hugonem proſligauit.

CAP. LXXVI.

HAc igitur fama Arnulfus Comes Flandrenſis, & mater eius R. excitati, ſumptis militibus ſuis continuò amboad Oiſeium venere, & requirentes epiſcopum in ſapientia & fortitudine, ſine mora inuentum, reduxerunt eum Cameracum cum grandi gloria & honore, donantes inſuper muneribus eccleſiam ſanctæ Mariæ, aliaque monaſteria ciuitatis Cameracæ. His itaque dignè & laudabiliter perfectis, Flandrenſium Comes cum

matre

matre ſua in patria ſua lætus redijt. Epiſcopus igitur perfecto odio in Hugonem incitatus, eum inſequi non ceſſauit, quoadvſque deſtructo Oiſeij municipio, eum procul pelleret à Cameracēſium finibus. Expulſus taliter à Camieracenſi patria, de omni clamore ſiluit aduerſus epiſcopum, in omni ipſius epiſcopi vita, terra quoque requieuit, à facie malignitatis eius. *Pſal. 138.*

Munificentia & liberalitas Lietberti in Eccleſiam B. Mariæ. Idem fundauit monaſterium ſancti ſepulchri, & in monaſterium S. Autberti Regulares Canonicos introduxit.

CAP. LXXVII.

INterea Epiſcopus, ſuperueniente ſenio, cœpit corpore langueſcere, ſed de æterna vita ſollicitus, in animo conualeſcere: hereditatemque præclaram, quam ab anteceſſoribus poſſidebat ad mundi huius gloriam, transferre ſtuduit ad nanciſcendam æternæ vitæ lætitiam. Tantùm enim de hæreditatibus & ſui iuris reditibus ad eccleſiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ Cameracenſis eccleſiæ per chartarum inſtrumenta contulit, vt inde refectionem

ctionem cibi & potus habeant Canonici per omnes Dominicas totius anni: ita tamen, vt in omnibus ſecundis ferijs à congregatione generaliter miſſa celebretur pro anima eius, & pro cunctis fidelibus defunctis. Et quia de caritate erga eccleſiam ſanctæ Mariæ, & Canonicos eius inlata diſſerui, non reticebo penitus, qualem ſe alijs ciuitatis monaſterijs exhibuerit. Monaſterium ſancti Sepulcri ab ipſo fundo ædificauit, & poſuit inibi Abbatem cum monachis: locum illum poſſeſſionibus & commodis rebus decenter ſicut præſens tempus probat, ditauit. In eccleſia verò Sancti Autberti Regulares Canonicos cum Abbate conſtituit, electis prius quibuſdam clericis, ibidem negligenter nimis & inordinatè ſeruientibus. Altaria valdè bona & poſſeſſiones præclaras, ſuperaddidit, præbendas magnificè de ſuo proprio reſtauravit. . . . . .

DEEST FINIS.

IN CHRONICON CAMERACENSE ET ATREBATENSE

NOTÆ SEV SCHOLIA, QVIBVS OBSCVRA QVÆQVE ILLVSTRANTVR, DVbia & inuoluta explicantur, mutila ac deprauata ſupplentur & emendantur.

Auctore GEORGIO COLVENERIO, *S. Theol. Doctore, & Regio ac ordinario in Academia Duacena Profeſſore.*

IN PRAEFATIONE OPERIS.

INQVANTVM verè indagari potuimus.) Ita antiquiora & præſtantiora exemplaria S. Giſleni, & Atrebatenſe. Sed Rubeæ vallis, quod recens eſt, in quo multa pro arbitrio mutata ſunt, legit indagare, quomodo nunc ferè loquimur. At olim dixerunt deponentaliter in actiua ſignificatione indagari, pro inquirere, inueſtigare. Varro lib. 4. de lingua Latina. Veſtigator à veſtigijs ferarum quas indagatur.]

Alioquin melius eſt tacere quàm falſa proferre.) Notanda fides ſeu fidelitas auctoris

ctoris, & quantum ab omni narratione falsi abhorruerit. Videtur autem in hac sententia imitatus Sulpicium Seuerum, cuius hæc sunt vltima verba prologi in librum de vita S. Martini: Alioquin tacere, quàm falsa dicere maluissem.

CAP. I.

VRbibus quondam ædificandis ea primum causa ab auctoribus extitisse dicitur, vt homines.) &c. Hanc causam indicat Cicero lib. 5. Tusculan. quæst. vbi eam laudem philosophiæ tribuit.

Omnia Dei.) Hæc duo verba addita sunt ex manuscripto r. Simile consilium prouidentiæ Dei in hoc quòd multa regna vno confœderarentur imperio Romano, ad celerem euangelij prædicationem, adfert B. Leo ser. de natali apost. Petri & Pauli, cum eo quod hîc tradit auctor de condendis olim vrbibus.

CAP. II.

HArum duarum conditores vrbium.) &c. videlicet Atrebatensis & Cameracensis. Qui sunt, & quo tempore conditæ fuerint nec hodie constat. In fabulosis auctoribus nomina inuenies & tempora, sed religiosè auctor à fabulosis narrationibus abstinet. Extat libellus Gallicus Ægidij Corrozet, excusus Parisijs 1539. continens breuiter originem & fundationem omnium totius Galliæ vrbium, in quo de Cameraco tres refert opiniones. Prima est quòd à Cambro Duce Hunnorum, altera

tera quod à rege Britanniæ dicto Cambray ædificata sit ciuitas Cambryn, tertia quod à Cambro rege Cymbrorum, Tungrorum, & Belgij, nomen & originem traxerit. Harum duas priores vtcumque amplecti videtur Iacobus Guisius lib. 2. tomi 1. Annaliũ Hannoniæ.

Quòd ei incèrta bellorum prosperauissent.) Hæc verba desumpta sunt ex Egesippo lib. 1. de excidio vrbis Hierosol. capite primo idque simili phrasi dicitur, qua 1. ad Timot. 6. in incerto diuitiarum. Ne quis, obnitentibus etiam exemplaribus, legendum putet incepta.

Cui cùm ciues, Comeo Duce.) Huius Comei Ducis Atrebatensis frequens est mentio in commentariis Iulii Cæsaris de bello Gallico lib. 4. 6. 7. & 8. quibus locis fortia eius facta narrãtur, conformia iis quæ hîc de eo recensentur. Scribitur autẽ ibi Comius, & interdum Commius. Libro 4. postquam narratum est de legatis Britannorum à Cæsare remissis, ita subditur: Et cum his vnâ Comium, quem ipse Atrebatibus superatis, regem ibi constituerat, cuius & virtutem & consilium probabat, & quem sibi fidelem esse arbitrabatur, cuiusque autoritas in his regionibus magni habebatur, mittit.

CAP. III.

LIber namque, qui iubente Iulio Cæsare, ex senatus consulto.) &c. Hæc periodus est in solo exemplari Atrebatensi,

tenſi, quod abſolutè ceteris eſt correctius, etſi S. Giſleni videatur antiquius. Vtinam extaret hic liber, Cæſaris iuſſu, de Coſmographia ſcriptus. Magnam certè lucem præferret omnibus Coſmographis & hiſtoricis, tã ſacris, quàm prophanis. Meminit eius Æthicus initio ſuæ Coſmographiæ, & Felix Malleolus in dialogo de nobilitate. Vicem eius aliquatenus ſupplet Itinerarium Antonini Imp. vel vt alia habent exemplaria. Antonio auguſto inſcriptum; & iam dicta Æthici Coſmographia, in quam videatur præfatio Ioſiæ Simleri.

Et quanto à Bagaco caſtro diſtet, id eſt xviij. milibus euidenter oſtendit.) Idipſum habetur in dicto Itinerario, vbi ſimiliter ſemper Bagacum ſcribitur, & in ſcholiis notatur eſſe Baiacum, vel Bauacum, vt nunc appellatur, Gall. Bauay. Reſtitui autem à Bagaco, pro eo quod ſcribebatur ab agaco, ſicuti & in Iacobi Meyeri Annalibus Flandriæ, anno 668. vitioſè Agacum Neruiorum legitur, pro Bagacum.

Narrat item Francorum hiſtoria.) Quæ hoc cap. ad finem vſque ſequuntur deſcribit Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſt. Francorum c. 9. Aimoinus lib. 1. de geſtis Francorum c. 4. & 5. & Sigebertus in Chronico anno Domini 445. qui eſt Theodoſii Iunioris annus 18. Quapropter, ſi mendum non ſit, fallitur auctor, dum ſcribit hæc facta Iuſtino Imperatore. Nam etiamſi ſenior Iuſtinus accipiatur, is demum imperare cœpit anno 518.

CAP.

CAP. IV.

CLodoueus rex quartus post Clodionem.) Intercedunt Meroueus & Childericus. Regnauit autem Clodio, teste Sigeberto, annis 18. Meroueus 10. Childericus 26. Clodoueus 30.

Subærato fefellit auro.) Subæratum aurum vocat æs deauratum. Misit enim illis, vt scribunt Gregorius Turonensis vbi suprà c. 42. & Aimoinus c. 23. armillas æreas deauratas, cum gladijs simili modo ornatis. Vnde & infrà vocatur vitiatum aurum.

Legimus autem in gestis Remorum Pontificum.) Ita perpetuò citat Flodoardum, vt patet infrà cap. 14. 54. & 61. qui scripsit quatuor libros historiæ Remensis ecclesiæ, in quibus singulorum pontificum eiusdem ecclesiæ gesta recenset, quem satis constat imitatum fuisse hunc auctorem.

Rege præfato Clodoueo &c. baptizato cũ sororibus suis, & cum magno Francorum exercitu.) De his vita S. Remigij per Hincmarum archiepiscopum Remensem descripta sic habet: Baptizantur de exercitu eius tria millia virorum, exceptis paruulis & mulieribus: baptizantur sorores eius Albofledis & Landehildis] &c.

Donec superna gratia disponente, sed & Clodoueo triumphante, idem Ragnacharius.) &c. Respicit ad id quod habet Hincmarus in vita S. Remigij, his verbis: do-

nec Christi gratia cooperante, glorioſis potitus victorijs, eundem Raganarium &c. Rex Ludouicus occidit.] Contigit autem hæc cædes Ragnacharij poſt Clodouei baptiſmum, vt hîc indicatur, & ex eadem vita manifeſtum eſt, tametſi de eo poſteriùs, videlicet capit. 6. hîc agatur.

Nunquam enim Sanctum Remigium in noſtris partibus verbum Dei populo prædicaſſe audiuimus.) Vide Ioannem Molanum in Natal. SS. Belgii die 13. Ianuarii. Veritatem autem habere poteſt quod de S. Remigio ait Flodoardus, quia ipſe miſit S. Vedaſtum, qui Cameracenſes & Atrebatenſes ab idololatria conuertit, quomodo S. Gregorius Magnus vocatur Anglorum Apoſtolus, quia per prædicatores à ſe miſſos illam conuertit inſulam, ſicuti & Gregorius ſecundus Germaniam, per S. Bonifacium Moguntinum Epiſcopum. Certè Flodoardus ſecutus eſt Hincmarum, qui B. Remigium nominat, non autem B. Vedaſtum.

CAP. V.

QVod facilè ex deſcriptionibus Dionyſij Papæ perpenditur, qui vniuerſis prouincijs ſingulas ſedes proprijs terminis diſcreuit.) Vtinam extarent hæ deſcriptiones prouinciarum, de quibus & infrà c. 7. per Dionyſium factæ, qui ſedere cœpit anno Chriſti 261. Meminit huius rei liber Pontificalis Damaſo adſcriptus, in quo ſic legitur.

gitur: Hic presbyteris ecclesias diuisit & cœmiteria, parochiasque & diœceses constituit. Quin etiam meminit eiusdem rei ipse Dionysius in epist. 2. quę est ad Seuerum Episcopum Cordubensem, quæque extat in epist. decretalibus summorum pontificum, & to. 1. Conciliorum, & pars eius citatur à Grat. 13. q. 1. cap. Ecclesias.

At verò primos earum patres quædam vetustatis obscuritas à nostra secluſit memoria.) &c. Rationem reddit, cur primi Episcopi sedium Cameracensis & Atrebatensis ecclesiæ ignorentur, nimirum propter grauissimas persecutiones, quas hoc c. describit. Lego tamen in lib. MS. monasterii Henniacensis, ab Euaristo Papa qui sedere cœpit anno 96. S. Siagrium directum vrbi Cameracensi Episcopum, quod desumptum est ex chronico Nuremburgensi. Constat insuper, tum ex traditione, tum aliunde, ecclesiæ Atrebatensi, multò ante S. Vedastum, præfuisse S. Diogenem natione Gręcum, qui missus scribitur à S. Siricio papa circa annum 390. Hunc enim primum numerant dictarum sedium, & nominatim Atrebatensis, Episcopum, Christianus Massæus lib. 13. chron. mundi, & ex eo Demochares, & alii recentiores, vt catalogus MS. Gallico sermone Episcop Cameracensium vsque ad Iacobum de Croy, & Guillelmus Gazęus in sua ecclesiastica historia Belgica, similiter Gallicè in lucẽ edita. Hoc Diogene à VVandalis pro Christo occiso, propter continuas persecutiones, vacauit vtraque sedes vsque ad tempora S. Vedasti, annis circi-

ter centum. Meminit huius Diogenis Molanus in natalibus SS. Belgii 6. Februarii in S. Vedasto, & 14. Decembris in S. Nicasio Remensi episcopo, qui eadem tempestate, ab iisdem VVandalis martyrium passus est.

Ad Aggerundiam.) Sic omnia nostra exemplaria. Sic & in Hieronymo quædam exemplaria legisse, Agerundiam, testis est Marianus Victorius, alia ad Gerontiam, quam lectionem prætulit Erasmus. Marianus verò eam quę legit Ageruchia. Nobis tamen, inquit, ab ipsius Hieronymi expositione admonitis, magis placuit, duobus etiam mss. consentientibus exemplaribus, vt Ageruchia legatur. A congregando enim, quod Græcis est ἀγείρω, nomen hoc ductum esse, asserere videtur, dum ait: Quodam vaticinio futurorum, ac Dei præsidentis auxilio nomen accepit, quam auię, matris, amitæque, probatarum in Christo feminarum nobilis turba circumstat.] Verùm eadem ratione Aggerundia ab aggerendo & congregando nominari potuerit. In prestantiori exemplari nostro Flodoardi lib. 1. c. 6. historię Remensis legitur Aggerunchia.

Heruli.) Ita ex Hieronymo & Flodoardo restitui. Duo exemplaria nostra antiquiora Herucli. r. Herulei.

Ambiani.) Omnia exemplaria Ambianis, sed correxi ex iam dictis auctoribus.

Nemetes, Argentoratus, translatæ in Germaniam.) Vide scholia nostra ad c. 6. lib. 1. Flodoardi.

CAP.

CAP. VI.

QVæcunque hoc cap. referuntur ferè desumpta sunt ex vita S. Vedasti, scripta per Albinum Flaccum, quæ extat apud Laurentium Surium to. 1. 6. Februarii.

Crhothildis nomine, filia Chilperici Regis.) Scilicet Burgundiæ, quod alia manu adiectum est in exemplari Atreb. r. verò legit Clotildis. In A. prima litera deleta est, quasi legi vellet Rhothildis. Scribitur idem nomen aliis quoque modis, vt notaui ad cap. 8. lib. 5. Formicarii Ioānis Nyderi, communis est Crotildis & Clothildis. Agit de ea Romanum martyrologium, & alia, die 3. Iunii, & Arnoldus Vvion lib. 4. ligni vitæ c. 14.

Hæc christianissima regina Regem cotidie blandiebatur.) Sic omnia exemplaria, nec mirandum, cùm etiam adulor cum accusatiuo legatur apud Ciceronem, Tacitū, & Columellam.

Cœpit catholicæ fidei mysterium regi adnuntiare.) Sic r. sed a. g. ministerium. Sic & in vita duplex est lectio, Surius corrigit mysterium.

Cui etiam Ormisda papa vices suas quondā in Gallijs agendas commiserat.) Loquitur de S. Remigio, ad quem de hac re extat epistola Hormisdæ papæ to. 2. Concil. quæ inter eius epist. prima est, in qua sic dicitur: Vices nostras per omne regnum dilecti & spiritualis filii nostri Ludouici, quem nuper adminiculante superna gratia, &c. conuerti-

sti, & sacri dono baptismatis consecrasti, &c. præsenti auctoritate committimus. Idem scribit Hincmarus in vita eiusdem S. Remigii apud Surium die 13. Ianuarii, & epist. 6. c. 18. & ex eo Flodoardus lib. 1. hist. Remensis ecclesiæ c. 15.

Cernitur vsque in hodiernum ecclesia in testimonium virtutis huius cõstructa.) Locus in quo S. Vedastus coram Clodoueo cęcum illuminauit, pagus est Vungise, prope Reguliacam villam, quæ (vt Alcuinus loquitur) sita est super florigeras Axonæ fluminis ripas.

CAP. VII.

SAnctus verò Vedastus cum B. Remigio per aliquod temporis detinetur.) Hinc satis constat, falli eos qui ordinationem B. Vedasti, & aduentum in vrbem Atrebatensem differunt in annum 530. vel 531. vt Sigebertus, Iacobus Meyerus, Petrus Diuæus, & Gazęus. Cùm enim, iuxta Baronii chronologiam, & communem sententiam Historicorum, Clodoueus baptizatus sit anno 499. (de quo latè in notis nostris ad Flodoardum lib. 1. c. 13.) & hîc solùm dicatur, per aliquod temporis detentum fuisse apud B. Remigium, fortè vno, aut duobus annis, sequetur eum Atrebatum veniisse anno 500. aut 501. non autem anno 530. aut 531. ac multo minus (quod in notis ad Rom. martyrol. die 6. Feb. scribit Baronius) eum fuisse ordinatum Episcopum à B. Remigio anno 542. Idem & alio euidenti proba-

probatur argumento. S Vedaſtus obijt poſt 40. circiter annos in Epiſcopatu exactos, vt omnes conſentiunt, & patet infrà cap. 9. Vnde Sigebertus, & ex eo Meyerus, Franciſcus Haræus, & alij, qui eum ordinatum ſcribunt anno 550. obitum eius (qui iuxta noſtram ſententiam contigit anno 540.) ipſi ponunt anno 570. Verùm id dici non poſſe, probatur ex eo, quia S. Gaugericus (qui vt infrà dicitur lib. 2. c. 4. ſedit annis 39.) teſte Ioanne Molano, tam in Nat. SS. Belgij die 11. Auguſti, quàm in Chronica eorundem Sanctorum recapitulatione cap. 6. obiit anno domini 594. quo ordinatum putat Gazęus ſecutus Maſſæum vbi ſuprà, qui eum ordinatum ſcribit epiſcopum Cameracenſem adiutorio Childeberti regis anno 595. Molanum ſequitur Franciſcus Haræus in compendio de vitis Sanctorum, & de eo agit eodem anno Sigebertus. Quare ſedere cœpit S. Gaugericus anno 555. Inter quem & S. Vedaſtum duo intercedunt Epiſcopi, B. Dominicus, & B. Vedulfus, quibus iuxta noſtrum computum relinquentur anni quindecim. Quinimo cùm cap. ſeq. ſcribat auctor, S. Vedaſtum interfuiſſe Synodo Viennēſi, celebratæ à B. Mamerto, oporteret eum adhuc decem annis citius ordinatum fuiſſe, ſi verùm eſt, quod ſcribit Baronius, S. Mamertum obiiſſe anno 490.

Aduertens beatus Remigius in virū.) &c. Sic g. & a. conformiter ei quod cap. 1. omnia habent exemplaria: Aduertens namq; in eum. Quam non dubito veram eſſe auctoris ſcriptionem, eò quòd olim ſic loquebantur

tur, ideoque retinui, etsi hoc loco r. legat in viro, quod nunc vsitatum est.

Dionysius papa, quem iuxta Chronicorum fidem annis cclxiij. ante Hormisdã papã, qui tempore fuit beati Vedasti.) &c. Tot planè anni interiacent inter principium sedis Dionysij, quem suprà diximus sedere cœpisse anno 261. & finem sedis Hormisdæ qui fuit anno 523. postquam sedisset annis 9. Quare etiam hinc probatur, ex chronographi nostri sententia, B. Vedastum sedisse ante annum 530.

CAP. VIII.

LIber vitæ eius plenius indicat.) Extat vita S. Vedasti per Albinum, seu Alcuinum Flaccum to. 1. Surij die 6. Februarii Alios auctores, qui de miraculis & virtutibus ipsius scripserunt, adnotat Molanus in martyrol. ad eundem diem, & eorum meminit auctor in fine cap. sequentis.

Huius temporibus habita synodus Vienna vrbe describitur: ad quam Galliarum Episcopi, à beato Mamerto conuocati, penè omnes conuenerunt.) Hæc Synodus non extat in tomis Conciliorũ, & ideo tempus quo celebrata est, obscurius est. Baronius de Litaniarum & Rogationum ante Ascensionem institutione per B. Mamertum, siue Mamercum, agit anno 475. De eiusdem Mamerti obitu 490. quo tempore vix

vix apparet S. Vedastum ordinatũ fuisse Episcopum. De ipsis autem terroribus, & malis ingruentibus, & Litaniis ob hoc institutis, ante Gregorium Turonensem, quem auctor noster citat, latè scribit Sidonius Apollinaris lib. 7. epist. 1. ad ipsum Mamertum, & lib. 5. ep. 14. ad Aprum. Item Alcimus Auitus in homilia Rogationum. Qui Auitus Mamerto post Esichium proximè successit in sede Viennensi. De iisdem præterea Ado Viennensis itidem Episcopus in chronico ad annum 396. & 452. Aimoinus de gestis Francorum lib. 1. c. vlt. Sigebertus ad annum 468 & alii complures.

Vsque nunc per omnes Galliarum ecclesias agitur.) Gregorius Turonensis non addit Galliarum, sed generaliter loquitur. Et ante eum Auitus dicta homilia testatur, non per Gallias modò sed penè per orbem totum Rogationis obseruantiam cucurrisse. Et Aimoinus vbi suprà: Exinde, inquit, pulcherrimus in sancta vniuersali ecclesia mos inoleuit, vt, quoquò terrarum Christi fides diffũditur, à cunctis fidelibus hæ litaniæ cum exultatione peragantur.

CAP. IX.

BEatus Remigius benignè recolit in testamento suo.). Extat B. Remigii testamentum libro primo hist. Remensis ecclesiæ Flodoardi cap. 18. & apud Barnabam

Briſſonium lib. 7. de formulis & ſolemnibus populi Romani verbis. Obiit verò Beatus Remigius, vt ex epitaphio conſtat, quod vitæ eius, per Hincmarum deſcriptæ, ſubiungitur, anno domini 544. Epiſcopatus ſui 74. ætatis 96. In tabulis Democharis obiiſſe ſcribitur 545. Sed in idem recidit iuxta alium computandi modum, quem nunc ſequimur, initium anni facientes à calendis Ianuarii. Obiit enim 13. die Ianuarii. Vide quæ in ſcholiis ad Flodoardum adnotaui lib. 1. c. 13.

Villas duas in ſtipendijs clericorum delegaui. Orcos videlicet & Sabucetum.) Clericos vocat quos poſteritas Canonicos. Vnde de S. Vedaſto legitur in vita ipſius, quòd in eccleſia B. Mariæ Atrebatenſi, quam auxiliantibus regibus conſtruxerat, cum beato Remigio clericos inſtituit. Quænam verò ſint duæ illæ villæ, Orcos & Sabucetum non ſatis conſtat. Sic autem conſtanter legunt omnia exemplaria, tam Flodoardi, quàm huius chronici. Priorem eſſe Ors forte aliquis arbitrabitur, de qua infrà cap. 25. Verùm obſtat quod Ors eccleſiæ Atrebatenſi acceſſit ex donatione S. Vindiciani. Putaui itaque conſulendum eſſe de capitulo Atrebatenſi virum doctum, & in antiquitate verſatum, dominum Andream Herby S. Theol. Baccal. formatum, qui litteris ad me datis die 18. Aprilis 1611. in hæc verba reſpondit. Ad illa duo loca quod attinet, nihil certi vobis adferre poſſum, ſi tamen locus coniecturis eſſet, putant pleriq; noſtrum, Orcos pagum eſſe, qui Gallicè Ourton dicitur ſitum in diœceſi Atrebatenſi, ferè meditullio totius

totius Artheſiæ, inter pagum de Houſdain & vrbeculam Pernes, cuius pagi decimas poſſidemus. Illius eccleſia dicata eſt B. Vedaſto Atreb. Epiſcopo: præſentationem tamen paſtoratus habet Abbas Aquicinctenſis. In quibuſdam codicibus MS. & maximè in quodá MS. in pergameno, qui videtur ſcriptus fuiſſe tempore Lamberti Epiſcopi noſtri, circa annum 1095. ita diſertis verbis habetur: Item teſtamentum B. Remigij ab ipſo editum Atrebatæ Epiſcopum principaliter fuiſſe confirmat, hoc modo: Ego Remigius Eccleſiæ Atrebatenſi, cui, Domino annuente, Vedaſtū fratrem meū cariſſimum Epiſcopum conſecraui, ex dono Hludouuici regis, duas villas in alimonijs clericorum, Orcos videlicet & Sabucetum deputaui &c. Tamen elogia Epiſcoporum noſtrorum Atrebat. habent aliam lectionem quę ſanior mihi videtur. Nam pro Orcos habent Ortos, quæ vox propius accedit ad locū Ourton, quàm Orcos. Portò de villa dicta Sabucetum nihil planè habemus. Diligentiſſimè perluſtraui antiquiora monimenta tam Epiſcopatus, quàm Capituli noſtri, & nihil inueni. Puto tamen per Sabucetum intelligi pagum dictum Souché, tertio lapide diſtantem Atrebato, via qua Bethuniam itur, haud procul à monaſterio Montis S. Eligij. Illius enim pagi decimas quoque poſſidemus, & alia bona. Cuius etiam paſtoratus, quando vacat, ad Capitulum noſtrum pertinet præſentatio. Hactenus ille.

CAP.

CAP. X.

IPſum quidem hominem ad ſingulare certamen, quod ruſticè dicimus campum, prouocauerunt.) Etſi duella ſemper fuerint prohibita, tamen olim fuerunt tam frequentia, vt licita putarentur, ſicut & probatio vulgaris per aquam calidam vel frigidam, aut ferrum candens, de quibus omnibus latè Iuo Carnotenſis Epiſcopus, epiſt. 91. De duello autem ſiue de Campo frequens eſt mentio in Capitularibus Caroli Magni & Ludouici Pii. lib. 3. cap. 46. Campo vel cruce cõtendant. lib. 4. cap. 23. Scuto & fuſtibus in campo decertẽt. Et infrà: Huiuſmodi teſtium diuerſitas campo comprobetur. Et iterum c. 29. Liceat ei contra vnum ex his, cum ſcuto & fuſte, in campo contendere. Sic & in teſtamento Caroli magni, & item Ludouici Pii; Nec vnquam pro tali cauſa cuiuſlibet generis pugna vel campus ad examinationem indicetur. Gregorius Turon. lib. 10. hiſt. Francorum c. 10. Rex Campum diiudicat. Verùm hæc omnia per Canones prohibita ſunt, immo & per ipſa capitularia, vt patet additione 4. ad lib. 7. capitulo 81. quod ſic habet: Vt examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, à Miſſis omnibus interdicatur ne vlterius fiat. Quod factum eſſe veriſimile eſt ex admonitione Agobardi Lugdunenſis Epiſcopi, qui tẽpore dicti Ludouici floruit. Hic enim librum vnum ſcripſit contra duella: alterum contra damnabilem opinionem putantium diuini iudicii veritatem igne, vel aquis, vel conflictu armorum patefieri.

CAP.

CAP. XII.

BEato Vedasto ad pontificale solium Dominicus succesit.) De hoc solùm lego, eum adeò fuisse familiarem beato Vedasto, vt ad Beluacos profecturus, curam suæ ecclesiæ eidem demandauerit. Eundem titulo sanctitatis exornat Massæus in chronico, & post eum Democharcs.

Ab isto (scilicet Vedulfo) ceterisque successoribus eius, Cameracensis ecclesia specialem principatus aulam accepit.) Cur beatus Vedulfus sedem Episcopalem Cameracum transtulerit, causam inuenio solitudinem agri Atrebatensis.

In gestis, beati Gaugerici, qui ei successit ad pontificatum, legimus illum (Vedulfum) rebus humanis exemptum ad meliora transisse.) Extat B. Gaugerici vita apud Surium to. 4. die 11. Augusti, in qua id legitur cap. 4. Porrò valde obiter hic meminit historicus noster B. Gaugerici, sed id cõpensat lib. 2. cap. 4. & tribus sequentibus, vbi rursum ipsius vitam citat. Habet de eo nonnulla quoque Molanus in Nat. SS. Belgii 11. Augusti. De ipsius ætate diximus suprà ad cap. 7.

CAP. XIII.

DE Bertoaldo Episcopo.) Hunc Massæus sanctum Bertoldum nominat, eumque sanctitate floruisse auctor noster satis indicat.

CAP.

CAP. XIV.

SYnodus Remensis, de qua hoc cap. admodum fuit celebris, vt ad Flodoardum lib. 2. c. 5. adnotaui, qui de ea latiùs agit, & proprijs nominibus recenset 40. Episcopos qui ei interfuerunt.

Sulpitio Bituricensi.) Hic non est ille qui vitam S. Martini conscripsit, sed multò posterior, ac secundus illius nominis, quem tabulæ Democharis numerant 31.

Riclerio Senonensi.) In Flodoardo legitur Richerio. In tabulis Democharis, quæ sæpe imperfectæ sunt, neutrum inuenio.

CAP. XVI.

HIc ex Bracbatensi pago oriundus.) id est ex prouincia Brabantiæ, villa videlicet Ham. Sic infrà c. 66. legimus, pago Cameracensi, id est territorio, prouincia, Gallicè Pays. Erat autem adhuc in vsu hæc scriptura & pronunciatio anno 1086. vt nimirum Bracbatensis diceretur, pro quo nunc Brabantensis, vti constat ex diplomate Henrici Comitis Bracbatensis, quod extat apud Autbertum Miræum virum doctissimum, & antiquitatis scrutatorem diligentissimum, in Originibus cœnobiorum Benedictinorum in Belgio cap. 43.

Cuius etiam quatuor sanctæ sorores fuerunt hæ; Reinildis, Sarachildis, Ermenlindis, beatissima quoque Guodila.) Itanomina hæc scribunt omnia exemplaria, ideo-

ideoque placuit sic relinqui (quomodo etiam legit Breuiarium Canonicarum Malbodiensium) etsi non ignorem nunc vsitatius esse, vt prima Raineldis, secunda Pharaildis, quarta appelletur Gudila. De quibus omnibus, itemque de S. Ableberto fratre ipsarum, & matre Amelberga agit Molanus in natalibus SS. Belgij suis locis, præcipuè 4. 8. & 15. Ianu. ac 10. & 16. Iulij. De eodem Ablcberto plura habet in vita ipsius, tribus comprehensa lectionibus, iam dictum breuiarium. De ijsdem omnibus Surius 8. Ianuarij in vita S. Gudilæ, 10. Iulij in vita S. Amelbergæ, & 16. Iulij in vita S. Raineldis.

Vt si vir esset, claudus, vel quolibet modo debilis fieret: si femina, vitio, quod vulgò dicimus gutteriam, semper non careret.) id est semper haberet. Similem imprecationem antea factam legimus à S. Remigio, in vita ipsius per Hincmarum scripta, Celtensibus, qui metas frumenti incēderant, his verbis: Omnes qui hoc egerunt, & qui de eorum germine nati fuerint, viri ponderosi fiāt, & feminæ gutturnosæ sint, quod, inquit, ita completum est. Vbi ponderositas vitium est genitalium (quod quale sit explicat Gregorius parte 1. curæ pastoral. cap. vlt.) gutturnositas vitium gutturis, vt patet ex sequentibus, cum quo idem est gutteria. Eadem vox habetur in vita S. Vrsmari, scripta per Ratherium Veronensem Episcopum, quæ extat apud Surium 18 Aprilis. In ea enim de S. Aldegunde sic dicitur: Orta est quædam in eius collo sæua ni-

ua nimis infirmitas, quæ gutteria dicitur ſermone Gallico. In vita S. Gudilæ apud Surium, vbi refertur hiſtoria quam citat auctor, gutturoſa legitur.

Prædium, quod Martinas dicitur.) De eo vide Molanum in Nat. SS. Belgii 15. Ianuarii in Ableberto, vbi eum quieuiſſe ſcribit circa annum 640. Vbi locus ille ſitus ſit, & à Canonicis Cameracenſibus, & Melbodienſibus perquiſiui, nec quicquam profeci.

CAP. XVII.

QVi in eccleſia beatæ Mariæ.) Intellige Cameracenſi, quod in exemplari Atreb. alia manu ſuperſcriptum erat.

Quem Oneng ab antiquo dicebant.) In eodem exemplari antiqua manu ad marginem eſt notatum: Onaing & Couroule, pro quo legendum Couroube. In vita S. Autberti per Fulbertũ doctorẽ apud Surium corruptè legitur Oueing. In vetuſtioribus diplomatibus & inſtrumentis eccleſię Cameracenſis diuerſimodè ſcribitur Huneg, Huneng. Onang Oneng Onaeng Onaing vel Onnang. Hodie Onnaing vſitatè ſcribi ſolet. Couroube verò in antiquis inſtrumentis ferè vniformiter ſcribitur Quaroube, & Latinè Quarubium. Situs eſt vterque locus inter Valentianas & Condatum, ſeſquimilliario ferè à Valentianis, ſeu Valencenis.

Puerum quendam.) In eodem exemplari ſuperſcriptum eſt, nomine Landelinum, de quo conſtat auctorem loqui.

Raptus

Raptus ad ſupplicia.) intellige gehennæ ſiue inferni damnatorum, vt patet ex vita S. Autberti per Fulbertum, quam habet Surius to. 6. die 13. Decembris.

Cuius multa in libro vitæ eius miracula.) &c. Incertũ quò id referatur: an ad S. Autbertũ, an verò ad S. Landelinũ, quẽ tamen antè nõ nominauit, ideoq; potiùs ad Autbertum referendum videtur. Quod ſi verum eſt, aliam vitam intelligere oportet, præter eam quæ eſt apud Surium, in qua pauciſſima miracula referuntur, niſi fortè ibidem integra non extet. Si ad Landelinum referas, ipſius quoque vita apud eundem Surium 15. Iunij, duo ſolummodo miracula recenſet. Vita autem Landelini, quæ Criſpinij extat, ſcripta eſt à Philippo ijabbate Bonæ ſpei, qui S. Bernardo fuit familiaris, & proinde poſterior noſtro chronographo, ideoque nec ea poteſt intelligi.

CAP. XVIII.

HIc beatum Vincentium, qui antè Madelgarius dictus eſt.) Fuit hic Comes Hannoniæ, cuius frequens eſt mentio lib. 2. vt cap. 35. 39. & 46. agitque de eo Molanus in Nat. 14. Iulij, de eius coniuge S. Waldetrude 9. Aprilis.

In honore Apoſtolorum (ſcilicet Petri, & Pauli,) conſecrauit.) Ita ferè ſemper loquitur, pro quo nunc frequentiùs per accuſatiuum dicimus, in honorem. Sic & Sulpicius in vita S. Martini cap. 1. totus in Dei opere conuerſus. Sic & in orationibus eccleſiæ de

B. Maria. In cuius veneratione hæc tuæ obtulimus maiestati. Et aliâs: Quam tibi offerimus in honore B. Mariæ semper virginis. Et in responsorio feriæ 2. post 2. Dominicam quadragesimæ. Ædificauit ex lapidibus altare in honore Domini. Quomodo etiam sæpe loquitur Hucbaldus in vita S. Aldegundis.

Laxoque coniugio.) Sic omnia exemplaria. Fortè legendum, laxatoque, nisi sit laxus, a. um. pro laxatus.

In honore B. virginis Mariæ, & sanctorum Apostolorum consecrauerat, adhibitis secum viris religiosis, quos vitæ ipsius liber editus insinuat.) Ita exemplar Atrebat. quam credo veram esse scripturam authoris. Reliqua duo, omisso verbo (consecrauerat) cuius loco in fine habent (dedicauit) omissis item illis verbis (quos vitæ ipsius liber editus insinuat.) Eos ipsos sigillatim recẽsent, hoc modo: Beato videlicet Amando, Vrsmaro abbate & coëpiscopo, nec non Audoëno Rothomagensis vrbis Episcopo, sed & Humberto bonæ memoriæ Episcopo & Abbate, seu Ettone, & Eloquio Abbatibus, & Ermino viro illustrissimo dedicauit.] Verùm hæc specificatio alia manu longè recentiori in exemplari S. Gisleni adiecta est, & litura designat verbum (consecrauerat) fuisse deletum. Liber autem vitæ S. Autberti non is est, quem scripsit Fulbertus doctor tempore huius chronographi, cuius meminit infrà cap. 77. quia de hac re nihil in eo habetur, nisi fortè in Surio non extet integrè. Neque item in vita S. Aldegundis,

dis, quam Hucblado Elnonensi tribuit Surius die 13. Nouembris.

CAP. XIX.

ATrebato etiam in honore.) &c. Hæc vera videtur lectio, sicut in summario cap. 22. & alibi, Cameraco, hoc est: In Atrebato, in Cameraco, pro quo vsitatius dicimus, Cameraci, Atrebati: quo modo in g. correctum est. A. legit Atrebatis, vti & Sigebertus in chron. anno 658. quo hæc translatio facta est. Prædicta phrasi vtitur etiam Vsuardus in martyrologio, vt 15. Septembris: Tullo monasterio, Item Carnoto, & aliâs sæpissime. Et notandum quòd sæpe ita loquebãtur per ablatiuum, vt subaudirent præpositionem in, vt cap. 25. in diplomate: Qui cathedra vnitatis doctrinam posuit veritatis, pro in cathedra. Et ibidem: Vindiciano cum cœpiscopis degentibus Galliarum finibus. Et rursus c. 56. Sic & præpositionem à frequenter subaudit, vt infrà c. 50. sacris regulis non discederent, pro à sacris reg.

Amissam subitò cæcitatẽ reimpetrauit.) Sic restitui pro reparauit, idque tam ex vita S. Vedasti, & S. Autberti, quàm ex Breuiario Atrebatensi, & suprà cap. 9. vbi legitur reimpetrata cæcitate.

Vbi in memoria præsentis seculi.) Ita A. Sed g. & r. nunc legunt: Vbi in memoria tãti miraculi. Verùm in g. olim priori modo lectum fuisse, recens scriptura & litura apertè testantur. Vita S. Autberti per Fulber-

tum ſcripta ſic pleniùs habet: Vbi in memoriam beati Autberti eccleſia conſtructa à præſentibus adhuc cernitur, in teſtimonium præſentis miraculi. Sic & Breuiarium Atrebatenſe die 1. Octobris, quo hæc tranſlatio S. Vedaſti facta eſt, per S. Autbertum & S. Audomarum anno 658. teſte Sigeberto, apud quem additur, præſentem quoque fuiſſe Lambertum Tungrenſem, alioſque ſanctos Epiſcopos, & Abbates. Quæ eccleſia parochialis S. Autberti etiamnum præſenti ſęculo extat.

Ex rebus ſuis eccleſiæ in vſum famulantium pro rerũ oportunitate donauit.) Fortè legendum ſuæ, pro ſuis, quia in vita S. Autberti per Fulbertum ſic legitur: Et ex rebus ſui epiſcopij in vſum famulantium &c. Præfuit S. Autbertus teſte Maſſæo annis 33. Ceterùm ad pleniorem elucidationem eorum quæ pertinent ad hiſtoriam S. Autberti, hîc præterire non poſſum, quæ Gallico ſermone, beneuolè ſuppeditauit ex antiquis monumẽtis, Dominus Claudius Deſpretz I. V. Licentiatus, in Atrebatenſi curia aduocatus conſultiſſimus, & dominus temporalis in Queãt. Sunt autem iſta: S. Autbertus natus in Cameracesio, in pago cui nomen Haucourt, prope Eſnam, profeſſione fuit religioſus S. Benedicti, educatus in monaſterio Luxouienſi in Burgundia: ex quo fuit euocatus à Dagoberto primo, ad eccleſiæ Cameracenſis & Atrebatenſis adminiſtrationem, vacantis per mortem S. Emeberti, qui obijt die 15. Ianuarij anno 640. Conſecratus fuit in eccleſia Remenſi per Leudegiſelum Archiepiſcopum, præſentibus

S. Ai-

S. Aichario Nouiomensi,& Attila Laudunensi Episcopis, & alijs, die 21. Martij 642. anno Theodori papæ 2. & depositionis sanctissimi Benedicti, vt historia loquitur, centesimo. Anno 645. sepeliuit sacrum corpus S. Gisleni die 10. Octobris. Anno 655. cœpit exstruere ædificia ecclesiæ & monasterij S. Vedasti. Anno 658. in iam dictum monasterium transtulit corpus S. Vedasti die 1. Octobris, & religiosos Benedictinos ibidem cõstituit. Anno 663. in Ecclesia Peronensi de terra leuauit corpus S. Fursei die 16 Ianuarij: & tandem plenus meritis & bonis operibus, factis multis pijs fundationibus, donationibus, & ordinationibus, postquam ecclesiam gubernasset annis 33. defunctus est in loco dicto Metz barbé, hodie Aubertlieu, die 13. Decembris 675.

CAP. XX.

CVm Badhilde matre successit.) Ita etiam paulò ante codex Atreb. hîc verò Balhilde, r. vtrobique Batilde, Sigebertus & Aimoinus vocant Baltildem. Extat eius vita to. 7. Surij die 26. Ianuarij, vbi scribitur Bathildis. Loquitur autem de Clothario, qui 4. annis regnauit. Quo mortuo, successit Theodoricus, frater eius anno 666. Sed eo expulso, vt hîc narratur, substituitus est tertius frater Childericus, qui postea est occisus anno vt Sigeb. scribit, 679. hoc est post annos 12. Totidem annos ad minimũ ei tribuendos patet ex instrumento donationis, de quo infrà cap. 27. quod datum est anno 12. regni Chil-

derici regis, & ab illo anno rursus Theodoricus regnauit. Ebroinus demum, restitutus est in pristinum statum anno 685. & eodem anno S. Leodegarium interfecit. Quæ omnia adæquatè conueniunt cum tempore diplomatis, quod habetur infrà cap. 25.

Theodericum & Ebroinum, vtrosque tonsis capitis crinibus, in Burgundia Luxouio monasterio recludunt.) Sigebertus in chronicis anno 667. distinctius ponit, hoc modo: Theodericus & Ebroinus tonsurantur, & Theodericus Parisijs in cœnobio S. Dionysij, Ebroinus, in Luxouio relegantur. Similiter & Meyerus, in Fland. Annal. ad eundem annum, Sed fortè vterque primò Luxouij reclusus est, & postea separati sunt. Agit de his Fredegarius Scholasticus, siue continuator Gregorii Turonensis cap. 94. & Aimoinus lib. 4. hist. Francorum c. 44.

Qui nequissimis doctus consiliarijs.) De Ebroino loquitur, vt constat ex vita S. Leodegarii apud Surium, non de Theodorico.

CAP. XXI.

DE Martyrio S Leodegarii, & iis quæ hoc cap. habentur tractat Molanus in Nat. SS. Belgii 2. Octobris, & latiùs vita ipsius apud Surium per Vrsinum conscripta, iubente Ansoaldo, & vita S. Vindiciani per Walterum Abbatem.

CAP. XXII.

HOc capitulum habetur in solo exemplari Atrebatensi, non dubium tamen quin sit ab

sit ab auctore scriptum. Sed in aliis exemplaribus etiam alia nonnulla passim deerant, quæ membranis interpositis erant adfixa. Extat verò miraculum, quod hîc refertur, in vita S. Amati, Duaci in insigni ecclesia Collegiata S. Amati, & in breui vita eiusdem, quę est apud Surium 13. Septembris. Idem porrò legitur de S. Goare presbytero & Cõfessore in vita ipsius authore Wandelberto, quam habet Surius 6. Iulii, & alia breuiori in vitis Sanctorum Coloniæ in folio excusis anno 1483. Item in speculo historiali Vincentii Beluacensis lib. 23. (in noua editione 22.) cap. 15. & ex eo in speculo exemplorum dist. 8. exemplo 161. Et rursus de S. Florentio Episcopo Argentinensi apud Surium 7. Nouembris. Et de S. Kunegũdis Imperatricis chirotheca à radio solis sustentata apud eundem 3. Martii.

Ceterum occasione eorum quę hoc c. referuntur, visum est ad honorem S. Amati & prędictæ ecclesiæ, nonnulla adiicere ex libro argenteo MS. eiusdem ecclesiæ. In eo igitur sic legitur.

Anno ab incarnatione Domini DCLXV. Sanctus Amatus Senonensi Ecclesiæ præsidebat Episcopus. Eodem anno Erchinoaldus cum fratre suo Adabaldo patre S. Mauronti, reædificauerunt Duacense Castrum, & infrà castrum templum B. Mariæ. Hic enim locus antiquitus fuerat consecratus.

Anno DCLXXVIIII. Sanctus Amatus eiectus est à pontificali sede, iussu Theodorici regis nequissimi, & exilium subiit primùm sub Sancto Vltano, Abbate Peronensi, postea sub B.

Mauronto Duce.

Anno DCXC. celeber habetur tranſitus ſacratiſſimi Amati Senonenſis Epiſcopi. Cuius corpus B Maurontus in Eccleſia S. Petri apud Menriuillam honorificè tumulauit; quod ab eodem poſtea eleuatum eſt, & tranſlatum in alia eccleſia propinqua, quàm in honore [Dei genitricis Mariæ &] ipſius S. Epiſcopi, idem Maurontus fabricari fecit, & dedicari. Hunc verò Deus tantum illuminauit, vt plures, in eleuatione ipſius ſancti, præſentiã Domini cũ Angelis ſuis ibi aſpicerẽt, & multi cęci viſum, ſurdi auditũ, & contracti greſſum reciperent.

Anno DCCI. obiit S. Maurontus Leuita. Anno DCCCLXX. imminente Danorum perſecutione, fratres Deo & Sancto Amato apud Menriuillam ſeruientes, corpus B. Amati patroni ſui Duacum, contra ſæuitiam Danorum munitum, deportauerunt, & in ſui iuris eccleſia, in honore Dei genitricis Mariæ in fundo ſancti Mauronti ab anteceſſoribus cõſtructa, poſuerunt.

Anno DCCCLXXIIII. placata perſecutione Danorum, fratres Deo & S. Amato ſeruientes, Carolum Regem Francorum, Arnulphũ Comitem Flandriæ, Iohannem Cameracenſem Epiſcopum, agnomine Bellum, quàm plures etiam Epiſcopos, & principes iuſſu regis conuocatos, quid de corpore ſancti Amati agendum ſit, particulariter conſulunt. Communi autem eorum ordinatione, & priuilegiorum ſuorum confirmatione, ſtatuerunt, quòd ſanctiſſimum corpus & fratres eidem ſicut antea, ſeruientes, intra Duacum in præfata eccleſia

cleſia Beatæ Mariæ,cum eorum priuilegiis, & poſſeſſionibus, quas prius habuerant; vel deinceps habituri erant, remanerent. Ad petitionem verò prædictorum Regis, Comitis, & aliorum multorum, prædictus Iohannes Cameracenſis Epiſcopus, agnomine Bellus, præfatum ſanctum corpus in dicta eccleſia, vt decuit, honorificè collocauit in feretro.

Anno MLXXVIII. ſecundus Gerardus Cameracenſis Epiſcopus, triduo primûm deuotè ieiunato, prædictum ſanctiſſimum corpus à feretro, in quo pridem conditum fuerat, in quodam ſcrinio, interiùs ligneo, & alio exterius plumbeo, & tertio deſuper marmoreo, optimè præparato diligentia & expenſis VValteri Caſtellani, in crypta ſubtus altare maius, inuolutum panno ſerico, & optimo aurifriſio, cum ſigillo beati Iohannis Epiſcopi, agnomine Belli, & ſuo trãſpoſuit XIIII. Kal. Nouẽbris. Extra verò ſcriniũ plumbeũ, & intra marmoreum, videlicet ad pedes S. Amati, repoſitũ eſt aliud ſcrinium plumbeum, plenũ oſsibus & cineribus multorum ſanctorum, quæ cum ſuis nominibus cõbuſta fuerunt à Barbaris gẽtibus in eccleſia ſancti Amati apud Menriuillam.

Hactenus ille liber, cui illa ſolùm verba adiecimus, [Dei genitricis Mariæ &] idque ex MS. lectionario eiuſdẽ eccleſiæ S. Amati Duacenſi, qui etiam addit primã illã tranſlationẽ eſſe factam per Epiſcopum Morinenſem Heluagũ 4. kal. Maij. Nota verò eũdem librũ falli in nomine Comitis Flãdriæ, & pro Arnulphũ ſubſtituendum eſſe Balduinũ. Eo enim tẽpore Balduinus ferreus rerũ potiebatur in Flãdria.

CAP. XXIII.

VBi nunc conſtructa eſt baſilica in honore omnium Sanctorum, præcipuè quidem S. Vedaſti.) &c. Locus in quo S. Maxellendis interfecta eſt, & hæc baſilica conſtructa, Calderiacum dicitur, Gallicè Caudri, in territorio Cameracenſi, tribus diſtans à Cameraco miliaribus, & totidem à Caſtro Cameracenſio. Vide Molanum 13. Nouembris, vbi plura habet de S. Maxellende. Quo etiam die vitam ipſius habet Surius to. 6. Paſſa eſt autem anno 670. teſte Sigeb. Maſſæo. & Meyero, qui Meyerus teſtatur eodem anno Haſnonienſe cœnobium ab Vindiciano epiſcopo Cameracenſi fuiſſe dedicatum.

In villa quæ vocatur Pomeriolas.) Gall. Pommereul, locus eſt diſtans vnius horæ ſpacio à Caſtro Cameracenſio, verſus Landracum, dictus, vt veriſimile eſt, à pomorum copia.

CAPI. XXV.

ET à Iohanne papa confirmato.) In exemplari Atrebatenſi ab aliquo ſuperſcriptum eſt vi. ſed malè. Fuit enim Iohannes V. qui ſucceſſit Benedicto ii. ſeditque anno 685. ipſo etiam Baronio teſte. Quo anno martyrio occubuit Leodegarius die 2. Octobris. à quo ſubſignatum eſt hoc reſcriptum, & datum, vt infrà dicitur, octauo idus Maii, anno 7. Theoderici regis, cùm Iohannes ſextus demum ſedere cœperit anno 702.

Suum

Suum ſtrumentum, ſecundum legem Salicam, licentiam habeat alligare.) Sic omnia exemplaria, & Vita S. Vindiciani per VValterum Abbatem. Sic & infrà cap. 27. ſtrumenta legitur. Vtitur eo vocabulo Tertullianus lib. 1. ad vxorem cap. 7. Idem porrò eſt quod inſtrumentum. Nobis, inquit, continentia ad ſtrumentum æternitatis demonſtrata eſt. Vbi Rhenanus: Strumentum pro inſtrumento etiam alibi vſurpatum, vt ſtructus pro inſtructus, & ſtructius aduerbialiter pro inſtructius. Eadem habet ex Rhenano in ſuis ad Tertul. annotationibus Iacobus Pamelius. Pro alligare legendum fortè allegare.

Qualis fuerit lex Salica, & à quo dicta latè explicat in ſuo Iuris lexico Iacobus Spiegelius. De eadem lege, & vnde nomen ſumpſerit, differit Papirius Maſſonus lib. 1. annal. Francorum in Childeberto, & Chriſtophorus Browerus in notis ſuis ad lib. 3. Carminum Fortunati, poëmate 12. Fuit autem à Francis condita anno 422. teſte Sigeberto in Chron. Ab ea propria prædia principum libera & immunia, Salicæ terræ appellari ſolent, teſte Rhenano. Extat autem ea lex lib. 2. leg. Longob. tit. de quantitate ſolidorum lege 1.

Cum his villis Belrenio, Medonivilla.) Belrenium pagus eſt via Bappalmēſi, ferè miliari diſtans ab Atrebato, Gallicè Beaurains, & ſuccurſus eſt (vt vocant) eccleſiæ parochialis de Thilloy, cuius decimas poſſidet Capitulum Atrebatenſe.

Medoniuilla Gallicè Moienuille, pagus quoque ſitus eſt via Bappalmenſi, qui iam eſt

in

in iurisdictione Abbatis Montis S. Eligij, fortassis quòd post tempora S. Vindiciani facta fuerit permutatio huius loci, (vt sæpe factum legitur) ad alium locũ, de consensu vtriusque partis. Ita Dominus Andreas Herby, de quo suprà ad cap. ix. qui & sequentes ferè omnes huius capitis adnotationes nobis suppeditauit.

Aquis in pago (id est territorio.) *Atrebatense.*) Hoc additur ad distinctionem Aquisgrani, & Aquis in Gallia, vbi nuper Gilbertus Genebrardus fuit Episcopus. De eo dictus D. Herby sic adnotauit. Iam recepto vulgari nomine, Aix les Fampoux vocatur, & à ruricolis, le petit Fampoux dicitur. Et sicuti Aquisgranum Latinè, Gallicè Aix effertur, sic Aquis, Aix maiores nostri dixerunt. Insignis villa est Capitulo nostro Atrebatensi data, decliui loco iuxta pagum de Fampoux sita, trans fluuium qui Atrebato Duacum fluit.

Friscini curtæ cum omnibus appẽdicijs.) Friscinium, Fresincourt Gallicè effertur, pagus situs apud castrum d'Ollehain, non longè à vico qui Housdain appellatur.

Batsala cum ecclesia, & omnibus eius appendicijs.) Dicitur & Batsela. Pagus est cum insigni silua ferè in finibus Artesiæ versus Franciam situs, vulgato nomine Basseu dictus, cuius pagi & siluę absolutè sunt domini Canonici Atrebatenses, idque ex largitione regis Francorum.

Berleta cum omnibus appendicijs.) Sic omnia exemplaria, sed in Atreb. quidam recenti

recenti manu correxit Beyleta. Dictus Dominus Herby teſtatur contextum Codicis MS. diſertis verbis habere y Græcum Boylettam, & addit: Fateor quidem in Arteſia eſſe pagum dictum Latinè Berletta, Gallicè Berlette, ſed eo loci nihil planè poſſident Canonici Atrebatenſes. Sequenda igitur lectio codicis MS. qua habetur Boylerta, qui pagus (ni fallor) à noſtris dicitur Boille, ferè medio itinere inter Atrebatum & Bappalmas. Huius pagi abſolutum habet dominium Capitulum noſtrum Atrebatenſe. Sic ille. Quia tamen in tribus exemplaribus MSS. Berletam inueni, nihil putaui immutandum.

Squauia cum eccleſia & dote.) &c. Gallicè Eſquaiure dicitur. In catalogo pagorum Arteſię qui libro conſuetudinum Arteſię ſubiungitur, vocatur Eſcoires lez le Mont Sainct Eloy. Situs eſt enim pagus iſte ad radicem Montis S. Eligii, inter plagam Meridionalem & Occidentalem, qui iam à quibuſdam vulgato ac recepto nomine, Sainct Adrien dicitur, ob frequentiam populi eo confluentis, ad memoriam S. Adriani martyris. Et licet ille pagus non ſit noſtræ iuriſdictionis, in parochia tamen illius multa poſſidet Capit. Atrebatenſe, inter quæ bona inſignis locus eſt qui Braye dicitur. Sic ille qui ſuprà.

Ors cum omnibus append.) Quis hic locus ſit ignoratur. Quidam pro Ors ſubſtituendum putant Oeuf, qui pagus non procul abeſt Heſdinio, dictus Gallicè Oeuf en Ternois, cuius decimas poſſidet Capitulum Atreb. Sed obſtat quòd ex archiuis conſtat illas decimas Capi-

Capitulo conceſſas tempore Philippi Auguſti, qui S. Vindiciano longè poſterior eſt. Huius nominis, videlicet Ors, pagus eſt nõ procul à Caſtro Cameracesio meridiem verſus, iuxta Chaſtillon, ſed nihil inibi capitulum Atrebatenſe poſsidet.

Santſcido cum ſuis appen.) Quis locus hoc nomine intelligendus non ſatis conſtat, niſi fortè intelligatur pagus ſitus in limitibus Franciæ, qui Gallicè Saucy dicitur, in quo Capitulum Atrebatenſe & decimas, & alia bona poſſidet. In vita S. Leodegarii apud Surium die 2. Octob. villam Sarcingenſem legimus, pro quo in MS. Atrebatenſis eccleſiæ legitur, in villam Sarcingo, indeclinabiliter. Qui locus olim dictus eſt Sercin, poſt mortem verò S. Leodegarii, populus, qui ſanctum illum Gallicè nominat Legier, adiecit dictionẽ Legier, & poſtea corruptè dictum eſt. Suſcin Legier, quomodo in hodiernum vſque diem vulgò nominatur. Hunc locum quidam putãt intelligi.

Radoniuilla cum molendino vno ſuper Crientionis fluuiolum.) Hoc nomine non pagus aliquis, ſed ſolùm locus quidam intelligitur Raonuille dictus, in qua eccleſia Atrebatenſis habet pauca bona. Fluuiolus autem ille eſt, qui Abbatiam S. Vedaſti in vrbe Atrebatenſi alluit, Gallicè dictus Crinchon, quo nomine eum vocat Ioannes Iperius Chronographus Bertinienſis.

Aliud molendinum in Dominica curte.) Atrebatenſes Canonici vocant, le pouuoir de Demencourt. Locus iſte ſitus eſt in ſuburbio

Atre-

Atrebatensi, quâ ex ciuitate Bethuniam itur. Alterius loci eiusdem appellationis, mentio est in testamento S. Remigii. Ecclesiæ, inquit, S. Petri infra vrbem, quę curtis Dominica dicitur.

Maraculo.) Maraculum nunc vsitatius Mareolum dicitur, Gallicè le village de Maroeul, locus distans ab Atrebato miliari cum dimidio versus Montem S. Eligii, vbi antiquum visitur monasterium in honorem S. Amandi & Bertiliæ exædificatum, de quo lib. 2. cap. 16. Verùm illius pagi dominus temporalis est Episcopus Atrebatensis, de quo in archiuiis Atrebat. Ecclesiæ legitur, quòd Theodoricus rex Franciæ Mareolum reliquerit vsibus Episcopi Atrebatensis.

Decimancula in Rodulfi curte.) Paruam decimam significat, locus autem in registris Capitularibus vocatur Rocquelencourt, estq; succursus (vt vocant) ecclesię parochialis d'Ecury, via quâ Atrebato Lensum versus iter est, & vterque locus ditionis est absolutè Capituli Atrebatensis.

Similiter in Vnziaco.) Sic restitui ex archiuis ecclesiæ Atrebat. Codex 1. in Vinziaco, reliqua exemplaria uiuingiaco. Locus est quâ Atrebato ad tria monasteria iter est, nempe versus Estrun, Mareolum, & Montem S. Eligii. Iam viuaria dicuntur d'Onzain, quorum pars quędam cum pratis adiacentibus spectat ad monasterium S. Vedasti Atrebatense, altera ad monasterium Montis S. Eligii, & in illis aquis nutriuntur egregii carpiones, & alij pisces ad vsum vtriusque monasterii.

Sit

Sit in potestate Canonicorum in ipso monasterio Deo seruientium.) Sic Helgandus in vita Roberti Regis Francorum omnes ecclesias per eum fundatas, siue fuerint monachorum aut regularium vel secularium Canonicorum vocat monasteria, vti & alii passim scriptores mediæ ætatis. Quare autem ecclesiæ Collegiatæ Canonicorum antiquitus dictæ sint monasteria, vide Ioannem Molanum lib. 1. de Canonicis cap. 12.

Qui verò nostræ auctoritati paruipẽderint.) Sic omnia exemplaria, sed in r. correctum, nostram auctoritatem sicut & in vita, S. Vindiciani per Walterum. Sed verisimile sic olim locutos, ideoque retinui.

CAP. XXVI.

IN villa Squauia.) Restitui pro Sauia, idque ex cap. præcedenti, & vita ipsius sancti Vindiciani. Gall. Esquaiuere, seu Equauere.

CAP. XXVII.

HVic capitulo argumentum, quod deerat, adiecimus.

Anno duodecimo regni domni nostri Childerici.) Sic ferè semper infrà, domnus, non dominus. Vocabulum enim Dominus soli Deo tribuebant, domnus hominibus. Quod etiamnum seruatur in benedictionibus in Romano Breuiario, iuxta versiculum:

Cælestem Dominũ, terrestrẽ dicito dõnum.

Qua voce vsus etiam est Sulpicius epist. 2. & 3. dicens; domnus Martinus, & Flodoardus perpe-

perpetuò in hiſtoria Remenſi.

Maricolas, quod vir illuſtris Hunbertus.) Ita codex g. & r. ſed a. Radobertus, & in g. correctum apparet ex litura. Eſſe tamen legendum Hunbertus ſiue Humbertus vel Hũtbertus, vt initio huius capitis habetur, patet ex lib. 2. cap. 32. vbi hoc monaſterium deſcribit auctor. Ex quo loco videri poſſet, initio legendum eſſe Mareclijs pro Macerijs. Verùm ſciendum Macerias eſſe patriam ipſius Sancti Humberti, vt ex vita ipſius conſtat apud Surium die 6. Septembris: Mareclias verò, Marellias & Marecolas ſeu Maricolas eſſe nomen loci, in quo monaſterium condidit, Gallicè Maroilles. Quatuor autem iſta nomina poſteriora eadem eſſe, clarum eſt ex citato cap. 32. & ex cap. 67. huius libri, vbi & ſitus monaſterii deſcribitur.

Vel hæredes noſtros non adcreſcat.) Ita Atreb. G. verò ñ adcreſcat. Quod legi poteſt, non adcreſcat, vel, inde adſcreſcat. r. neutrum habet.

Ne verò quem offendat hoc capit. quòd ipſe Abbas proprias poſſeſſiones habuerit, omnino credendum eſt, fuiſſe abbatem ſecularem, quales tunc erant, & adhuc ſunt in diœceſi Leodienſi. Videatur Molanus lib. 2. de Canonicis cap. 5.

Domni videlicet Vindiciani.) Ita r. & communis illius ſancti appellatio, cui proximè accedit Atreb. legens, Vinditiani, g. autem Vindentiani, quomodo etiam inferiùs aliquando ſcribebatur.

Sed ill. & ill.) id est illius & illius, idque probatur ex libro argenteo cuius suprà ad cap. XXII. fecimus mentionem, in quo libro, in ordine baptizandi sic dicitur: Respicere digneris super hunc famulum tuum ill. Et ex forma iuramenti, quam habet Pithoeus in Glossario Capitulorum, verbo fidelitas, vbi legitur. Ego ill. &c.

Ipse tamen Chonebertus, etsi peccator, abbas.) Ita g. & a. Tertium exemplar ponit (tamen) post dictionem (peccator) Verùm olim sic loquebantur, vt videre est, tum in aliis antiquis monumentis, tum in fine testamenti Hadoindi Cenomanensis Episcopi, quod extat apud Barnabam Brissonium lib. 7. de formulis & solemnibus populi Romani verbis, in cuius fine sic legitur: In Christi nomine Hadoindus, etsi peccator, Episcopus, hoc testamentum, quod ex deuotione fieri rogaui, relegi & subscripsi. Et ibidem: Bertichrannus in Christi nomine, ac si (pro etsi) indignus Episcopus, testamentum meum &c. relegi & subscripsi.

CAP. XXVIII.

AVris quidem ridentibus.) Sic omnia exemplaria, & vita sancti Vindiciani per Walterum. Sed quid hoc sibi velit non satis assequor. Videtur idem esse quod gaudẽtibus; nisi fortè legendum sit inuidentibus, ex simili loco, lib. 2. cap. 4. vbi dicitur: De quibus maximam partem inuidæ auræ se rapuisse lætantur.

Incertum est etiam, quanto videlicet tem-

tempore eccleſiã Cameracenſiũ rexerat.) Magnam hîc facem præferunt ea quæ ſuppeditauit dictus dominus Claudius Deſpretz, quę ſic ſe habent: S. Vindicianus natus fuit in Bullecourt, ex quo ſe tranſtulit in locum Atrebato vicinum, qui hodie S. Albinus dicitur, vbi heremitagium, vt vocant, & oratoriũ conſtruxit, dicatum S. Albino, quod nunc Capella S. Vindiciani nominatur. Ex hoc loco euocatus fuit à S. Autberto, & ab eo vicarius in ſede Atrebatenſi, & Archidiaconus conſtitutus eſt. Poſt cuius mortem ei ſucceſſit in Epiſcopatu, magna congratulatione Childerici ii. qui ea de cauſa litteras dederat ad papam Adeodatum. Conſecratus fuit in inferiori eccleſia B. Mariæ Atrebatenſi, ante altare, quod nunc in honorem ipſius dedicatum eſt, per S. Reolum Archiepiſcopum Remenſem, die 24. Iunij 676. Anno 688. à Theodorico j. obtinuit dotationem monaſterii S. Vedaſti, quod ſanctè adminiſtrauit vſque ad annum 690. quo Hatta religioſus S. Benedicti Gandauenſis, abbas S. Amandi, per eum conſtitutus eſt primus abbas S. Vedaſti. Defuncto autem Hatta Gandaui die 17. Ianuarii 710. per S. Vindicianum ſubrogatus eſt in locum eius, ad regendum dictum S. Vedaſti monaſterium, S. Hadulphus, Prępoſitus eiuſdem loci, conſecratus ab eo die 31. Auguſti anni iam dicti 710. Anno 691. cõſecrauit eccleſiam S. Amandi, & tandem mortuus eſt Bruxellę die 11. Martii 712. Hactenus ille. Neque his obſtat quod dicitur in fine huius cap. S. Vindicianum familiari vſu dilectionis inhæſiſſe B. Eligio,

quem notat Franciſcus Haræus in vita ipſius, obijſſe circa annum 665. Sigebertus eo ipſo anno obiiſſe ſcribit, Meyerus 660. Quare ante annum 665. vel 660. ſediſſe videbitur. Sed facilis eſt reſponſio, eam familiaritatem fuiſſe contractam ante Epiſcopatum S. Vindiciani, cum vel in prædicto oratorio degeret, vel Atrebati vicarij & Archidiaconi munere fungeretur.

Apud Broſellam diœceſis ſuæ territorium.) Bruxellam Brabantiæ ciuitatẽ intelligit Iuſtus Lipſius in ſuo Louanio lib. 2. c. 1. quæ & communis eſt opinio Canonicorum Atrebatenſium, & Religioſorum Montis S. Eligij. Et certè Bruxella, Teutonicè Bruſſel, tunc temporis erat diœceſis Cameracenſis & Atrebatenſis, quæ ſimul erant iunctæ. Neque ab hac ſententia alienum eſt, quòd Breuiarium Atrebat. Brocellam legat, quia dictæ ciuitatis nomen in antiquis MSS. libris in medio duplici cc. ſcribitur Bruccella, vt deprehendi, cùm in Thoma Cantipratano repurgando, & cum MSS. conferendo laborarem: quam orthographiam conſtanter obſeruat in ſuis Flandriç annalibus Iacobus Meyerus, vt deriuatio ſit à ponte & cella, ſicut & aliarum quarumdam in Belgio ciuitatum, vt Giſleni cella, Amandi cella, Valcella, pro Valliſcella in antiquis monumentis reperitur. Boëtius tamen Epo, I. V. Doctor & Profeſſor noſtræ Academiæ Duacenæ celeberrimus, ad exemplar Atrebatenſe huius Chronici, quo interdum vſus eſt, manu ſua ad hunc locum adnotauit: Broſella pagus Arteſiæ, Pro quo facit, quòd in martyrologio

gio perantiquo ecclesiæ Atrebatensis, in mẽbrana descripto, legatur: In pago Atrebati depositio Sancti Vindiciani Episcopi. Verùm in catalogo pagorum Artesiæ, qui excusus est cum consuetudinibus eiusdem Artesiæ, nullus eiusmodi pagus inuenitur. Et consulti à me aduocati, & alij hac in re versati, nullum talem esse pagum in Artesia responderunt.

In archiuis dictæ ecclesiæ reperitur nomen cuiusdam pagi, qui Bossoria dicitur, Gallicè, la Buissiere, haud procul à Bethunia, sed quis illum Brosellam esse dixerit. Rem itaque totam iudicio lectoris relinquimus. Placet interim communis opinio donec altera probetur.

CAP. XXIX.

CVm iam dominus sanctum suum mirificari disponeret.) Ita g. & a. In r. legi potest vtroque modo, mirificari & mirificare. Quod posterius cum psalmi quarti versiculo 4. congruit. Quia tamen sensus vtrumq; fert, nihil immutauimus. Porrò simile exemplum, cum eo quod hoc cap. refertur, extat in vita S. Rigoberti apud Surium die 4. Ianuarij, & in Flodoardo lib. 2. hist. Remensis cap. 14. de puero saltante supra sepulchrum S. Rigoberti.

Capitis sui deditione.) Phrasis apud Iureconsultos vsitata est. Dedere verò est tradere, mancipare, & quasi consecrare, ac propriè in perpetuum dare, ac totum subdere.

CAP. XXX.

SAnctum corpus leuare diſpoſuit.) Obiit B. Vindicianus, vt ſuprà adnotauimus, anno Domini 712. (Lipſius, vbi ſuprà, obiiſſe notat 680.) Eleuatus eſt à Fulberto circa annum 950. Habet vitam eius Franciſcus Haræus die 11. Martii, (quo die, depoſitio eius celebratur, eleuatio 25. Iunii.) habet inquam ex ea quæ eſt per VValterum abbatẽ, quam MS. accepi ex Monte S. Eligii. In ea hoc chronicon ſæpe citatur titulo geſtorum pontificalium: interdum vocat Cameracenſis parochiæ (id eſt diœceſis) annales & hiſtorias. Quicquid verò in illa vita hiſtoricum eſt, ex hoc chronico deſumptum eſt, ſed à VValtero, oratione encomiaſtica, rhetorico more dilatatum, hoc veluti aſſumpto ſibi themate, quòd B. Vindicianus in omnibus ſuis operibus dilexerit decorem domus Dei. Neque illud diffitetur, dum in fine ſic ait: Non ducat quæſo friuola qui lector acceſſerit. Cameracenſis enim bibliotheca in hac parte ſatis authẽtica, quæcunque digeſsimus ſuæ auctoritatis aſtipulatione, nobis munitiſsima reddit. Sciat ergo quicumque fidelis eſt in Chriſto, hæc legenda, vel audienda debere fideliter ſuſcipi, quę nos de fideliſſimis Epiſcoporum Cameracenſium geſtis excerpta protulimus prolatione fideli. Hæc VValterus.

CAP. XXXIII.

HEinrico autem quondam Imperatore, ortis ſimultatibus inter Balduinum

duinum & Arnulfum Comitem.) &c. Hic eſt Henricus iunior, qui inter Sanctos relatus eſt, & Balduinus Barbatus Flandriæ Comes, de quibus in fine huius libri, & initio tertii. Arnulfus Comes Valentianenſis. Nam Valentianæ proprium tum Comitem habebant. Bellũ verò Valentianenſe, de quo ſermo eſt infrà ſuo loco c. 114. geſtum eſt anno Domini 1006. vt ibidem notauimus. Simile autem exemplum vltionis diuinę in quatuor milites Cæſarianos, qui ſacellum ſancti Leuini ſpoliare nitebantur, profert ibidem Meyerus anno 1007. Et aliud in prædatores templi S. Vincentii Agennenſis territorii narrat Aimoinus lib. 3. de geſtis Francorum c. 70.

Sed & Comes, mox vt in patriam reuerſus eſt.) Adieci voculam (vt) ex VValtero abbate. Comitem vocat quem antea Ducem vocauit Rotomagenſium. Vterque n. titulus ab hiſtoricis ei tribuitur. VValterus tam ſuprà quàm hoc loco nominat Richardũ Comitem Nordmanniæ. Similiter & Sigebertus Comitẽ Nordmãnorum vocat, quem Meyerus Ducem.

Sub poſito ſacramento.) Hoc eſt per impoſitum militibus iuſiurandum, vt habet VValterus.

CAP. XXXIV.

CVi Hunoldus.) Maſſæus Hunaldum nominat, & ſediſſe ſcribit ſub Pipino tertio. Alii ſub Pipino Herſtallo vt Gazæus, qui eſt Pipinus ſecundus, & obiit anno 714.

Quem (Hadulfum) asserunt quidam filium fuisse sancti Ragnulfi martyris, de quo hi qui nostris.) &c. Illud (de quo) ad S. Ragnulfum est referendum, cuius meminit Molanus die 27. Maij. Nam de miraculis S. Hadulfi loquitur auctor noster cap. sequenti.

CAP. XXXV.

HVius verò sanctitas.) Scilicet Hadulfi, vel vt Massæus, Adulfi. Agit de eo pluribus Molanus 19. Maij, & Gazęus in historia ecclesiastica inferioris patriæ: Vbi scribit eum fuisse 2. abbatem S. Vedasti anno 710. & electum Episcopum anno 717. ac monasteriũ administrasse annis 19. Episcopatum annis 12. atque ita rexisset vsque ad annum Domini 729.

CAP. XXXVI.

POst Hadulfum Trauuardus substituitur in sedem.) Sic omnia exemplaria. Massæo Turonus, aliâs Tragardus appellatur. Ad hũc inter alios episcopos Catholicæ communionis cum S. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, & Apostolicæ sedis legato, scribit Zacharias papa, anno 748. Extat epist. to. 9. Annalium Baron. ad annum iam dictũ, & in vita S. Bonifacij lib. 2. c. 5. apud Surium, to. 3. Vocatur autem ibidem Treuuartus Cameracensis Episcopus. Extat denique inter epist. S. Bonifacij nu. 136. vbi scribitur Treuvardus. Democharesetiam Tranardum nominat. Gazæus consecratum scribit anno 730.

Post

Post quem eiusdem monasterij Guntfridus rector extitit.) Sic omnia exemplaria. Ab alijs tamen variè scribitur. Massæus Gaufridus, alij Godefridus. Hunc fuisse filium S. Arnulphi martyris scribunt Democharès & Gazæus, additque Gazęus eum sedisse anno 752. Quis sit autem iste S. Arnulphus martyr, non facilè dixerim. In martyrologijs duos inuenio Arnulphos martyres, vnum die 18. Iulii, qui scribitur fuisse Episcopus Turonensis, cõtemporalis & discipulus S. Remigii, & proinde non est iste de quo quæritur, alterum die 3. Octobris in additionibus Molani ad Vsuardum his verbis: Mosonii, festiuitas beati Arnulphi martyris. Vbi tamen pro Mosonii, verisimiliter legẽdũ est Mosomii, cuius meminit aliquoties Flodoardus lib. 4. hist. Remensis ecclesiæ estque castrum, aut opidum non procul à Remis situm, Gallicè Mousom. An iste sit, non mihi constat.

Post cuius excessum Albricus.) Sic exemplaria nostra, sed integrum nomen est Albericus, quomodo scribunt Massæus & Democharès; quem sedisse scribit Gazęus anno 776.

CAP. XXXVII.

POst Albricum Hildovvardus, tempore Karoli Magni, successit.) Nempe circa annum 798. vt notat Gazęus. Massæus, & ex eo Democharès Hildoardum scribunt, alii Hilduardum.

Hludovvicus diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus.) Hic est Ludouicus Pius, Caroli magni filius & successor. Variè autem hoc nomen scribitur, etiam hoc eodem capitulo. Cùm H. præponitur, sicut HRabanus, à doctis creditur id esse Heer, id est dominus Ludovvicus, sed cùm nõ intelligeretur ab imperitis linguæ Teutonicæ, in vnam coaluisse dictionem. Sunt qui scribant Chludovvicus, vt Hilduinus in Areopagiticis, alii Clodoueus Ludovvicus, Ludevvicus, Lodouicus, & Lodoicus, sed vsitatissimum est Ludouicus. In Capitulis sub hoc Imp. factis, quę ad finem operũ Cassiani adiecit Henricus Cuyckius, tertiò nominatur Blodovvicus.

Ad causas audiendas, aut freda exigẽda, aut mansiones, vel paratas faciendas.) &c. His planè similia habentur infrà in aliis diplomatibus c. 62. 76. & 107. & in diplomate Stephani papæ dato anno 913. quod extat apud Autbertum Miræum in Orig. Cœnob. Benedictinorum c. 28. vbi sic legitur: Nullus in ecclesias, aut loca vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii (Bronienſis) præsumat ingredi, aut ad causas audiendas, aut precaturas faciendas, aut freda vel tributa, aut obsonia quælibet exigenda, vel mansiones, aut siluas, vel paradas faciendas &c. Sic enim ibi legitur, pro paratas. Item prædicta ferè omnia leguntur apud Aimoinum lib. 5. de gestis Frãcorum cap. 17. in priuilegio Pipini regis Aquitanorum, filii Ludouici Pii. Quibus locis fredum, vel freda, æ, vt habetur lib. 3 Capitularium cap. 30. significat compositionem fisco debi-

debitam, qua quis pacem à principe impetrat. Legitur quoque ea dictio in capit. 38. legis Ripuariæ & lib. 4. legis Francicæ c. 2. & in Gregorio Turon. lib. 4. Miraculorum S. Martini c. 26. Vide notas noſtras ad lib. 4. Flodoardi cap. 50. Paratæ ſunt ſumptus, quos populus in vias ponteſque fluminum, quâ tranſiturus, aut quò aditurus rex erat, reficiendos, impendere cogebatur. Carolus Sigonius lib. 7. de regno Italiæ.

Nequaquã deſtringendos : nec vllas redditiones.) Ita in duobus diuerſis exemplis, ſeu copiis, vt vocant, authenticis harum litterarum, quæ ſeruantur in archiuis eccleſiæ Cameracenſis. Malè exemplaria noſtra (vllus) pro quo tamen in Atrebatenſi, manu recẽtiori correctum erat, vllas. Idque conformiter iis quæ infrà habentur cap. 76. & 107. vbi prorſus ſimilia extant priuilegia. Sic enim ibi legitur. Nequaquam diſtringendos, vel vllas retributiones, aut inlicitas occaſiones requirendas. Cap. verò 62. Nequaquam diſtringẽdos, vel vllas redibitiones &c. Vbi parum refert ſiue legas deſtringendos, vt hoc c. 37. ſiue potiùs diſtringendos, vt infrà ſemper tam cap. 62. quàm 76. 107. & 111. in litteris Gregorii Papæ, aliquem diſtrictum, ſiue iudicium &c.

Vt duæ partes in archiuum.) Ita omnia exemplaria. Prædictæ tamen copiæ hoc loco habent archiuium, quomodo memini me etiam in ſuprà citato opere Barnabę Briſſonii, & alibi legiſſe.

Signum Hludovvici ſereniſſimi Imperatoris.)

ratoris.) Hîc relicto ſpacio vacuo, deeſt ſignum in exemplaribus, ideoque illud dare nō potuimus, ne quis putet typographi errore prætermiſſum.

Vulfarius Remenſium Epiſcopus.) Hic iuxta Flodoardum, & tabulas Democharis eſt 30. illius ſedis Epiſcopus, cui ſucceſſit Ebo. Concilium Nouiomenſe, de quo in fine huius cap. deſideratur in tomis Concil. latiùs autem de eo agit iam dictus Flodoardus lib. 2. hiſt. Remenſis eccleſiæ c. 18.

Inter VVendilmarum & Rothardum Epiſcopos.) Quarum ſedium fuerint Epiſcopi non explicat autor, ſed id patet ex Flodoardo loco iam dicto. Ille erat Nouiomenſis, qui in tabulis Democharis vocatur Gaudelmarus, ſeu Audomarus, eſtque 33. Rothardus verò Sueſſionenſis, qui in eiuſdem tabulis eſt 34. legiturque in Concilio Turonenſi habito anno 849. & Sueſſionenſi anno 853.

CAP. XXXVIII.

HIldovvardo verò Halitcharius ſucceſſit.) Ita perpetuò ſcribunt noſtra exemplaria, Flodoardus vocat Alitgarium. Maſſ. & ex eo Democharis, Haicarium. Addit tamen Democharis: qui & Alicarius dicitur; Verùm prima ſcriptura integra eſt, quę duplicem habet aſpirationem. Gazęus eum ſcribit conſecratum fuiſſe anno 817.

Hic precibus Ebonis Remenſis Archiepiſcopi ſex libellos de remedijs peccatorum,

rum, & ordine vel iudicijs pœnitentiæ conſcripſit.) De his libris vide ſcholion noſtrum ad cap. 19. lib. 2. Flodoardi, ex quo chronographus noſter duas epiſtolas, quæ hoc c. & ſeq. continentur, ſine dubio deſumpſit.

Sed fidenter accede.) Ita r. Flodoardus & Henricus Caniſius. Quò accedit g. legens videnter, cui ſuperſcriptum erat viriliter, quomodo legit codex Atrebat.

Tua reſplendeat pectora.) Sic Flodoardus & Caniſius, item g. & r. quæ vera eſt lectio, ſed in g. recentiori manu ſuperſcriptum erat, vel irradiet, ideoque Atreb. vtrumque coniungens, legit in textu: reſplendeat vel irradiet. Sic in Flod. recentior quidam reſplendeat, mutauerat in repleat.

CAP. XL.

HIc ab Imperatore Karolo Conſtantinopolim miſſus, & à Michaele Imp.) &c. Intelligit de Carolo Magno, & Michaele i. Curopalate, ac proinde id contigiſſe dicendum eſſet anno 812. aut 813. Hisnamque duobus ſolùm annis imperauit iſte Michael. Sed his obſtant annales regum Frãcorum primò editi ab Hermanno Nuenare Coloniæ anno 1521. in quibus id factum legitur anno 828. à Ludouico Pio filio Caroli Magni. Idem habetur apud Aimoinum lib. 4. de geſtis Francorum c. 116. & Meyerum in annalibus Fland. dicto anno 828. his verbis: Eodem anno Halidgarium Epiſcopum Cameracenſem, clarum & ſanctimonia

&

& eruditione virum, Ludouicus Cæsar Constantinopolim misit ad Michaelem Augustũ pro fœdere atque amicitia iugiter conseruanda. Quare pro Karolo corrigendum est Ludouico, vt in margine notaui, & per Michaelem Imp. intelligitur Michael Balbus, qui isto anno cum Ludouico regnabat. Quod ex ipso quoque auctore nostro confirmatur, qui suprà cap. 37. Hildovvardum, Halitcharii prędecessorem, superfuisse scribit vsque ad tempora Ludouici Pii, & nominatim vsque ad annum tertium Imperii eiusdem, hoc est annum Domini 816. Quare iam mortuus erat Carolus Magnus antequam Halitcharius succederet, ideoque ab eo mitti non potuit. Gazęus scribit eum missum fuisse ab Imp. Carolo filio Ludouici. Verùm id nulla ratione dici potest: cùm Ludouicus non habuerit alium filium Imp. quàm Carolum Caluum qui demum imperare cœpit anno 875. & disertè dicatur cap. seq. S. Theodericum summi sacerdotii munus à Ludouico Imp. accepisse, qui obiit an. 840. Quem Theodericum ipse Gazæus electum asserit anno 832. Adde quòd cum Carolo Caluo nullus in Oriente regnauit Michael, sed Basilius Macedo, vt ex Baronii Annalibus, & aliunde notum est.

Præter ea quæ de opusculis Halitcharii & hac legatione, ac honorifica eius susceptione ab auctore nostro referuntur, nec ea laus eius reticenda est, quòd vnâ cum Ebone ad Danorum conuersionem profectus sit. De qua re testem habeo Adamum Bremẽsem in suo chronico his verbis: In diebus illis

anno

(anno 823.) ſcribitur, quòd Ebo Rhemenſis, cùm de ſalute gentium religionis ſtudio ferueret, legationem ad gentes cùm Halitgario ſuſcepit à Paſchali Papa, quam poſtea noſter Anſgarius, diuina opitulante gratia, feliciter peregit. Sic ille.

CAP. XLI.

POſt hunc ſummi ſacerdotij munus Theodericus à Ludouvico Imp. ſuſcepit-) &c. Agit de eo Molanus in Nat.SS. Belgii die 5. Auguſti, vbi & de ſucceſſore eius B. Iohanne. Fuit autem Epiſcopus ab anno 832. vt patet ex hoc cap. & vixit vſque ad annũ 863. vt patet infrà cap. 47. Quare oportuit eũ triginta & vno annis ſedem Epiſcopalem tenuiſſe. Meminit eius Iacobus Meyerus anno 842. quo ſcribit eum leuaſſe corpus S. Liuini apud Holteym in terra Aloſtenſi. De iis verò quæ hoc cap. recenſentur de Ludouici Pii deiectione & reſtitutione ad Imperium latiùs agit Flodoardus lib. 2. cap. vlt.

Iſte etiam anno Domini DCCCXXXII. XVI. Kal. Decembris ordinationem clericorum fecit in monaſterio Laubienſi.) Non videtur velle ſignificare, quòd ibi ſacros ordines contulerit, quia hoc non ſolet fieri XVI. Kal. Decemb. id eſt die 16. Nouembris cùm non ſint tunc quatuor tempora: ſed fortè quod ibi Clericos conſtituerit aut reformauerit. Quo pertinet quòd Maſſæus, & ex eo Demochares hunc Theodoricum vocet fundatorem monaſterii Lobienſis, quod rectè accipias,

pias, eò quòd auxerit & amplificauerit idem monaſterium. Alioqui ex 2. lib. c. 37. conſtat multò antè fuiſſe fundatum, & exſtructum à S. Landelino tempore S. Autberti, & ab eodem Landelino conditum eſt monaſterium in VVaſlero, quod hoc cap. S. Theodericus dedicaſſe legitur, exſtructa nimirum noua eccleſia, aut veteri prorſus innouata.

CAP. XLII.

DAni verò tunc temporis per vicinam huius diœceſeos malè debacchantes, eccleſijs inſultabant.) Quos noſter chronographus Danos vocat, iidem ſunt qui Nordmanni, & quidem vſitatiùs, à ſcriptoribus appellantur, id eſt Aquilonares viri ſeu ex Aquilone, vbi eſt Dania, procedentes. Vnde Eginhartus in vita Caroli Magni: Dani ſiquidem & Sueones, quos Nordmannos vocamus. Et infrà. Vltimum, quod cõtra Nordmannos, qui Dani vocantur, primò piraticam exercentes. &c. De his Meyerus in Annalibus Flandriæ anno 851. Normanni Gandauum cùm cœnobiis Gandenſi, Blandinienſi, ac Tronchinienſi ferro & igni euaſtauerunt. Et anno 859. ſcribit Eminonem Nouiomagenſem Epiſcopum à Normannis occiſum in vrbis direptione. Is eſt qui cap. 44. vocatur Immo, ab aliis Himmo, & Emmo. Anno 861. Cœnobium, inquit, D. Bertini in Sithiu combuſſerunt &c. ditionemque omnem Taruannicam incendiis ruiniſque ac mortibus fœdauerunt: Lutetiam Pariſiorum diripuerunt.

CAP.

CAP. XLIII.

SYnodum habuit conprouincialem apud Sueſſonicam vrbem in monaſterio S. Medardi.) De hac ſynodo latè Flodoardus lib. 3. cap. 11. cuius acta Nicolaus j. reprobauit. Vide noſtras adnotationes ad illud cap.

Cum Venelone Sennenſi Archiepiſcopo.) Sic g. & a., ſed r. Senonenſi, quomodo ferè poſteriores ſcribunt & loquuntur. Vide [illegible]ot. ad c. 1. lib. 3. Flodoardi.

Reſidente quoque in medio glorioſo rege karolo.) Is eſt Carolus Caluus, filius Ludouici Pij, & frater Lotharij Imperatoris.

Cuius extant ſcripta plurima, quæ ipſe de fide catholica, & de conſeruando iure catholico conſcripſit.) Nouem Hincmari epiſtolas edidit inſignis antiquitatis inſtaurator R. P. Ioannes Buſæus, Soc. Ieſu, cum ſuis notis & coniecturis Moguntiæ 1602. Nona enim, etſi Caroli Calui nomine ſcripta, tamen ex ſtylo eſſe Hincmari non dubitatur, inquit Baronius to. 10. anno 878. Deinde alias duas cum paralipomenis Petri Bleſenſis, ibidem anno 1605. In his nulla eſt earum, quas vſque ad 10. recenſet hiſtoricus noſter cap. ſeq. vnam præterea cap. 48. & alteram cap. 51. Sed multò plures, & alia quædam ipſius opera Flodoardus toto ferè libro 3. Trithemius de ſcriptoribus eccleſiaſticis, Arnoldus Wion lib. 2. ligni vitæ cap. 29. in

Archiepiſcopis Rhemenſibus. Perfici poſſet quod incepit Buſæus ex bibliotheca quæ eſt Leodii ad S. Laurẽtium. Ibi enim extat Hincmarus manuſcriptus, vt notauit Molanus in Nat. SS. Belgii ad diem 5. Auguſti, & prę-cipuè ex bibliotheca Metropolitanæ eccleſiæ Remenſis, in qua ſunt plurima ab eo conſcripta.

CAP. XLIIII.

MAioni quoque illuſtri Comiti.) In Codice Atreb. alia manu recentiori ſuper lineas additur: qui tunc regebat ab[illegible] tiam S. Gaugerici. Quod quidem, ſicut & alia nonnulla in illo codice adiecta, facilè patet ad textum non pertinere, ſed eſt adnotatio cuiuſdam, qui librum diligenter perlegit. Neque in Flodoardo, ex quo hæc verba & totũ hoc cap. deſumptum eſt, aliquid tale additur.

CAP. XLVII.

INceptum eſt templum ſancti Gaugerici ædificari, quod poſtea honorificè conſummatum.) &c. Atreb. codex nunc legit reædificari, ſed apparet mutatum ex litura, additque idem codex ſuper lineas, eadem manu quà ſuprà, quia ante concrematum fuerat. Et ad dictionem conſummatum, addit: à Maione Comite. Quæ conſtat de textu non eſſe, ſed inſtar gloſſæ vel adnotationis ſuperaddita. Quod etiam ex eo eſt manifeſtum: quia cùm titulus huius capitis, ſicut & alii omnes, minio ſcripti ſint, in eodem codice Atrebatenſi

tenſi in titulo (re) additum eſt atramento, vt nunc legatur reinceptum.

Diem clauſit.) r. addit extremum. Verùm id non eſſe de textu patet ex c. 59. 64. 114. & alibi, vbi ſimiliter non eſt adiectum. Clauſit autem diem vitæ, vt ex ſequentibus patet, eodem anno hoc eſt 863. Nonis Auguſti. Quare non rectè Maſſęus, & ex eo Democharcs adnotant id factum an. 864.

CAP. XLVIII.

ET Imperatorem Lotharium. Siquidem Imperator.) &c. Per Imp. Lotharium, regem Lotharium intelligit hoc cap. & ſequenti. Alioquin non poſſint ſubſiſtere quę narrantur, quoniam Lotharius Imperator obiit anno 855. Sanctus verò Theodoricus poſt cuius mortem orta eſt hæc contentio ſupervixit vſque ad annum 863. vt patet cap. præcedenti. Triennio autem durauit, hoc eſt vſq; ad annum 866. quo ſubſtitutus eſt B. Iohãnes, infrà cap. ſeq. Adde Nicolaum papam, qui ſuper hac difficultate ad Lotharium & alios ſcripſit, fuiſſe demum creatum põtificem anno 858. Tertiò non alium ei titulum tribuit Nicolaus, quàm Lothario glorioſo regi, vt patet epiſt. 64. ſicut & Hincmarus in ſua epiſt. quæ refertur hoc cap. Lotharium regem nominat. Quapropter his duobus cap. Lotharium Imp. dixit pro Lothario rege regni Lotharingici, in quo erat Cameracum, qui filius erat Lotharij Imp. & demum obijt anno 869. aut paulò poſt, quem cap. ſeq. vocat Lotha-

rium minorẽ, filiũ Lotharij Imperatoris. Primogenitus enim filius eiuſdem Lotharii Imp. erat Ludouicus ij. qui patri ſuccedens tenuit imperium per annos 20. hoc eſt vſque ad annum 875. quo Imp. factus eſt Carolus Caluus.

Hoc fieri contra ſacros canones aduertens.) Extant plurimi canones ex diuerſis Concilijs apud Gratianum initio diſt. 63. prohibentes, ne quis Epiſcopatum accipiat ab Imperatore, vel laico principe. Tres igitur, de quibus hoc cap. Guntbertus, Tetboldus, & Hilduinus, per Lotharium Regem intruſi, meritò non numerantur in catalogo Epiſcoporum.

CAP. XLIX.

REgum magnifica fuerã nutritus in aula. In qua Cantoris nomine functus eram.) Non verè illi ſentire videntur, qui dicunt Ioãnem fuiſſe cantorem eccleſiæ Cameracenſis, vt Democharis: 19. inquit, S. Ioannes Cantor & Canonicus Cameracenſis eligitur. Quod neque hoc chronicon aſſerit, neque Maſſæus, aut Iacobus Guiſius in annalibus Hannoniæ. Sed erat Cantor in aula Imperatoris, vt hoc epitaphium indicat. Vocabatur autem agnomine Bellus. Præter ea quę ab auctore de eo referuntur, ſubſcriptus legitur hic Ioannes in Concilio Sueſſionenſi anno 866. & Trecenſi 867. vt videre eſt to. 3. Concil. in fine 1. partis.

CAP. L.

HVnc in ordinatione Bertulfi Treuirenſis Archiepiſcopi.) In Annalibus

libus seu Catalogo Archiep. Treuer. à Petro Cratepolio conscripto, vocatur Bertoldus, abbas Mediolacensis, & nepos S. Aduentij Metensis Episcopi, cuius hoc cap. fit mentio, creatus, vt idem scribit, anno 867.

CAP. LI.

CAnonicas libẽter ei litteras tribueret) a. g. canonicos. Quod ne omnino credatur reiiciendum, potuit ita dictum esse eo tempore, sicut apostolos dicimus, pro litteris dimissoriis, qua significatione vtitur T. Liuius, & in iure ciuili titulus est, de libellis dimissoriis qui apostoli dicuntur. Item apostolorum eadem significatione frequens est mentio lib. 6. decretalium, tit. de appellationibus.

Nescicns quid inde sacri decernerent canones.) Sunt de ea re canones Apostolorum 22. & 23. vbi qui se abscidit prohibetur clericus fieri, & si clericus sit, omnino damnari, seu deponi. Rursum canon i. Concilii primi Nicæni: Si quis seipsum sanus abscidit, hunc & in clero constitutum abstinere conuenit, & deinceps nullum debere talium promoueri. Idem habet Concil. ii. Arelatense can. 7. Quæ omnia habentur apud Grat. dist. 55.

CAP. LII.

IN pago Condrense.) Ita omnia exemplaria hoc loco, & c. 112. vbi eiusdem rei fit mentio: In pago Condrensi & Hasbaniẽsi. Verùm infrà hoc eodem cap. lii. omnia legunt

in pago Condroſtinſe, & veriſimilius hoc mutatum in Condrenſe, quàm contrà. De Conduſtro pago Auſtraſiorum loquitur Molanus in Nat. SS. Belgii 2. Octobris. De eodem ſermo eſt apud Aimoinum lib. 3. de geſtis Francorum cap. 25. vbi legitur de Conduſtrio & Condruſt. Petrus Diuæus in lib. de antiquitatibus Belgicæ cap. 4. citatis his verbis ex Iulio Cæſare lib. vi. Segni Condruſiq́ue, de gente ac numero Germanorum, qui ſunt inter Eburones ac Treuiros, dicit eos vernacula *lingua* vocari le Condrous, eorumq́ue oppida eſſe Hoium & Dionantum. Quod quadrat cum hoc publico inſtrumento, vbi ſtatim Hoii fit mentio.

A quodam Machario adquiſiuit.) In Atreb. deleta voce (quodam) eadem manu ſcriptum eſt, à Comite, & in fine huius capitis ad vocem Macharij, adiectum eſt eadem manu, Comitis, ſed extra lineas.

Vel æterna bona retributione.) Videtur legendum æternï boni retributione, vt ſuprà cap 27. in donatione Choneberti.

De terra arabili bunnaria iiij.) G. & a. vbique ferè bunũ. interdum verò br. cum virgula ſuperiacente, ſed ſcriptum fuiſſe in originali geminato n. cum virgula ſuperiacente, bunñ. non dubito, quod lego bunnaria, Gallicè Bonniers, Tentonicè bunders. Eſt certa menſura terræ.

Sunt ibi molendini ij.) Sic hoc loco omnia exemplaria, & Atreb. infrà, vbi g. legit molendina, vti reliquimus, tametſi in MS. correctum

rectum sit molendini. Nota quòd olim dixerint molendinus & molendinum. Aimoinus lib. 2. de gestis Francorum c 24. Molendinos summa vertit velocitate. Sic, masculino genere, molendinus legitur in diplomate Philippi i. regis Francorum, quod datum est anno 1070. vbi loquitur de molendino & furno attributo monasterio S. Martini à campis. Extat in Martinianis.

Est ibi camba j.) Eadem vox legitur infrà cap. 66. Tentonicè Cam, quòd significat officinam coctoriam cereuisiæ. Legitur item hæc dictio Camba, & Cambarius in vita manuscripta S. Mauronti quę est in libro argenteo collegiatæ Ecclesiæ B. Amati Duacensis oppidi. Iacobus Meyerus in annalibus Flandriæ anno 956. Ex Chronicis monasteriorum citat hæc verba: Cum molis duabus & cambis duabus. Eugenius Papa 3. in litteris Romę datis anno 1152. ad Godescalcum Atrebatensem Episcopum, loquens de priuilegio Henniacensibus dato, sic ait: Molendinum aliud cum duobus furnis & camba. In litteris Philippi Elsatij Flandriæ Comitis datis Duaci anno 1188. de ijsdem dicitur. Concessi etiam eis, vt liceat in perpetuum furnos & cambas facere, & etiam molendinaria caballaria, saluo iure meo. Denique in litteris Philippi regis Francorum datis anno 1196. quæ ad verbum interseruntur litteris Philippi etiam Francorum regis, pronepotis eiusdem, filii videlicet S. Ludouici datis Parisiis anno 1280. (extant in archiuis scabinorum Henniacensium) sic legitur, de vnaquaque Camba, quæ sita est in curtillo de ren-

ta duas culpas ceruiſiæ de vnoquoque braſsino. Sic ibi. Quę potius Gallica ſunt quàm Latina, ſed pro culpas, legendum cupas. Ex quo loco patet ſignificatio ſupra poſita, vt videlicet Camba ſignificet officinam cereuiſiariam, præſertim publicam. Vt enim paſſim ex molendinis ſic alicubi, vt Henniaci & Harnis ex furnis, alicubi ex publicis officinis cereuiſiæ coctoriis vectigalia magna ſoluebantur. Et ſicut in multis locis ad vnum molendinum, ſic ibi ad vnum furnum, & ad vnam illam coctoriam, quàm Gallicè dicimus braſſerie, omnes adire tenebantur. His planè conſentit Cornelius Kilianns in docto ſuo Etymologico Teutonicæ linguæ, vbi ſic habet: Kam, Kāme vetus. i. Brouvverye. Kammer. i. Brouvver, Kammerſtraete. i. Brouvverſſtraete, Kamſtock, tridens cereuiſiarius.

Quæ colligunt in ſumma manſi xxxj. & inter terram arabilem & prata ad dominicatum pertinentia buñ. cxl.) Prior numerus manſorum exactè conuenit: ſed in poſteriore error eſt in notis numerorum ſic reſtituendus, CLX. aut CLXI. Hic enim numerus ex præcedentibus ſummis conficitur, & facilè contingere ſolet notarum tranſpoſitio.

Et de ſilua buñ. DC. *& eo amplius.*) Summæ præcedentes exactè conficiunt ſexcenta bunnaria.

Peruia, vua, diſcapia.) In Atreb. legi poteſt vna dictione uuadiſcapia, quomodo videtur etiam g. habuiſſe, ſed correctum eſt vt ſint duæ dictiones. Similiter infrà in vtroque iam dicto exemplari legitur vvadiſcapia. R.

hoc

hoc loco & infrà legit inuia, diſcapia, ſed in margine infrà ponit uuadiſcapia. Videtur autē intelligi loca quæ pertrāſiri nō poſſunt propter aquarum copiam, vt vua ſit idem quòd vuida, id eſt humida. Gallicè & Teutonicè Maras aut Moras.

Qui colligunt in ſumma manſi XLIIII.) Vix poteſt computari, quia deeſt numerus abſorum in poſtremo articulo, ſine quo inuenio 39. deeſſent igitur quinque.

CAP. LIII.

EXcreſcente denique diſcordia inter Karlenſes & Lotharienſes.) De hac & infrà cap. 95. 96. & 100. Vnde facilè patet eam per centum annos duraſſe. Hæc ex eo eſt orta, quòd Carolus Caluus rex Francorū occupaſſet Lotharii nepotis ſui regnum, quod iure hereditario Ludouico ii. Imperatori, fratri Lotharii debebatur, idque probatur ex epiſt. Adriani Papæ ſecundi 10. 12. 15. & octo ſequentibus. Factum id fuerat, auctoritatem addente conciliabulo Metenſi, cuius acta extant apud Baron. anno 869. to. 10. & de eo agit Binius in tomis Concil. to. 3. parte 2. Vt autem hiſtoria clarior euadat, notādum ex geſtis Francorum lib. 5. c. 19. apud Aimoinum, Ludouicum Pium quatuor filios reliquiſſe, Lotharium, Pipinum, Ludouicum, & Carolum Caluum. Ex quibus, vt ibidem dicitur, Carolus qui appellabatur Caluus, regnum Francorum, & poſtmodum Imperium Romanū obtinuit. Lotharius verò partē Frāciæ ſibi vendicauit, quę vſque in hodiernū diē ex ſuo

nomine Lotharii regnum appellatur. Ludouicus autem Burgundiam sibi vendicauit, vnctusque est in regem. Pipinus Aquitaniã possedit. Porrò Lotharius successit patri suo in imperium anno 840. idque tenuit annis 15. hoc est vsque ad annum 855. cui successit Ludouicus ij. filius ipsius, & imperauit annis 20. Frater verò huius Ludouici ij. Lotharius Lotharingiam tenuit, vsque ad annum 869. Quo anno Lothario defuncto, Carolus Caluus nepotis sui regnum occupauit. Hinc nata discordia, quæ diuisione regni Lotharii inter duos fratres filios Ludouici Pii, videlicet Ludouicum Germaniæ regem, & Carolum Caluum ad tempus sopita est, de qua diuisione habes ibidem apud Aimoinum cap. 25. ex quo etiam patet quàm latè patuerit Lotharii regnum.

CAP. LIV.

IN conuentu synodali impetebatur.) Videtur intelligere Concilium Vermeriæ à xx. Episcopis habitum, in quo fuit condemnatus Hincmarus Laudunensis. Vide adnot. ad cap. 22. lib. 3. Flodoardi.

Qui itaque, secundum Africanum Concilium, iudices electos expetijt.) Intelligit Cõcilium Africanum ex variis synodis collectum, quod extat to. 1. Concil. Idem fuerat antè constitutum in Concilio Nicæno (etsi in eo hodie non extet) vt patet apud Grat. 11. q. 1. cap. 4. Iudices, vbi sic habetur. Iudices autem alii esse non debent, quàm quos ipse, qui impetitur, elegerit, aut quos suo

cum

cum consensu hæc sancta sedes, aut eius primates, auctoritate huius sanctæ sedis delegauerint.

CAP. LV.

POstquam autem ipse domnus Iohãnes dormitionẽ accepit in Christo.) Vixisse saltem vsque ad annum 874. constat ex iis quæ adnotaui suprà ad cap. 22. Eo enim anno Duaci corpus S. Amati in ecclesia, quæ nunc ab eodem nomen habet, honorificè collocauit, vt ibidem adnotauimus. At vlteriùs sedisse ad annum vsque 879. ex Gazęo colligitur, qui eo anno ponit Rothardum successisse.

CAP. LVIII.

SAncto verò Iohanni in Episcopium Rotradus successit.) videlicet prædicto anno 879. Sic autem nomen huius pontificis legunt g. & a. tam hoc loco, quàm suprà c. 47. & infrà c. 60. At r. iisdem locis Rotardum legit, sicut & Guisius & Massęus; Demochares Rotardus inquit siue Robertus: Alii Rothardum scribunt, & Rotrardum.

CAP. LIX.

INter huius seditionis tempestates vocatus episcopus, diem clausit.) Anno videlicet 886. vt patet ex cap. sequenti, & testis est Massęus, qui eum titulo sanctitatis exornat, vti & prędecessorem eius, his verbis: Tandem à clero populoque Ioannes est electus,

electus, vir clarus miraculis. 20. Rotardus, & ipſe ſanctus. Sic ille. Idipſum confirmatur ex eo, quòd Gazęus ſcribat corpus ipſius tranſmiſſum in Germaniam cum corpore S. Theodorici, de qua re infrà cap. 77.

CAP. LX.

SEquitur Dodilo Epiſcopus.) Hunc fuiſſe monachum & Præpoſitum monaſterij S. Vedaſti teſtatur Breuiarium Atrebatenſe die 15. Iulii, in hiſtoria relationis S. Vedaſti, quæ per eum facta eſt, à Bellouaco videlicet (quò tempore Theoderici epiſcopi ob Normannorum rabiem, fuerat tranſportatum) ad proprium ac ſui nominis monaſterium. Vide infrà cap. 106.

Hic vnam iuris ſui villam, Buxerias nomine.) &c. De hoc villa à Dodilone data Eccleſię Cameracēſi, à me requiſitus reſpōdit eiuſdē eccleſiæ canonicus doctiſſimus, I. V. Licent. Petrus Preudhōme. Pro Buxerias in diuerſis libris Gallicis MSS. inuenio vbiq; Bouſſy. Eſt autē hoc nomine pagus tēporalis ditionis & iuriſpatronatus eccleſię B. Mariæ Cameracenſis, medio ferè itinere, inter Cameracum & Bapalmas ſitus, celebris propter ſacras reliquias capitis S. Audoëni, quondam Rothomagenſis Archiepiſcopi. Qua occaſione plurimi vocant Sainct Auvvain. Vel Bourſy interiecto r. Credo ipſum eſſe quem auctor vocat Buxerias. Alioquin non reperio quando, aut quo modo ad ius dictæ Cameracenſis eccle-

ecclesiæ accesserit. Quod ante quadringentos & amplius annos factum constat per scripta authentica documenta. Hęc ille.

CAP. LXI.

TOtum hoc caput verbotenus desumptũ est ex Flodoardo lib. 4. hist. Remensis ecclesiæ cap. 6. vbi vide scholia, & de rege Odone ibidem ad cap. 5.

CAP. LXII.

ILlo etiam petente Arnulfus rex.) Hic rex appellatur qui suprà c. 58. Imperator. Rationem vide in scholiis ad dictum c. 5. lib. 4. Flod. & Baron. to. 10. anno 888.

Concessimus ad habendum.) Ita correxi ex litteris originalibus, quomodo etiam suprà legitur cap. 37. & infrà 76. & 107. Alioqui hoc loco omnia nostra exemplaria legunt adhibendum, quomodo & copia authentica c. 76. videtur habere.

Ex iudiciaria potestate, nostram, vel antecessorum nostrorum Regum auctoritatem violare præsumat.) Ita hîc omnia exemplaria. At originalia harum litterarum, & earum quæ sunt infrà cap. 107. omittunt dictionem (auctoritatem) sicuti capitulo 76. & 107. in omnibus nostris exemplaribus omittitur. Quod si approbemus, illud (nostram) substantiuum habebit (potestatem) Tamen quia vsitatiùs dicitur violari auctoritas regia, quàm

quàm poteſtas, & quia dictio (auctoritatem) ſuprà habetur cap. 37. & dictio (conſtitutionem) in authentico exemplo, quod vulgus copiam vocat, cap. 76. ex quo textui adiecimus, idcirco & hoc loco eam retinendam cenſuimus.

Signum domni Arnulfi.) Originale Arnolfi, poſt quam vocem immediatè ſignum interſeritur, deinde poſt vocem regis, linea vna demittitur. Sic & in aliis diplomatibus ſignũ proximè ſequitur nomen ipſius regis vel Imperatoris, quod in typis vbique exactè ſeruari non potuit.

CAP. LXIII.

HIc ordinationi Heriuei Archiepiſcopi cum ceteris interfuit.) Et hoc quoque capitulum deſumptum eſt ex Flodoardo lib. 4. cap. 11. Cum autem conſtet ex iis, quæ habet Flodoardus ibidem cap. 10. & 17. & eiuſdem Chronico (iuxta ea quæ ad cap. illud 10. adnotaui) factam fuiſſe ordinationem Heriuei anno 900 die 6. Iulii, pariter conſtat, ad illum vſque annum vixiſſe Dodilonem. Quare falluntur Maſſęus, & ex eo Demochares ſcribentes eum obiiſſe anno 890. Quod etiam refellũt litterę Arnulfi regis per eum impetratæ anno 894. fallitur & Gazæus qui obiiſſe ait anno 895.

CAP. LXIIII.

KAlendis Auguſti ſolenniter conſecrauit.) Quo anno Dominicæ incarnationis

nationis hęc dedicatio Eccleſię B. Mariæ Cameracenſis contigerit, non ſatis conſtat. Quidam ſignant annum 890. alii 901. alii aliter.

In ipſoque ſanctæ Mariæ monaſterio, ad ſeptentrionalem plagam ſepultus eſt.) Non rectè igitur Gazęus Dodilonẽ ſepultum eſſe ait in abbatia Lobienſi. Neque obſtat, quòd hodie nullum ſuperſit in Eccleſia Cameracenſi ſepulturæ ipſius veſtigium, quoniã tota templi præſens ſtructura recentior eſt: in qua omnium, quæ viſuntur, ſepulchrorum antiquiſſimum eſt Nicolai primi eius nominis Epiſcopi, ſub campanili, qui obiit 1167. Geſtis autem eius hoc ex Maſſæo & aliis adiicimus quod corpus ſancti Autberti tranſtulerit ad dictam eccleſiam ſanctæ Marię. Sed indè rurſum ad propriam eccleſiam eſt relatum per Gerardum primum anno 1015. vt eſt in fine vitæ S. Autberti per Fulbertum ſcriptæ.

CAP. LXV.

HIc interfuit ſynodo quam habuit Seulfus Remorum Archiepiſcopus, ſucceſſor Heriuei in villa Troſlegio.) Hæc omnia ad finem vſque cap. deſumpta ſunt ex Flodoardo lib. 4. cap. 19. Extant autem breuiter acta huius ſynodi prouincię Remẽſis to. 3. Conc. parte 2. vbi vocatur Cõciliũ apud Troſleiũ, eſtq; habitũ anno 924. Locus nõ procul diſtat ab vrbe Sueſſonica. Interfuiſſe reperitur Stephanus Cameracenſis epiſcopus etiã alteri ſynodo Troſlegienſi habitæ ſub Heriueo Remenſi epiſcopo anno 909. quæ extat

eodem

eodem tomo. De qua vide ſcholia noſtra ad cap. 14. lib. 4. Flodoardi.

CAP. LXVI.

OLim largiente Zuentebolcho Rege.) Ita, conformiter originali, duo præſtantiora noſtra exemplaria, ſed tertium r. Zvvenzeboldo. Infrà cap. 112. vocatur Cendeboldus. Fuit autem filius Arnulfi Tranſrhenenſis ex concubina, quem pater regem Lotharienſium conſtituerat. In Flodoardo ſcribitur Zédeboldus & Zeudeboldus: vide ſcholion ad cap 4. lib. 4. Regino Zundibolchum nominat.

Pago quidem Cameracenſi, Carneres, Lis, Venzenzias, Muntiniacum, Gualtercurt, Gundreceias.) Ex his locis pagi, hoc eſt agri ſeu territorij Cameracenſis, duo ſua adhuc retinent nomina, Carnieres & Montiniacum, Gallicè Montigny, quæ ſita ſunt quaſi in meditullio ipſius terræ Cameracenſij.

Lis, inquit ſupradictus dominus Preudhomme, exiſtimo eſſe pagũ quem nũc appellamus Neuuelis, ad diſtinctionẽ alterius dicti Vieſlis. Diſtat Cameraco hodiernis noſtris miliaribus quatuor, à Caſtello Cameracenſij vno. In chartis geographicis ſcribitur Neufuely.

Venzenziæ, vel, vt originale hoc loco habet, Venzelzeiæ, ſeu Vendelgiæ, locus fuit vbi poſtea ædificatum eſt oppidum, quod dicimus Caſtellum Cameracenſij, olim & Perona, & Caſtellum S. Mariæ nominatum, vt patet infrà cap. 112. vbi plura adnotauimus, & lib.

lib. 3. cap. 49. Remansit tamen ecclesia de Vẽdelgeias in suburbio. Hinc cùm Gerardus primus Episcopus cœnobio apud nouum castrũ sanctæ Mariæ, in honore sancti Andreæ, nec non Philippi & Iacobi, & sanctæ martyris ac virginis Dei Maxellẽdis, à se constructo, dotem assignaret, inter alia exprimit ecclesiam de Vendelgeias, quam commutaui, inquit, cum fratribus sanctæ Mariæ, pro alodio de Fontanis, ecclesiam de Ferrarias &c. Ex Cõradi Imperatoris diplomate anni 1033. & Gerardi Episcopi litteris anni 1046.

In eoruudem litteris fit mentio Gundreciarum, videturque locus fuisse circa opidum Castelli Cameracesij.

Gualtercurt, quod sonat Gualteri curtem, fortè est, quod in litteris Lietberti Episcopi, & in litteris Apostolicis, Eugenij tertij, Alexandri iij. & Lucij iij. vocatur altare siue ecclesia de Wahiercurt, seu etiam villa & allodium de VVahiercurt, semperque adiungitur altari & allódio de Ribecourt, quod distat à Cameraco duobus miliaribus, via quæ ducit Peronam.

CAP. LXVII.

ABbatiunculam dictam Marcllias.) Sic omnia nostra exemplaria, & similiter initio huius capitis, vbi r. addit, seu Maricolis. Collatæ sunt hę litteræ ad duo exempla, seu copias authenticas, quæ seruantur in archiuis Metropolitanæ ecclesiæ Cameracẽsis,

quorum vnum hoc loco legit Marellias, alterum Maricolas, infrà autem ambo Marellias, vti & noſtri codices.

Ad prædictam ſedem ſanctæ Mariæ perpetualiter ibi habendam.) & infrà ſimiliter. Ita ambæ dictæ copiæ, & codex Atrebatenſis. Reliqui videlicet g. & r. reſpiciendam. Sed in g. noua manu ita correctum eſt, deleta ſcriptura veteri, ſicuti & in ſummario huius capit. pro contulit, commiſit, & in ipſo diplomate pro largiremur, committeremus, ſcriptum eſt. Poſt vocem, appendet, pro habendum, poſſidendum; mutatum eſt, conſeruandum, amplificandum. Et mox infrà: faciantque rectores eius eccleſiæ: faciantque fratres ipſarum eccleſiarum. Et rurſum ad opus S. Marię, mutatum, ad opus fratrum. Quod verendum ne malitiosè ſit factum ab aliquo, qui voluerit diploma corrumpere, ſicut & alia quędam toto hoc cap. in illo exemplari mutata erant, vt nuſquam alibi tanta fuerit codicum diuerſitas, quæ omnia reſtituimus: tum quia raſuræ ſuſpectæ ſunt: tum etiam quia omnis illa mutatio & interpolatio recens eſt, facta manu illius qui ſuprà cap. 18. ea adiecerat quæ conſtat de textu non eſſe. Conſentit quidem cum hac mutatione exemplar r. ſed quod ipsũ tam recens eſt, vt non amplius quàm à 60. annis deſcriptum videatur.

CAP. LXVIII.

EPiſcopus iſte ex Alſatio pago natus.) Hinc patet fuiſſe natione Germanum, nimirum ex prouincia Alſatia.

Clau-

Clauſit diem anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXIV. III. idus Februa.) Conſentit chronicon Sigeberti à Miræo editum. Quare multum fallitur Maſſæus, & eum ſecuti Iacobus Meyerus & Democharcs, qui obiiſſe ſcribunt anno 895. Gazæus anno 924. Noſtro auctori ſatis conſentit Flodoardus diligentiſſimus ſcriptor in chronico. Quia enim menſe Februario obiit, & ſic ante paſcha, conciliari poteſt quod ſcribit Fulbertum Stephani ſucceſſorẽ ab Artaldo Remẽſi Archiepiſcopo ordinatum anno 933. videlicet vt iuxta diuerſam computationem idem ſit annus 933. & 934. Quamuis tamen Flodoardus annum à Chriſti natiuitate exordiri videatur (vt hodie fit Romæ), idque probatur ex initio anni 928. eiuſdem chronici, & ſic foret differentia vnius anni.

CAP. LXIX.

DOmino Stephano Fulbertus ſuccedens.) Fulbertum fuiſſe filium Ducis Brabantiæ, ſcribit Maſſæus, & ex eo Meyerus, Democharcs, & Gazæus. Hoc cap. dicitur ex pago Brabatenſi, de villa videlicet Wiluua ortus. Qui locus lib. 3. c. 49. Wileue dicitur. Eſt in Brabantia parochia Woluënſis, in qua ſitum eſt monaſterium Rubeæ vallis, vbi colitur B. Maria Doloroſa, de qua Molanus 18. Iunii. Verùm an ea ſit, mihi non certò conſtat.

CAP. LXX.

TVnc temporis Iſaac Comes.) &c. Hunc eſſe eundem de quo ſuprà cap. 65. non videtur dubitandum. Erat autem Comes Cameracenſis.

CAP. LXXI.

INterea Gallorum princeps, Hugo videlicet, qui dicebatur magnus.) Quis iste Hugo Magnus, vide notas nostras ad Flodoardum libro 4 c. 28.

Willelmus quoque Rotomagensium dux ferociſſimus.) Hic est Guilelmus cognomento de longa Spata filius Rhollonis.

CAP. LXXII.

SEd & alteram abbatiam, quam suprà diximus.) videlicet Marellias, seu Maricolas, de qua c. 67. & 70.

Aut mallum tenendi.) Vox illa frequēter occurrit in capitulis Caroli Magni, & Ludouici Pij. vt lib. 3. cap. 22. Nullus ad mallū vel ad placitū infrà patriā arma, id est, scutū & lanceā portet. cap. 57. mallos publicos legimus. Lib. 4. cap. 28. Mallus neq; in ecclesia, neq; in atrio eius habeatur. Et multis alijs locis, quæ allegat Pithœus in glossario & exponit hoc modo: Mallus maius placitum siue de maioribus causis, vbi quem præsentem adesse oportuit. Est autem Teutonicę originis, qua lingua (mael) congregationem significat, vt auendmael, id est cœna, seu congregatio ad vesperam siue cœnam. Item (mael) vetus Saxonicum significat Ius, legem, iudicium, & conuentum iuri dicundo deputatum, vulgò mallū & mallus, inquit Cornelius Kilianus in Etymologico Teutonicæ linguæ.

CAP.

CAP. LXXIV.

IVxta Scalth fluuium concedebant.) Ita a. & r. G. legit concidebant. Fortè legendum consîdebant. Intelligit autem Scaldim fluuium, qui non procul à Cameraco primam capit originem.

CAP. LXXV.

QVæ hoc cap. de translatione S. Hermetis dicuntur, paulò pleniùs tractat Molanus in Natalibus SS. Belgij die 28. Augusti.

De Rotnascе villa Brabatense, &c. ad monasterium villæ Endæ, quæ iuxta Aquisgranũ sita est, primò asportatur.) Rotnascе municipium est quod alio nomine Rotnacum, quomodo hîc scripsit r. & integrè Rotornacum dicitur, Gallicè Renay, Flandricè Ronse. Fuit olim abbatis Indensis per donationem Ludouici Pij, vt patet infrà lib. 2. c. 44. villa Brabantiæ, diœcesis Cameracensis. Sed diuenditũ Guidoni Comiti, accessit Flandriæ, & nunc est diœcesis Mechlinien sis. Pro Enda, quomodo cõstanter legũt omnia nostra exemplaria, vsitatiùs Inda apud auctores legitur.

Villam quæ ab incolis Neuuehoua nuncupatur.) Flandricè Nieuwenhouen, distat non procul à Gerardimontana, & Ninouia ciuitate.

CAP. LXXVI.

DAta tertio Kal. Iunij, anno autem ab incarnatione Domini nongenteſimo xl. indictione xiij.) Hæc verba adieci ex authẽtico exemplo, quod adſeruatur in archiuis eccleſiæ B. Mariæ Cameracenſis, quæ deerant in noſtris codicibus. Hinc autem conſtat diploma hoc datum eſſe ſeptem annis ante illud quod habetur ſuprà cap. 72.

Actum eſt Engeleheim.) Sic g. & exemplum authenticum, eſtque hęc vera lectio, cui accedit a. Actum eſt Ingeleheim. r. Actum eſt in Ingeleheim, ſed infrà c. 78. Engelẽheim, vbi alia exemplaria habent Engulenheim. Nũc ferè per cõtractionem ſcribi ſolet Ingelheim. Erat autem palatium & oppidum Imperiale non procul à Mogũtia, in quo aliquot Concilia ſunt celebrata.

CAP. LXXVII.

OTto iſte glorioſus princeps &c. iamque xiiij. Pontificalis magnificentiæ ſedibus conditis, quandam etiam Metropolim Magadaburch vocabulo ſtruxit.) Sic g. & r. & ſimiliter lib. 3. capitulorum Caroli Magni cap. 6. Magadoburg Atreb. vitioſè ſcribit Magnadaburch Chron. Sigeberti anno 939. prout ex MSS. illud edidit Miræus, Magataburch, & in margine, Magdeburch, quod eſt vulgatum eius ciuitatis nomen ſitę in Saxonia, quomodo etiam legunt

alia

alia excusa Sigeberti Chronica. Hęc autem ciuitas post 30. annos à prima fundatione, erecta est in Metropolim, vt scribit Albertus Crantzius in sua Metropoli lib. 3 c. 28. Declaratur autem hinc insignis pietas Ottonis 1. Imperatoris, qui & Pius cognominatur, & Magnus; ab alijs verò Gloria mundi.

Duorum sacerdotum corpora, sancti videlicet Theoderici Episcopi, de quo suprà diximus, & alterius cuius nomen excidit.) Fuisse pariter Episcopum ex eo probatur, quia dicit duorum sacerdotum, quod nomen apud antiquos solis tribuitur Episcopis. Quis autem fuerit non certò constat. Quidam Rotardum dicunt, ait Molanus in Nat. SS. Belgii die 5. Augusti, idemque asserit Gazęus, tam in Theoderico & Rotardo, quàm in Fulberto, sicut & catalogus Gall.

Librum quem Fulbertus doctor clarissimus de vita sancti Autberti, iubēte dōno Episcopo Gerardo inscripserit, legat.) a. g. kariſſimus. Laurentius Surius to. 6. die 13. Decembris sentit illam vitam S. Autberti, quàm ibi ponit, etsi MS. codex eius nomen nō habuerit, ab hoc doctore Fulberto scriptam esse, eique subscribit Molanus in Nat. dicto die, idque probatur ex fine eiusdem vitæ, ex quo constat auctorem illius vitæ fuisse coëtaneum nostro chronographo, & sub Herluino, & Gerardo primo vixisse. Vide adnotat. suprà ad cap. 17.

CAP. LXXVIII.

TOtum hoc caput desumptum est ex Flodoardo lib. 4. cap. 35. ex quo nonnulla verba suppleui, vbi vide nostras adnotationes.

Gestis Fulberti illud adijciendum, eum primum fuisse, qui struxit castrum Cameracesiũ, vt scribunt Guisius, Democharcs, & alij. Plura vide ad cap. xviij. lib. 2. Ad tempus obitus ipsius quod attinet, scribit fideliter Flodoardus in suo chronico his verbis anno 956. Fulbertus Cameracensis Episcopus defungitur, & ipsum Episcopium cuidam Berengario Transrenensi clerico tribuitur, nepoti Bouonis Catalaunensis quondam Episcopi, qui Remis ordinatur ab Artoldo Episcopo. Sic ille. Cùm autem sedere cœperit, vt constat ex c. 68. anno Domini 934. sequitur eum sedisse annis 23. Fallitur itaque multum Massæus, & eum secutus Democharcs, qui obiisse scribũt anno 1001. Qui cùm eius prædecessorem Stephanum obiisse scribant anno 895. sequeretur Fulbertum fuisse plusquã centum annis Episcopum.

CAP. LXXIX.

BErẽgarius hũc in Episcopio secutus.) Quo anno, iam dictum est ex chronico Flodoardi, nempe 956. sed quamdiu rexerit nusquam inuenio, verosimile non diu. Gazęus qui Berengarium successisse ait circa annum 950. Berẽgarii successorem Engrãnum ponit episcopum esse factum anno 958. atque ita relinquit ei annos circiter octo. Verùm vix ei posse tribui vnius anni spacium, ex auctore nostro

ſtro ſic deduco. Engrannus ſedit annis tribus, Ansbertus quinque, VViboldus vno ferè anno quæ ſimul fiunt nouem, & ſic peruenitur ad annum Domini 964. quo anno Tetdonem ſucceſſiſſe, & iam Epiſcopum fuiſſe patet infrà ex cap. 99. vbi dicitur, quòd Arnulfo ſene Flandrenſium Comite mortuo (mortuus eſt autem iam dicto anno 964. ſexto Calend. Aprilis, poſt xlviii. ſui principatus annum, vel vt chron. Flod. anno 965.) mox Lotharius rex Flandriam ſit ingreſſus, & Atrebatum, Duacum, & alia loca omnia ad Liſam vſque inuaſerit, & per hoc maximum metum Teddoni incuſſerit. De qua inuaſione facta ſtatim à morte Arnulfi, teſtes quoque ſunt ibidem Meyerus & Flodoardus. Quia tamen fieri potuit, vt prædicti trium Epiſcoporum anni non ſint pleni, idcirco aliquid ſpacii Berengario relinquitur.

CAP. LXXX.

ARnulfum quoque Flandrenſem Comitem adiuit, villamque Lambras pollicitus.) Hic eſt Arnulfus Flandriæ Comes cognomento Magnus, de quo iam dictum eſt, quẽ auctor infrà c. 99. vocat Arnulfum ſenem. Vt enim ait ibidem Meyerus: Huic Arnulpho dum floreret ætas, Pulchro ac Magno, in præcipiti verò ſenectute Seni fuit cognomen. Lambræ iuxta Duacum notiſſimus pagus eſt, de quo infrà cap. 98. & lib. 2. cap. 21.

CAP. LXXXI.

IN ſummario huius capit. vbi dicitur, *& duas villas Coureng & Ferroras*, in a correctum eſt Condreng & Ferreras. Videtur locus idē eſſe qui ſuprà cap. 66. vocatur Gundrecias. Ibidem in notis facta eſt mentio eccleſiæ de Ferrarias. Gallicè de Ferrieres. Eſt autem territorium Ferrarienſe Caſtello Cameracesio conterminum, extenditurque circa S. Benignum & circa Balduini vallem (colonia erat olim cœnobii Vallis cellarum, nunc menſę Archiepiſcopalis.) & eccleſia Cameracenſis habuit aliquando in illis locis aliquot terrę carrucetas, & partem terragiorum, vt vetera ſcripta loquuntur, quorum quędam ab hinc annis propè quadringentis & quinquaginta, ceſſit monachis Valcellēſibus ſub certo annuo cenſu ſtumenti & auenæ, quo adhuc fruitur.

CAP. LXXXIII.

QVi templum beatiſſimi confeſſoris violare non timuit.) Videlicet S. Gaugerici, & idcirco meritò ab eodem, baculo percuſſus interiit. Quia per quæ peccat quis, per hęc & torquetur. Sap. 11.

CAP. LXXXIV.

POſt huius exceſſum Engrannus.) Sic conſtanter omnia noſtra exemplaria. Maſſæus Inguelramus, & ſimiliter Democha-

res,

res, addens, seu Enguerannus. Alii Engramus.

Obtentu Brunonis præfati archipatris.) Hoc est per obtentionem & interuentionem. Sic & alias sæpe loquitur, vt infrà c. 101. Brunonis facta est mentio cap. 72. & 80. vbi de eo dicitur quòd monarchiam regni sub fratre tenebat. Quod & reperitur infrà c. 94. & cap. sequenti videlicet 85. vocatur Dux & Archiepiscopus, scilicet Colonienſis. Erat autem frater Imperatoris Ottonis primi. Agit de eo Molanus in Nat. SS. Belgii 11. Octobris, & Arnoldus VVion in ligno vitæ in adiunctis pag. 907.

CAP. LXXXV.

IN summario huius cap. *Quia secũ præceptum non gessit.*) Hoc est rescriptum principis nõ attulit. Ita enim & suprà frequẽter ea voce vtitur, sicut & capitularia interdum, & Gregorius Turonensis & Aimoinus. Vide glossarium Pithœi.

CAP. LXXXVI.

HVius funebritati interfuit Hadulfus Nouiomensis Episcopus.) Hic Hadulfus ordinatus fuit anno 955. & obiit 967. postquam fuisset prolixo tempore paralysi percussus, vt ait Flodoardus in chronico.

CAP. LXXXVII.

SEquitur Ansbertus, vir videlicet litteralibus disciplinis eruditus.)

Sic

Sic constanter nomen illud scribunt omnia nostra exemplaria, & Massæus, nec aliter vocatur in scriptis monasterii S. Autberti. Gazęus Ausbertus. Guisius, Demochares, & Arnoldus VVion lib. 2. ligni vitæ c. 39. Autbertum nominant. Litterales disciplinas vocat Grammaticales. Vtitur eadem voce Fulbertus auctori synchronus in vita S. Autberti, c. 1.

Qui tunc Atrebatensis monasterij æquè monachus, atque Cameracensis ecclesiæ Archidiaconus.) Etsi infrà lib. 2. c. 13. & alibi Cathedralem ecclesiam vocet monasterium S. Mariæ Atrebatensium, hîc tamẽ omnino videtur intelligere monasterium S. Vedasti: tum quia monachum vocat: tum quia addit hoc loco, quòd res S. Vedasti in pago Baduensi prouidebat. Sic enim restitui pro præuidebat. His consentit Arnoldus VVion vbi suprà, sed fallitur in eo, quòd scribat eum vixisse anno 1015. Præfuit annis quinque, vt est in textu. Quare iuxta ea quæ notauimus ad c. 79. sequitur eum obiisse anno 963.

Arnulfum quendam illustrem Comitem multis beneficiis conductum sibi adsciuit.) Hunc omnino apparet fuisse Arnulfum cognomento Magnum, Comitem Flandriæ, quem suprà ad cap. 79. ex hac vita migrasse adnotauimus anno 964. vel iuxta Flodoard. 965.

CAP. LXXXVIII.

SEquitur VViboldus.) Sic omnia exemplaria, atque ita scribendum certissimè docet carmen in fine huius capitis. Guisius scribit

GNO EXCISA SPECIEM P

FERRET FERE TABVLA

aleatoriarum.

NVMERVS Romanus, isq; J
receptaculis quasi thecis, est nu
quæque alea iacta ostentat; quæ
mero simul iaciuntur, fit vt nu
in vnoquoque sint receptaculo
rithmicus inferius positus, est summa numeri R
vnii coniuncti. Qui quidē numerus inferior, lic
Iudi parii faciat (præsertim quoad indoctos, qui ta
re poterit alioquin vti) Wiboldus tamē ingenios
inter se numeri comparatione, eiusq; ad alios etia
bbatur; Philonem Iudæum, Platonē, Pytha
è longinquo sequutus. Quomodo, & quibus in h
storia contingat, & quænā illa sit, ex descriptione
adnotationibus intelligetur. Numerus in his tab
receptaculo dependens, est index modorum omniu
tres tesseræ simul proiectæ cadere poterunt, à min
sunt monades tres) vsque ad maximum numeru
dum trium. Sunt enim modi in vniuersum quinqu
consequens, totidem virtutes, pro quarum
comparatus est. Nos verò hîc non æquali
timus propter solius chartæ formam. It

RÆ SE

RVM

uperior in ſingulis
merus quem vna-
aleæ quia tres nu-
meri Romani tres
Numerus verò
omani triplicis in
t ad praxin ipſius
men hoc ludi gene-
ſſimè de vtriuſq;
relatione philoſo-
ricos, vt videtur,
oc ludi genere vi-
auctoris, noſtriſq;
ulis ab vnoquoque
m quotquot modis
imo numero (qui
m, qui eſt hexa-
ginta ſex; ac per
totus ludus
qualia fe-
alteram

Digitized by Google

R

R

ſcribit VVilbodus. Maſſæus & Gazęus VVibaldus. Porrò ludus clericalis huius VViboldi Epiſcopi, qui toto hoc cap. deſcribitur, extra hiſtoriam eſt, & tam obſcurus, vt quædam, fatear me non intelligere. Bene tamen accidit, quòd hîc præclarum ſubſidium repererim. Nam clariſſimus I. V. Doctor, & Profeſſor Boëtius Epo, Academiæ noſtræ Duacenſis ſingulare decus, hunc ludum aliquando admiratus, in tabulas, quas partim typis excudi, partim in æs incidi curauimus, eum redegit. Qui & ipſe fatetur in ſchedis (quas à filio ipſius Epone Boëtio, itidem Academiæ noſtrę I. V. Doctore & Profeſſore clariſſimo accepi) ſe interpretationem quorundam ab auctore ipſo obſcurius dictorum, per quendam recentiorem accepiſſe, quibus nonnulla adiecit. Ex his igitur, & aliis quæ nobis occurrerunt, in gratiam eorum qui fortè his delectabuntur, hæc adnotamus.

Primò ludum hunc ſimilem eſſe ludo Pythagorico, ſeu philoſophico, de quo extat libellus Pariſiis excuſus in 8. anno 1556. hoc titulo: Nobiliſſimus & antiquiſsimus ludus Pythagoreus (qui Rythmomachia nominatur) in vtilitatem & relaxationem ſtudiorum comparatus, ad veram & facilem proprietatem & rationem numerorum aſſequendam, nunc tãdem per Claudium Buxerium Delphinatem illuſtratus.

Secundò ad intelligentiam textus, nota in ſingulis virtutibus (ſunt autem 56.) poſteriorem numerum ſemper adæquare tres numeros priores virtuti prępoſitos.

Tertiò

Tertiò obſerua quàm pulchro ordine virtutes recenſeat, primò Theologicas, deinde Cardinales, mox alias, quæ ad iſtas reducuntur, aut ex iis deducuntur.

i. i. i. Karitas ij.) Quia infrà in pyramide ſeu triangulo litteram K. vt conſonãtem vult inſcribi, ne fruſtra id fiat, ſecuti quoque vetuſtiſſimum exemplar S. Giſleni, ita hic ſaltem ſcribendum cenſemus. Nec mirum, cùm fateatur inferiùs orthographorum regulas ad plenum hîc non obſeruari.

Comere ludum.) id eſt componere, & ornare. Pro quo malè r. ſcripſit condere.

Cum ſua multimoda ſubole nominatam. r. ſobole nominatim.

Et ſingularis quibuſq; numeros ſortibus tali moderamine congruos aptemus.) &c. r. ſingulares. Faciliùs ſenſum tenemus VViboldi, quàm ordinamus tam confuſam pericopen. Ait VViboldus ſe cuique virtuti daturum numerum aliquem, qui vni ſoli congruat, quemque fruſtra alibi requiras. Id autem ſic intellige, vt cuborum ſuperficies ſuperiores attendas, quarum ſingularum numeros in latere virtutum requirere cogaris. Vt ſi verbi gratia, iactis cubis habeas tres binarios, hos ad latus compunctionis reperies, alibi nuſquam. Alioqui ſi tres binarios pro ſenario numero accipias, eundem reperies in iuſtitia, & pace.

A principali ſiquidem principalis.) &c. Vt apertiùs dicamus, ait ſe vnitati numeros adieciſſe vſque ad ſenarium, quotics potuit varian-

variando, & ad numerum 21. differentes numeros reperiſſe, ac viginti ſanctæ matris, id eſt caritatis filias, quas intenies nnmerando à caritate vſque ad ſapientiam, quæ 21. eſt virtus. Vt enim oculis intueri licet, vnitas ſiue vnarius perpetuò primus eſt ex tribus numeris vſque ad 20. filiam caritatis, quæ eſt ſapientia. Binarius, qui incipit à compunctione, in quindecim ſequentibus vſque ad reuerentiam incluſiuè, atque ita ſequentia intellige.

Eiuſdem, reuerentiæ.) Eiuſdem refert ſanctæ matris, ſcilicet caritatis. Reuerentiæ genitiuus eſt rectus à dictione (fine) quã multò poſt, ad calcem periodi reperies.

Senarius vero vltimus, vt primus ſimplicitate gaudens, cuſtodem virtutum poſſideat humilitatem.) Simplicitas hîc non refert virtutem quæ in latere numeros habet ii. iii. iiii. Sed vult dicere: Quemadmodum tres vnitates (quę primum numerum ponunt, & ternarium vnum conficiunt, quem ternarium nuſquam alibi reperias, quàm in primo numero) vnicam caritatem habent, ita etiam tres ſenarii (qui efficiunt 18. quos nuſquam niſi in vltimo numero reperies) vnicam humilitatem poſſident.

A ternario octodenarium ſcandens.) Ternarii meminit, vt minimi omnium numeri in hac tabula, qui videlicet reſultat ex tribus vnitatibus; octodenarii, vt omnium maximi. Puto autem deſiderari ad. Sic fere recentior ille, quaſi legiſſet octodenarium, cùm duo præſtantiora noſtra exemplaria habeant octodenarium.

narium. Pro quo r. ad denarium. Et ſanè legendum videtur octodenarium; vel ocdenarium dixit, pro octodenario.

Virtutes legat.) Fortè legendum ligat. *Prima quidem, ſecunda, vltima, & penultima ſingulas.*) Prima virtus caritas, quæ iii. habet, pertingit ad 21. ſi iungatur cum humilitate, quæ vltima eſt, & 18. habet. Nam 3. & 18. ſunt 21. Secunda fides, quæ 4. habet, ad 21. pertinget ſi iungatur penultimę, quæ eſt continentia, cui 17. dedit. Quod infrà clariùs exprimit, dicens: Sunt igitur iii. quatuor, decem & vii. decem & octo, qui ſingulas metiuntur.

Tertia & antepenultima, binas.) Tertia, ſpes, habet quinque, vt pertingat autem ad 21. habet opus 16. quæ reperies in fletu & compaſſione, atque ita duas ſibi connectit virtutes. Sic compaſſio antepenultima numerat 16. vt pertingat ad 21. opus eſt quinque, quæ reperies in ſpe, & fortitudine.

Quæq; intra ipſa ſunt, ſimiliter à principio & fine vſque ad quatuor.) &c. Dicit quatuor genera intermedia eſſe, quæ ſenas, ternas, quaternas, aut certè quinas adiungant ſibi virtutes, dum cum eis conficiunt numerum vigeſimum primum. Quæ omnia mox ſigillatim declarat.

IX. & X. XI. & XII. *ſenas diſcernunt.*) Nouem iunctum ad 12. decem autem ad vndecim vt ad 21. pertingant. Vbi pro ii. reſtitui (&) Omnia enim exemplaria habebant IX. ij. X. XI. & XII. Sed illam binarii notam abundare, patet

re, patet inferiùs, vbi ſine ea hos numeros repetit, dicens: Nunc autem IX. X. XI. & XII. ſupremi remanent.

Hi ſimul collati.) Scilicet ternarius & quaternarius.

Poſſumus etiam decem.) Decem datiui caſus eſt, rectum à verbo aſſcribere. Eadem ratio eſt in dictione octo, quæ mox ſequitur.

Et nunc ſub gratia operatur.) Legimus nunc, quia præcedit quondam. a. legit non, r. ſolùm habet litteram n. cui in g. punctum ſuperponitur ñ. quod legi poteſt nunc & non.

Senarius cuius ſexta pars vnum, in tertia medietas, tria.) Videtur dicere medietatem ſenarij eſſe ternarium. Videndum an nihil deſit, quia tertia pars ſenarij eſt binarius.

His igitur ſibi replicatis, ternario addito XV. *facit.*) Notauit hîc recentior ille: Non dubito quin legendum ſit bis, vt bis ſenis addito ternario quindecim habeamus. Verùm lectio textus proba videtur, & ſenſus eodem redit ſiue legatur his, ſiue bis. Malè autem a. & g. legunt replicatos.

Sed quia ſuprà retulimus octauã ætatem, de qua titulus pſalmi vj. inquit: In finem pro octaua.) Reſtitui octauam ætatem pro æternitatem. Ante enim mentionem fecit octauæ ætatis, non autem æternitatis, & huius loci circunſtantiæ manifeſtè eam lectionem requirunt.

Quia non ſolùm hæc, niſi voluptuoſus eorum appetitus.) &c. Vult dicere, quòd non ſolùm beatitudo corporis & animæ, quæ habebitur in octaua ætate: ſed nec ſoliús animæ (qualem habent Sancti vſque ad diem iudicij) acquiratur, niſi ſenſus reprimantur à voluptuoſis exceſſibus, vt verbum meretur, quod in fine periodi ponitur, paſſiuè accipiatur.

Quintus, quoniam, vt ſcriptum eſt.) Non video quò referatur hæc dictio (quintus) Nam de quatuor tantùm loquitur numeris, ix. x. xi. & xii.

Splendore xij. gemmarũ iubaris redimitus.) Reſpicit ad xij gemmas quæ erant in Rationali Aaronis exod. 28.

Vndenis eccleſiæ cilicinis operiatur ſagis.) Reſpicit ad locum exod. 26. vbi ſagis cilicinis vndecim tectum tabernaculi iubetur operiri.

Suo ſemper ordine requirantur.) in latere videlicet virtutum.

Sed quia compendiosè operis ſtudemus, vulgariterq; noſtri ridiculum exercere.) Dictio noſtri cohæret cum operis. Mirè enim gaudet VViboldus dictionum tranſpoſitione.

Quaſi emboliſmus videbatur.) Id eſt excrementum, ſiue excreſcens, quomodo interpretatur Ioannes de Sacroboſco in computo eccleſiaſtico cap. de anno emboliſmali. Alioqui idem eſt quod intercalatio ſeu interpoſitio.

Quippe

Quippe cùm corpus, cuius iſtæ, quæ ſimilitudinẽ illis animæ figurantibus retineant.) Significat vocales animæ, conſonantes corpori comparari.

Virtutem, quæ latere habebit, notare debemus.) Sic omnia exemplaria, ſed legendũ quam, pro quæ, vt recentior ille indicat. Et dictum eſt latere, pro in latere.

Nequaquam eandem vlterius in eodem ludo ſibi valeant vendicare.) Adiecit hic præfatus Boëtius Epo (cui erat planè animus hunc luſum ad vſum vocare) hãc adnotationẽ: Ideoq; conſultũ erit, vt vel vnus ex aſtãtibus & ſpectatoribus in chartula notet, quænã cuiq; virtus obueniat, vel potiùs vt ſingula virtutũ ſingularum receptacula ſint perforata ſtimulis, vel bacillis ligneolis, in hoc pro vnoquoque colluſore præparatis (colore diſtinctis) qui foraminibus infigantur. Vel potiùs, quas quiſque ſortitus fuerit virtutes, has orbiculis, qui vulgò Damæ vocantur, obtegat, vnoquoque luſore ſuos habente orbiculos, à reliquis colore diſtinctos. Nummuli quoque poterunt hoc fungi officio, vel aliud operculorum genus quodcunque.

Vt caritas quæ gemina eſt, ſi oportuerit, pro duabus computetur virtutibus.) Exiſtimo VViboldum velle, ſi contingat parem virtutum numerum nanciſci, is cui caritas contigerit, hoc erit ſuperior, quòd eam virtutem ſit nactus, quæ duabus æquipolleat. Sequitur.

Quæ etiam ob vnius tantummodo litteræ eclypſin j. *& a. bina poſt primam examinetur proiectione.*) Caritas in ſuo latere habet tres vnitates. Porrò in aleis tres faciunt vnitates in prima a. in ſecunda e. in tertia autem i. Nec poteſt contingere ſorte caritas, niſi in ſuperiore ſua ſuperficie has tres vnitates aleę teneant. Iam autem ſi exigas omnes vocales dictionis (caritas) deficiet te, vnum a. Nam conſtat duobus aa. & vno i. Facit itaque poteſtatem VVIboldus iterum proijciendi, & periclitandi ſi iactis aleis dabũtur in ſua ſuperficie ſuperiori bina aa, & vnum i. Vel certè vnica ſolùm alea quæ vocalem e habet in monade, iterum iacienda eſt, vt ſi det vocalem a. confeceris quod attinet ad vocales, dictionem caritas, ſin minus totus iactus fuerit inanis.

Inferiores quoq; niati teſſeræ cognoſcentes.) Diuinare non poſſum, quid pro dictione niati reponam. An fortè legendum: Inferiores æquitatem teſſeræ cognoſcentes. Nam illud quoque niati ſic ſcribitur qq niati, videlicet duplici qq cum virgula tranſuerſa, quod eſſe (quoque) ex alijs locis didici. Codex Atrebat. omittit dictionem teſſeræ. Sequitur.

Ac velut ſibi prælatis . . . . . pædagogis.) Hic etiam in omnibus exemplaribus deeſt vna dictio. Putat recentior ille hic poſſe reponi, ſubditi aut ſubiecti, vel quid ſimile, quod non ſatis placet.

Et

Et fraterno gratulentur nomine.) Poterit & de alio præmio conueniri pro arbitrio ludentium, quanquam præstet præmio auctoris esse contentos, vt exerceantur virtutibus.

Potest idem & alio modo.) &c. Perinde ac si luderetur aleis vulgatis, vbi solus inspicitur numerus, atq; ita duo, vel tres, vel plures colludentes, atq; vicissim tubos proijcientes, breui spacio temporis omnes illas virtutes inter se partientur; illo vincente in vtroque ludendi modo, qui plures fuerit consecutus virtutes. Quod illi continget cui ceciderint aleæ alio semper atque alio modo. (modis autem 56. cadere possunt aleæ tres iactæ simul vnicuique modo, sua applicata per VViboldum virtute) Nam cui iterum ceciderit alea eodem modo, quo semel cecidit alteri, vel etiam sibi ipsi, iactum facit inanem, vt pote alio iam eam virtutem consecuto & possidente per præoccupationem. Quare notare oportebit, quasnam quisque virtutes obtinuerit. Neque necesse semper est, vt omnes virtutes inter colluſores diuidantur colludendo (quod aliquando multarum esset horarum) sed simulatque inter colluſores, exempli gratia duos, alter virtutes vigintinouem fuerit sortitus, vt pote maiorem earum partem, victor est, ludo finito. Potest & inter colluſuros conueniri, vt qui primus fuerit consecutus virtutes decem, vel quindecim, vel quid aliud, victor sit, & ludus finiatur. Item conueniri potest, vt certi tantùm iactus ludum finiant.

Exempli cauſa ſoli pares, vel ſoli impares, vt ſolæ ternæ monades, hexades, pentades, &c. Item vt ſoli iactus illi, qui vt minimum habeãt vnam monadem, quales iactus ſunt in vniuerſum viginti vnus. De alijs item id genus. Fructuoſiùs autem ludetur, ſi nunc ſolæ virtutes Theologicæ, nunc ſolæ Cardinales, nunc ſolę illæ quæ in octo beatitudinibus Euangelicis ſignantur, nunc ſolæ pœnitentium, nunc ſolæ perfectorum, nunc rurſus alię atque aliæ ludendo quęrantur. Vnde ſi nihil aliud, certè virtutum perfecta diſtinctio ſuauiter addiſcetur.

Proiectis tribus tantummodo teſſeris.) Videlicet ſine pyramide, poſſetque fieri ternis aleis, vel teſſeris vulgaribus.

Onoma dactylicis actoris quæritur ipſis Si numeris?) Interpretatio huius carminis, quod propter ſui obſcuritatem, meritò inter ænigmata poteſt recenſeri, hæc eſt. Obſcurè admodũ VViboldus hîc exprimitur ludi auctor. Si numeris inquit, litterarum ſcilicet, quæritur onoma, id eſt nomen actoris, id eſt auctoris, ipſius ſcilicet ludi (More namque vſitato ſcriptoribus mediæ ętatis, omnia exemplaria ſcribunt actoris) ſic accipe.

Primum faciunt, apicemq́ ſecundum, Octauumq́ decem bis ducti.) Hoc eſt vigeſima littera alphabeti, quæ eſt u, occupabit in expreſſione nominis primum locum, ſecundum, & octauum.

Sicq́ nouenis tertius ingeritur.) ſcilicet apex. Id eſt nona littera, quę eſt i, poſſidet tertium

tium locum. *Quartus hinc esse duobus.)* Id est secunda littera, quę est b, quarrum tenebit locum. *Quattuor & denis quintus.)* Id est quartusdecimus apex, aut littera, quę est o, quinto loco ponetur.

Mox denique sextus vndenis legitur.) .i. vndecima littera l, sexto loco locabitur. *Bis binis septimus.)* .i. quarta littera d subibit septimo loco. Octauam habes superiùs nempe u. *Limitat in numeris ter senis vltimus ordo.)* Dicit finẽ nominis decimaoctaua littera claudi. Ea autem est S. *Quîs simul illatis.)* &c. Redit hîc VViboldus ad mysticam illam numeri rationem, qua mirè delectatur, & indicat se claudere hoc carmen de suo nomine, versibus decem, qui referunt decem præcepta, & virtutem in Ecclesiasticis maximè requisitam, videlicet virginitatem. Constat enim virtus hæc (virginitas) litteris decem.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.
V V I B O L D V S.
20. 20. 9. 2. 14. 11. 4. 20. 18.

Admonet hic ludus tabulatum pergere clerum.

Nomina virtutum condere quò valeant.) Hoc distichon spacio aliquo interiecto à superioribus separaui, quia prẽcedẽtibus Hexametris, nec carminis similitudine, nec sensu cohęret. Tabulatum pergere, sensus esse videtur, ad tabulas ludendum inuitare.

CAP. XC.

VT vix vnius anni curriculo rexerit.) Gazæus ſcribit eum ſediſſe anno 967. ſed iuxta ea quæ adnotata ſunt cap. 79. obijt anno 964. Claudius Deſpretz de eo ſic adnotauit. Anno 968. ſacratur Nouiomi ab Hadulpho Epiſcopo VVibaldus Canonicus & Archidiaconus Nouiomenſis eccleſiæ, moritur 29. Ianuarij anno 970 Iacet Cameraci. Maſſęus, & ex eo Demochares, atque etiã idem Gazęus, addunt Imperatorem eidem VViboldo dediſſe Cameracenſe, ſeu vrbis Cameracenſis dominium. Quod de Ottone I. foret intelligendum.

CAP. XCI.

QVidam, Rotbertus nomine, monachus in villa Solemia, quæ ab vrbe hac octo milibus diſtat, res ſancti Dionyſij procurabat.) Villa hæc donata fuit baſilicę S. Dionyſij martyris à rege Childeberto anno regni ſui xij. hoc eſt ſalutis humanæ 709. Extat de ea re diploma ipſius in Annalibus Guiſij lib. 11. cap. 15. In g. prima virgula litteræ m videtur deleta, vt ſignificetur legendum Solenia. Sed contrà eſt, quod vocari ſolet Prępoſitura de Soleſmes. Quod verò diſtare ait octo milibus, intellige tam hoc loco quàm alijs, de miliaribus Italicis: alioqui locus iſte ab vrbe Cameraco

raco non distat nisi quatuor milliaribus Belgicis Orientem versus, diciturque Gallicè Solem, quem nuper Guillelmus à Bergis, Cameracensis Archiepiscopus emit à Monachis S. Dionysij.

Tetdonem.) Sic omnia exemplaria hoc loco. Guisius Thiedonem vocat, Masslæus Theodotum, Democharis Theodosium siue Tieddonem. De eo sic Claudius Despretz. Anno 971. sacratur Coloniæ à S. Geruntio Archiepiscopo S. Theodotus can. Præpositus ad S. Seuerinum. Moritur 28. Augusti an. 976. Iacet Coloniæ ad S. Seuerinum. Habet obitum in ecclesia Atreb. dicta die.

CAP. XCIII.

FEliciter migrauit ad Christum.) anno nimirum 973. Diem addit VViti-chindus: Nonis Maij feria 4. ante Pentecosten. Vide quæ in eius laudem habet eo anno Baronius.

CAP. XCIIII.

RAinerus atque Lantbertus, filij videlicet Raineri.) Hic Rainerus, siue Raginerius vel Ragenarius Lõgicollus dictus est, qui Montensiũ, siue Hannonienſiũ Comes erat, in quo Comitatu succeſſit ei filius Rainerus, Lantbertus verò Louanienſium Comitatum sibi vendicabat, quem tãdem pacificè obtinuisse scribit Lipsius in suo Louanio li. 1. c. 9. accepta in vxorẽ Gerberga, filia Caroli Ducis,

cap. breuiter describit Sigebertus in chron. anno 978. Item Aimoinus lib. 5 de gestis Frá-cor. c. 45. & VVillelmus Nangius in chron. anno 977. & 978. sed accommodatam ad laudem gentis suæ. Erat autem Lotharius iste nepos Ottonis ii. ex amita sua Gerberga & Ludouico, de quibus suprà cap. 71.

Vt pridie antequam præoccuparetur, posset rescisscere.) Dura satis locutio, nisi legas negatiuè, non posset. Verùm sciendum auctorem illo (vt) interdum vti pro (ne) vt VViboldus suprà initio cap. 88. Et ne ita dixerimus regularem. Sic enim legit a. & g. Sed in g. correctum est, vt, pro ne, quod sumus secuti. Pro rescisscere a. legit resistere. In g. tam dubii sunt characteres, vt nescias, an sit rescisscere an resistere. r. habet rescire, &, quàm pro antequam.

Alleluia. Te martyrum.) Est versus qui canitur post graduale in missa de communi plurimorum martyrum extra tempus paschale, desumptus ex Cantico, Te Deum laudamus. Integer sic habet: Alleluia. Te martyrum candidatus laudat exercitus Domine.

In loco qui dicitur, Mons martyrum.) Locus est iuxta ciuitatem Parisiorum, in quo Martyrium passi sunt Dionysius Areopagita cum sociis, Gallicè per contractionem dictus Monmarte & Monmartre, cuius fit mentio in fine passionis & vitæ eiusdem Dionysii conscriptæ per Hilduinum abbatem, vbi & nominis ratio explicatur his verbis: Quorũ memoranda & glorioſissima passio è regione vr-

bis

bis Parisiorum in colle, qui antea Mons Mercurii, quoniam inibi idolum ipsius principaliter colebatur à Gallis: nunc verò Mons martyrum vocatur, Sanctorum Domini gratia, qui ibidem triumphale martyrium perpetrarunt. Hæc ibi. Abbo lib. 2. de obsidione Lutetiæ per Nordmannos Montem Martis nominat, ex ignorantia fortè deriuationis.

CAP. XCVII.

PAucis tamen famulorum remanentibus.) Id nota, quoniam Aimoinus & Nangius vbi suprà, rem ita narrant ac si totus penè exercitus Ottonis ibidem cecidisset, & aquis obrutus fuisset.

CAP. XCVIII.

ALiquando etenim VValterus totius veritatis effætus.) Ita g. a. verò effectus. r. totius feritatis homo. Sic enim mutatum est quod non intelligebatur. Sensus est. Nihil habens ampliùs in se veritatis. Capra enim fœta dicitur, quæ est grauida. Effœta quæ iam fœtum edidit. Item ea quæ non ampliùs parit, in qua posteriori significatione hic accipitur.

Id quoque Herivvardus aliquando.) Subauditur fecit, aut quid simile. Et refertur ad omnia præcedentia, videlicet dolum, simulationem, & munerum extorsionem. Hinc cernere est quomodo aliquando bona

bona eccleſiæ per nobiles interuentantur, & eccleſiæ, prætextu defenſionis, ſpolientur.

CAP. XCIX.

SVb huius autem tempore, Arnulfo ſene Flandrenſium Comite mortuo.) Recurrit author ad ea quæ priùs facta ſunt videlicet anno 964. aut 965. vide ſuprà adnotat. ad cap. 79.

CAP. C.

SIquidem Imperator à finibus ſui regni procul remotus, ſuper Sclauones, quos aduerſum ierat, expugnandos, morabatur.) De hac re Sigeb. in chro. 976. Otto Imperator contra Sclauos proficiſcitur. Quod nota, quia ex eo conſtat de tempore obitus Tetdonis. Quare ſedit annis quinque iuxta ea, quæ notauimus ad cap. 91.

Res Atrebatenſis Epiſcopij occupaſſe audierant.) Nota ex hoc loco bona epiſcopatus Atrebatenſis adhuc diſtincta fuiſſe.

Quare Comites, Godefridus videlicet &c. Arnulfus quoque.) &c. Hi ſunt de quibus ſuprà ad. c. 94. diximus, ille nimirum Comes Arduennę, hic Flandriæ.

CAP. CI.

ROthardus epiſcopalem cathedram.) Sic omnia exemplaria noſtra tã hoc loco quàm in capitibus ſequẽtibus. Guiſius Roard. Maſſęus

Maſſæus Rotardus alter, id eſt ſecundus. Sic & Gazęus. Democharès Rotardus 2. ſiue Roardus. De hoc Claudius Deſpretz Anno 982. ſacratur Cameraci ab Alberone Archiepiſcopo Remenſi Rotardus ab Henniaco, can. Præpoſitus Cameracenſis. Obiit 20. Septembris anno 990. Iacet Cameraci.] Verùm ex chronographo noſtro ſatis patet ſedem non niſi dimidio anno, aut paulò amplius, vacaſſe, quare conſecratus fuit anno 977. De anno quo obiit dicemus infrà c. 109.

Poſſe preſſurum.) Ita omnia exemplaria, ſed durè pro eo quod diceretur, poſſe premere: aut certè legendum, pro poſſe, id eſt, pro ſua poſſibilitate preſſurum.

In ſcholis Gorgienſis monaſterij pariter condiſcipuli extiterant.) Sita eſt hæc celeberrima ſchola iuxta Metẽſẽ vrbẽ, de qua Molanus in Nat. SS. Belgii 23. Maii, loquens de Guiberto fundatore Gemblacenſi, ſic ait: Ipſe ad Gorgiam commigrauit iuxta Metas, vbi erat aluearium monachorum, & ſummus ſanctæ religionis feruor.

CAP. CII.

SVſcipiens itaque vir venerabilis ſummam regiminis.) Id factum eſt, vt ſatis conſtat ex cap. præcedenti (vbi circa initium quadrageſimæ Cameracum veniſſe dicitur) anno 977. Nam ex cap. 100. ſatis conſtat aliquanto tempore ſedem vacaſſe, nempe ſex aut ſeptem menſibus, vt paulò ante diximus.

Iuxta viculum, cui nomẽ Vinciacus.) &c.

&c. Hodie nomen retinet villula quædam (vulgò la cenſe de Vincy) cœnobii S. Autberti Cameracenſis prope Crepicordium. Et quæ nunc in Crepicordio eſt eccleſia parochialis, in litteris Paſchalis Papæ ii. & aliis inſtrumentis dicti cœnobii, appellatur altare, ſiue eccleſia de Vinciaco. Vbi anno 717. contigit celebris illa pugna, qua Chilpericus rex & Raginfredus à Carolo Martello fugati ſunt.

Calicem etiam maiorem cum patena puriſſimo fecit ex auro.) Eundem ſcribit Guiſius in Annalibus Hãnoniæ ibidem adhuc permanere. An etiam hodie permaneat, quæſiui. Reſpondit dictus Dominus Preudhomme in hæc verba: Calicem cum patena ex auro puro habet eccleſia Cameracenſis, ponderis circiter octo Marcarum, ſed credere non poſſum, eundem eſſe cum eo quem Rothardus dedit: apparet enim multò recentioris fabricationis.

Villam verò quæ dicitur Villaris.) Cùm ſint multi pagi hoc nomine Villers, is intelligitur, qui ab oppido Quercetenſi abeſt ſemihoræ ſpacio, via Valencenenſi, vulgò dictus Villare Polii, Gallicè Villers Pol, pertinetque ad eccleſiam Cameracenſem, partim ex donatione Rothardi ii. Epiſcopi, partim emptione multo poſteriori.

CAP. CIII.

INterea Otto Romam profectus, Sarracenos per terram Apuliæ deſæuire audierat.) Agit hac de re V Villelmus Nangius anno

anno 980. Otho, inquit, Imperator Italiam repetit, euocatus à papa, vt Eccleſię ſuccurreret. Addit autem & præcipuam belli cauſam, nempe quòd Apuliam & Calabriam Italiæ prouincias ad ius Imperii Græcorum appendentes, ad Imperium Romanum transferre conatus ſit. Quam eandem adfert Sigebertus in chro. anno 981. & anno ſequenti breuiter totam belli hiſtoriam.

Theoderico Mettenſium Epiſcopo.) Hic in Sigeberto ms. & in excuſis exemplaribus ſæpius vocatur Deodericus, & g. hoc loco ſcribit Teoderico ſine aſpiratione.

Vnde cum probro abſcedens, pudore ſuccenſus, meliore conſilio, militarẽ copiam ſibi ad reparandum prælium quærere æſtimauit.) Hæc omiſſa ſunt in a. habentur autem in duobus aliis exemplaribus, ſed in g. recentiori manu malè obliterata ſunt.

Vbi, quærere æſtimauit, (quomodo frequẽter loquitur) idem eſt, quod quærendum exiſtimauit. Sic lib. 2. cap. 5. manere æſtimauit, & lib. 3. c. 39. In Caſtellum recipere æſtimauit .i. manendum, recipiendum eſtimauit.

CAP. CIIII.

VRbem Virdunenſium captam & Godefridum Comitem reddiderit) Comitem videlicet eiuſdem vrbis Virdunenſis, vt exprimunt Sigebertus & Nangius in chron.

CAP. CV.

QVoniam quidem alterum veſtrum animabus, alterum Deus voluit ſubintendere corporibus.) Monaſterium namq; Laubienſe ſitum eſt in diœceſi Cameracenſi, ſed in ditione & temporali iuriſdictione Leodicẽſi. Vnde inter monaſteria diœceſis Cameracenſis deſcribitur lib. 2. c. 37. & Rothardus in hac epiſtola priore loco nominatur. Neque obſtant ea quæ dicuntur lib. 3. c. 15. quia eo loco (iſte) refertur ad remotius (ille) ad propinquius, contrà quàm ſolet hodie fieri.

Nullum hoc tempore aptiorem inuenire potuimus, quàm domnum Herigerum.) Meminit huius Sigebertus in chron. an. 994. his verbis: Florebant hoc tempore in ſcientia litterarum, in Lotharingia Herigerus Abbas Lobienſis, Adelboldus Epiſcopus Vltraiectenſis, &c. & in libro de ſcript. eccleſ. c. 138. Item Iohannes Trithemius in catalogo ſcript. eccleſiaſt. & lib. 2. de viris illuſt. ordinis S. Benedicti c. 63. Arnoldus VVion lib. 2. ligni vitæ c. 69. vbi eius recenſent opera.

CAP. CVI.

HOc nimirum, at at, per amicarum conciliabula turpiter profligabat.) g. a. Attat. Deleui alterum t. Eo vti videtur pro interiectione horrentis. Vtitur eadem phraſi Hieronymus Vidas in hymno de S. Ioanne Baptiſta. Codex Rubeæ vallis, eo omiſſo, ſenſum

ſum reddit, ita ſcribens: Hoc nimirum cum meretricibus turpiter profligabat.

Infelix quidem malè ememor factus.) Id eſt oblitus. Sic g. & a. pro quo r. ſcripſit memor, quod planè contrarium eſt. Hunc autem ſenſum probat quod infrà dicitur: Iſte, cum ſuis ſequacibus, Fulradus obliuioni malè tradebat.

Annuam diem relationis ſancti corporis, perpetuæ celebritati, ſua Epiſcopali auctoritate, commendauit.) Seruatur Atrebati in hodiernum vſque diem 15. Iulij, & in Breuiario Atrebatenſi proprium habet officium, & ſex lectiones de hiſtoria relationis.

CAP. CVII.

PRædium verò quod dicunt Fontanas nec procul abeſt.) Diſtat Cameraco ferè ſeſquimilliari, via Bappalmenſi, atque etiam hodie pertinet ad eccleſiam Cameracenſem, vocaturque vulgò Fontaine noſtre Dame.

Vice VVilligiſi Archiepiſcopi recognoui.) De hoc VVilligiſo Archicappellano Ottonis 2. qui eum fecit Archiepiſcopum Moguntinum, egregium eſt exemplum in appendice Speculi exemplorum exemplo 54. quod & alij referunt, videlicet, eum in cœnaculo ſuo habuiſſe rotam depictam cum hac inſcriptione: VVilligiſe memineris quid ſis, & quid olim fueris. Vnde rota remanſit inſigne archiepiſcopatui Moguntino.

CAP. CVIII.

VBi duæ Elpræ cadunt in Sambram.) Elpra fluuius est Hannoniæ, non procul ab abbatia Lætiensi. Duas autem Elpras intelligit duos eiusdem riuulos in Sambram defluentes. Locus enim forasti, seu syluę de qua agit, est in extremis Cameracensis agri & ditionis finibus, qua parte Guisię oppidi territorium respicit duorum riuulorum, citerioris videlicet & vlterioris Helpræ, in Sambram decurrentium fluxu, à regno Gallię separatus: vbi Fidemiensis S. Stephani abbatia, non longè à prima dicti fluminis Sambræ scaturigine.

A villa quæ dicitur Basius, & loco qui vocatur Gurgunces.) Prior locus hodie dicitur Barsy. Est autem pagus ditionis Guisiæ, dicto cœnobio Fidemiensi, Gallicè Femi, vicinus, ad defluxum alterius dictorum riuulorum. Gurgunces autem villa est dicti cœnobij Fidemiensis, eidem vicina, dicta la cense de Gourgouces.

Acta viij. Kal. Maij anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXXIII. *indictione viij. anno autem primo Ottonis imperantis.)* Sciendum totum hoc cap. in g. exemplari superadditum esse, ab r. in totum abesse. Et quidem in g. & a. post illa verba: Dominicæ incarnationis, locus vacuus est relictus, sed in a. recentiori manu adiectum est viiij^{c}. iiii^{xx}. iij.

vr non ſit certum an legendum 983. (quod tamen videtur, quia tertium x. appoſitum transfixum eſt.) an verò 995. Hoc diploma cum tribus exemplaribus quę extant in archiuis eccleſiæ Cameracenſis contulerunt à me rogati viri eruditiſſimi & antiquitatis indagatores diligentiſſimi D. Petrus Preudhomme, & D. Nicolaus Guiſius I. V. Licentiati, ſicut & reliqua omnia diplomata ad eccleſiam Cameracenſem ſpectantia, quorum in hoc chronico fit mentio, atque ita adnotarunt: Attendenda diligenter hæc data (DCCCCLXXXIII.) quæ videtur debere conſignari in annum Chriſti 995. indict. 8. Ratio quia annus hic DCCCCXCV. habetur expreſſus in duobus exẽplaribus trium noſtrorum exemplarium, & iuxta id addi poteſt hæc confirmatio, quia ſcilicet indictio 8. concurrit cum anno 995. viii. Kal. Maii, minimè verò conuenit cum anno 983. cum indictio recurrat ſingulis annis quindecim. Ita illi, innixi cuidam annotationi ex originalibus deſumptę. Relinquẽdum tamen putaui quod in noſtris exemplaribus inueni, videlicet DCCCCLXXXIII, quia is eſt primus annus Ottonis tertii Imperatoris. Neque obſtat, quòd alioqui caput hoc præcedere deberet ea quæ habentur cap. 107. quæ facta ſunt 991. quia auctor non ſeruat vbique exactè temporis ordinem, vti & ſuprà notatum eſt inter ea quæ habentur cap 4. & 6. & lib. 3. cap. 19.

CAP. CIX.

MIgrauit à ſeculo.) Rothardus obijt vel anno 994. vt colligitur ex diplomate Gregorii, quod extat infrà cap. 111. & datum eſt anno vndecimo Ottonis Imperatoris, & initio pontificatus Gregorii V. (*factus autem fuerat Imperator anno 983.* vt ex Sigeberto & aliis conſtat) vel certè obiit 995. Quia Gregorium V. à quo Erluinus fuit ordinatus, Sigebertus & Baronius ſcribunt ſedere cœpiſſe anno 996. quo anno nonis Maii obiiſſe Ioãnem papam xv. ſcribit Baronius. Erluinus autem in feſto S. Dionyſii anni præcedentis ad Epiſcopatum Cameracenſem fuerat nominatus, ſed demum anno ſequenti à Gregorio fuit ordinatus, vt patet ex cap. ſeq. Catalogus Gallicus Epiſcoporum Cameracenſium, quem ſuprà citaui ad cap. 5. hoc quoque geſtis Rothardi adnumerat, quòd corpus S. Maxellendis virginis ab eccleſia S. Martini Cameracenſi (in qua eo tempore ſanctimoniales Deo deuotè ſeruiebant) ne fortè periret, quia dicta eccleſia flammis fuerat exuſta, tranſtulerit ad eccleſiam B. Mariæ, in qua remanſit vſque ad tempora Gerardi primi.

CAP. CX.

POſt hunc ſubſtituitur Erluinus.) Hunc Claudius Deſpretz vocat Herluinum à Sueuia, eumque ait fuiſſe Canonicum & Archidiaconum Leodienſem, germanum S. Notgeri Epiſcopi, & primum Comitem Came-

Cameraceſii. Quod verò addit eum fuiſſe, ſacratum Romæ anno 993. à Gerberto Archiepiſcopo Rauennate, & obiiſſe 19. Septembris, pugnat cum noſtro chronographo, iiſque quæ iam diximus, & mox dicemus.

Abbatiſſam eccleſiæ Quitinaborch.) Sic g. & a. ſed lectio r. quę eſt in margine magis accedit ad integrã vocẽ quam habet Conradus Abbas Vrſpergenſis Quintilineburg. Eſt aut apud Northuſum in Saxonia, vbi celebratu fuit anno 1105. Concilium Quintilineburgenſe. In martyrologio Vſuardi per Molanu auctо die 14. Martii. In Quindelingeborg monaſterio, diœceſis Halberſtadenſis, dormitio Machtildis reginę, matris Ottonis primi, Imperatoris, cuius vita virtutis ſpecular fuit. Sic ibi. De eadem Machtilde ſeu Mechtilde quæ coniux fuit Henrici primi Imp. agit Lupoldus Bebenburgius in libro de veterum principum Germanorum zelo cap. 13. vbi dicit eam fundaſſe hoc monaſterium in monte Quidelburg.

Quidam quoque Azelinus nomine, de Truncinis villa &c. Poſtea tamen Pariſiorum Epiſcopus.) Sita eſt hæc villa in Flandria non procul à Gandauo, Teutonicè Dronghene. Is autem eſſe videtur, qui in tabulis Democharis recenſetur ordine 52. Pariſiorum Epiſcopus, nomine Adelelinus vel Adelinus. Qui tamen in eo fallitur, quod eum ſcribat obiiſſe anno 977. cùm conſtet ex cap. vltimo huius primi libri, eum ſub annum milleſimũ vndecimũ vel duodecimum, poſt mor-

tem Erluini iterum ad eundem Episcopatum aspirasse.

Et maximè pro infidelitate sui senioris.) Id est sui domini, Gallicè son seigneur, qui tum erat Hugo Capetus, rex Francorum.

In cuius vice Gerbertus, quo litteratior postea nemo extitit, subrogatus sedebat.) De controuersia inter Arnulphum Remensem Archiepiscopum & Gerbertum videre est apud Aimoinum lib. 5. de gestis Francorum c. 46. Item Papirium Massonum lib. 3. Annalium Francorum in Hugone & Roberto, & tom. 3. concil. parte 2. pag. 1072. & sequentibus, duo Concilia Remensia & Mosomense, & Baronium anno 992. quo Arnulphus fuerat ab Episcopatu deiectus, & anno 995. quo fuit restitutus mense Iunio, & Gerbertus factus est Archiepiscopus Rauennas, deinde post Gregorium V. (qui obijt pridie nonas Februarij 999. cùm sedisset annos duos, mẽses 8. dies 4.) Romanus pontifex, vocatus Siluester ij. vnde Monostichon:

Transit ab R, Gerbertus ad R. fit papa vigens R.

Et auctoritate papæ Romanæ sedis.) Nota ad hoc vsque tempus nomen papę etiam aliis tribui solere Episcopis. Qua de re vide adnot. nostras ad cap. 12. lib. 1. Flod.

Ad eandem sedem recursus legitimè pa. . . . valeret.) Deest aliquid, fortè legendum, patere valeret.

Sed

Sed paulò antequam ibi peruenirent, Iohanne papa defuncto, Gregorius, qui prius Bruno appellatus eſt.) &c.
In a. ſuper lineas ad nomen Iohannis recentiori calamo adiecta eſt nota numeri xvi. ad Gregorium quinarii, qua ſignificatur eſſe Ioãnem xvi. & Gregorium V. & ita quidem multi numerant. Verùm Baronius & Binius Ioannem xvi. inter Pſeudopapas enumerant, qui ſe Gregorio oppoſuit, & Gregorium V. Ioanni decimo quinto immediatè ſubiungunt, conformiter noſtro chronographo. Defunctus eſt autem Iohannes xv. nonis Maii, vt cap. præcedenti eſt adnotatum. At Onuphrius interponit Ioannem xvi. tribuens ei quatuor menſes quibus ſederit. Deinde creatum & conſecratum ſcribit Gregorium V. xvi. kal. Iulii 995. & obiiſſe xii. kal. Martii 998.

CAP. CXI.

EXin verò inibi habita ſynodo.) Huic cap. deerat ſummarium, quod adieci. Synodi Romanæ, cuius hîc meminit, pars quædam extat to. 3. Concil. par. 2. Poſſet ei aliquid accedere ex iis quę habentur hoc cap. Simile autem extat diploma Stephani papæ apud Miræum in Originibus cœnobiorum Benedictinorum capite 28. datum anno Domini 913. pro cœnobio Bronienſi.

CAP. CXII.

SEd tempore Dodilonis Episcopi, vt antè retulimus, à Cendeboldo Rege restitutam.) Hinc apparet vel auctorem sui oblitũ, vel suprà in actis Dodilonis Episcopi nonnulla deesse, quia huius rei ibi nulla fit mentio. Solũmodo regis Zuenteboldi fit mentio cap. 66. in gestis Stephani Episcopi, successoris Dodilonis.

In loco qui vocatur Castellum S. Mariæ, quod vocabatur antea Vendelgeias.) &c. Nunc vsitatè Cameracesium vocatur, siue Castrum Cameracesium, olim etiam nominatum Perona, vt constat tum ex hoc cap. tum suprà 85. vbi legitur hoc castrum per Engrannum Episcopum à dominis Hasbanensibus repetitum fuisse, eò quòd esset villa S. Mariæ, nomine Perona, & ad distinctionem alterius Peronæ, Peronella vocabatur, inquit Molanus 13. Nouembris.

CAP. CXIII.

ET ipse Episcopus in stipendarijs fratrũ, duas villas, vnã Aueſnas videlicet reddidit, alterã verò Tiliodiũ cõtulit) His consentiunt quæ leguntur in libro obituũ monasterii S. Autberti, die 3. Februarii: Cõmemoratio Herluini Episcopi Cameracensis, qui nobis Aueſnas reddidit, & Tiletum dedit. Est autem Aueſnæ pagus inter Buccinium & Haſpram. Gall. Aueſne le sec. Tiliodium siue Tile-

Tiletum, Tiloy iuxta ipſam ciuitatem Cameracenſem.

CAP. CXIV.

EOdem tempore Imperator Romam profectus.) Hæc omnia vſque ad eum locum: Siquidem Imperator Romam profectus, deerant in exemplaribus g. & r. Similitudo principii cauſa fuit prętermiſſionis. In g. fuiſſe aliquando, aſſuta quadam membranæ particula, vti & alia quædam, certis conſtat indiciis, ſed ea nunc excidit. Porrò eadem breuiter recenſet Sigebertus in chronico anno 1002.

Annò Dominicæ incarnationis ĩ ĩĩ. diem clauſit.) Id legendum eſt milleſimo ſecundo. Eo enim anno mortuus eſt, teſte Sigeberto & Baronio, quinto Calendas, vel vt alii nono Kal. Februarii. Sic libro 2. c. 7. ĩ xxvii. pro quo r. habet M. xxvii. idque probatur ex iis quæ de notis numerorum leguntur in Valerio Probo, qui ait ĩ. cum linea ſuperpoſita ſignificare mille v. quinque millia, &c. Adhæc Sulpicius in hiſtoria ſacra, & Annales Francorũ editi ſub Ludouico Pio anno 807. ſic ſcribunt tria millia ĩĩĩ. Nam ita legendũ patet ex Aimoino lib. 4. de geſtis Francorum c. 95. & anno 812. XDCCCXL. id eſt decem millia octingenti quadraginta, vt patet ex Aimoino eodem libro c. 100. Vel certè coniungendæ ſunt tres virgulæ & legendum M. id eſt milleſimo.

Immo

Immo etiam cum Rotberto Rege Karlenſium, ſed & pariter cum Richardo Duce Rotomagẽſium.) &c. Iacobus Meyerus in Annalibus Flandriæ anno 1006. è contra ſcribit Robertum regem Franciæ, & Richardum Ducem Normanniæ Flãdro in auxilium aduolaſſe, deceptus fortè verbis Sigeberti in chro. quæ in vtramque partem poſſunt accipi. Sic enim ait: Caſtrum Valentianas ſitum in Marchia Frãciæ & Lotharingiæ, quod Balduinus Comes Flandrenſium inuaſerat, Imperator Henricus obſidet, concurrentibus ad auxilium eius Roberto rege Francorum, & Richardo Comite Normannorum.

CAP. CXV.

REgem expetijt.) Henricum Bauarum, quem cap. præcedenti ſcripſit delectum fuiſſe ad imperium, non imperatorem, ſed tantùm regem appellat, ſcilicet Germanię, quia necdum erat coronatus, quod demum factum eſt poſt annos 12. videlicet anno Domini 1014. ſexto Cal. Martij. Vide Baronium & alios.

Vt mox ſuus effectus.) Hoc eſt ipſi Hérico Regi deditus.

CAP. CXVI.

BEatũ Auguſtinum nõ aduertebat memoriæ dicentẽ.) Hoc eſt poſteritati, vel ad rei memoriam: aut legendum memoria, vt cohæreat cum verbo aduertebat. Alioqui inſolens eſt locutio, ideoque r. omiſit vocem memoriæ.

Eccle-

Eccleſiam Remenſium expetit.) Depoſitus ab Epiſcopo loci, ſeu ordinario, recurrit ad Metropolitanum ſiue Archiepiſcopum Remenſem. Nam vſque ad noſtra tempora, quibus ſedes Cameracenſis facta eſt Archiepiſcopalis, eccleſia tam Cameracenſis, quàm Atrebatenſis fuit, ſuffraganea Remenſis eccleſiæ.

CAP. CXVII.

BAlduinus Comes viſitare aduenerat.) Intelligit Balduinum Barbatum ſeu Pulchrobarbum, Comitem Flandriæ, de quo ſuprà cap. 114. & duobus ſequentibus.

CAP. CXVIII.

AVdito, VValterus continuò lætus.) Phraſis eſt auctori etiam aliâs vſitata, vt nominatim lib. 3. c. 18. vt vnum ponat ablatiuũ abſolutè, pro quo duos ponere ſolemus: Audito eo, vel Quo audito, aut quid ſimile. Loquitur eodem modo Seuerus Sulpicius lib. 2. hiſt. ſacræ retexens hiſtoriam Eſdræ & Nehemiæ: Conſummatoque, ait, & valvis portarum perfectis. Ad quem locum nu. 11. ita adnotauit Victor Giſelinus. Sic ferè abſolutè loquitur Tacitus, & nos antè annos ſex, plura de hoc loquendi genere ad Auſonij loca, à nobis tum emendata, adnotauimus. Hæc ille. Sic & alibi idem Sulpicius: Fracto, inquit, ſcilicet numero.

CAP.

CAP. CXIX.

IN monaſterio ſancti Autberti ad Aquilonarem plagam tumulauit.) Obijt die 3. Februarii, vt patet ex fine præcedentis cap. Quo die etiam hodie eius anniuerſaria cõmemoratio ibidem inter defunctos agitur. Hoc verò geſtis Herluini adiiciendum quòd in abbatia Lætienſi oſſa B. Hiltrudis virginis eleuauerit, vt eſt in Molano in Nat. SS. Belgii 27. Septembris. Item quòd huic totius Cameraceſii datus ſit Comitatus, vt ſcribit catalogus Gallicus, Maſſæus, & ex eo Demochares, & Meyerus ad annum 1014. Ne autem de hac donatione, & tempore quo facta eſt, dubitetur, ſubiungam de ea re teſtimoniũ ex Breuiario Cameracenſi in officio S. Henrici ad 13. diem Iulii. Hæc enim habet ibidem lectio octaua. Nec ſuę deuotioni eccleſias in medio ſui ſitas Imperii decorare iuxta regalem magnificentiam ſuffecit, ſed & ad eccleſiam Cameracenſem, in honore B. Mariæ virginis matris Dei conſtructam, in finibus ſitam Imperii, ſceptroque Francorum propinquam, ſuæ munificentiæ direxit aſpectum. Nam anno Dominicæ incarnationis milleſimo ſeptimo, tam animæ ſuæ conſulens, quàm venerabilis Heriberti Colonienſis Archiepiſcopi acquieſcens conſilio, Eccleſiæ Cameracenſi memoratæ Comitatum Cameracenſem donauit in proprium, præcipiens vt prælibatæ ſedis Erluinus Epiſcopus, ſuique ſucceſſores liberam dehinc haberent poteſtatem, eundem Comi-

Comitatum in vſum eccleſiæ ſupradictæ tenédi. Sic ibi. Quibus addo ipſum de ea re publicum inſtrumentum, ex diplomate originali, quod in archiuis eccleſiae Cameracenſis ſeruatur, depromptum, nulla in eo ob antiquitatis honorem, mutata littera.

In nomine ſcãe & indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina clementia fauente rex. Omnibus ſcãe dĩ eccleſiae fidelibus preſentibus ſcilicet & futuris Notum fieri uolumus qualiter nos tam animae nrãe conſultu quam uenerabilis Heriberti Archiepiſcopi Colonienſis interuentu Chameracenſi eccleſiæ in honore ſcãe Mariae cõſtructae Comitatum Chameracenſem hac nrãe auctoritatis preceptali pagina prout firmiſſime potuimus in proprium donauimus, precipientes igitur ut prælibatae ſedis uenerabilis Eraluuinus epiſcopus ſuique ſucceſſores liberam dehinc habeãt poteſtatem eũdem Comitatum in vſum eccleſiae ſupra dictae tenendi Comitem eligendi pãnos habendi ſeu quicquid ſibi libeat modis omnibus inde faciendi. Et ut haec nrãe traditionis auctoritas ſtabilis & inconuulſa permaneat hanc cartam inde conſcriptam manu propria roborantes ſigilli nrĩ impreſſione inſigniri iuſſimus.

Signum Domni Heinrici Regis inuictiſſimi Eberhurelus Cancell. uice VVilligiſi Archicapell. recogñ.

Data xi. kl. Nou. Indict. v. Anno dom. incarn. M. vij. Anno domni Heinrici ſcdĩ regn. vi. Actũ Aquiſ-

quiſgranenſi palatio feliciter Amen.

Neque his obſtat quod legitur in vita B. Lietberti cap. 13. Donauit ciuitatem Cameracum cum ſuis appendicijs omnibus domno Lietberto Imp. Romanorum Henricus ſecundus Poteſt enim hæc donatio rectè accipi, vt ſit confirmatio prioris donationis Erluino factæ.

Ceterum Democharesobijſſe ſcribit Erluinum anno 1015. Iulianus de Ligne in Calendario hiſtoriali Gallico ms. notat obijſſe anno 1012. alij 1011. Gazæus & Claudius Deſpretz Gerardum eius ſucceſſorem ordinatum ſcribunt Epiſcopum anno 1014. Sed conſtat ex ijs quæ habentur lib. 3. c. 1. ad minimum ſedem integro anno vacaſſe. Quicquid ſit ex dicta donatione conſtat eum vixiſſe ſaltem ad annum vſque 1007. Quare præproperum eſt, quod ſcribit Sigebertus in chron. ad annum 1004. Gerardus Cameracenſis Epiſcopus, & Adelbodus Vltraiectenſis Epiſcopus magni in eccleſia, & in palatio habentur.

IN

IN PRÆFATIONE LIBRI II.

DE geſtis Epiſcoporum, prout memoria occurrerit, dicto.) Sic omnia exemplaria. Senſus eſt, prout memoria exſtat eorũ, prout inueniri potuit: ne quis (memoriæ) putet eſſe legendum.

Vſque ad poſtremitatem domni Gerardi Epiſcopi, qui nunc eſt.) Hoc eſt vſque ad poſtremum Epiſcopum domnũ Gerardum, cuius mandato hoc opus ſcripſit auctor. r. pro poſtremitatem ſcripſit initium.

CAP. I.

NImirum iſte eſt locus quem diuinis miraculis &c. audiuimus illuſtrari) Adieci voculas eſt, &, quem, alioqui barbara foret oratio, quomodo non eſt putandum auctorem ſcripſiſſe, qui aliâs ſatis eloquens eſt.

In ipſo choro, multis ſpectantibus humi corrueret.) Ex hoc loco, & fine cap. ſequentis patet olim campanile eccleſiæ B. Mariæ Cameracenſis fuiſſe in medio templi, iuxta chorum.

Quare illi obſequium exhiberi.) &c. Dictum eſt phraſi Græca, pro eo quod diceretur: Vt quid ei obſequium exhibetur?

CAP. II.

PLus æstimato.) Id est magis quàm existimaretur.

Cessante fusura solidatur.) Ita a.g. tertium verò r. fissura. Sed prior lectio germana est, & conformis ei quod paulò post sequitur: Quo fuso &c. Mutata tamen, quòd minus intelligeretur. Sensus itaque est: Cessante fusura, id est cùm non amplius lapides, & reliqua maceries funderetur & decideret.

CAP. III.

APud monasteriũ Præiecti Martyris.) r. addit Sancti. Vti situm sit vel fuerit, necdum mihi constat. Est hodie Prioratus S. Præiecti Gal. S. Prie in suburbio Bethuniæ, ciuitatis Artesiæ. Fuit etiam quõdam insignis Prioratus S. Præiecti in suburbio opidi S. Quintini, anno 1557. per obsidionem eiusdem opidi, subuersus, hodieque monachi, intra ipsum opidum resident. Hic locus fortè intelligitur.

Matutinos celebraturus.) Sic omnia exemplaria, & subauditur hymnos, idque eo loquendi modo quo in libro Sacramentorum S. Gregorij sæpe legitur, ad vesperos, & quo etiamnum dicimus, tres nocturnos. Vsitatius tamen hodie matutinum neutro genere, vel matutinas & vesperas dicimus, subaudi preces vel orationes.

CAP.

CAP. IIII.

BAsilicam in honore beati Medardi conſtruxit.) Obiit S. Medardus anno 556. Gaugericus, vt ad cap. 7. lib. 1. adnotauimus, anno 594. De quo Maſſæus lib. 13. chro. ſcribit in hæc verba: Gaugericus (ſic enim nominat) conuertit populum, conuertit & regem Clotarium, qui dedit ei copioſum theſaurum: quo monaſterium extruxit in monte, vbi nunc quieſcit. Cuius frater Lando primus ibi factus eſt abbas. Catalogus Gallicus ait S. Theodericum conſtruxiſſe eccleſiam S. Gaugerici, quæ ante abbatia erat, & Carolum Caluum, qui eo tempore rerum potiebatur in Francia, Canonicatus & præbendas fundaſſe, & multa dominia iis attribuiſſe anno 863. Sed huius rei exactiorem notitiam ipſis S. Gaugerici canonicis defero.

Hæc autem domus in montis ſuperciliо ſita.) Eo loci conſtitit eccleſia S. Gaugerici, vſque ad noſtra tẽpora, quibus Carolus V. Imperator ibidem fortiſſimum caſtrũ, ſiue citadellam, vt vocant, conſtrui iuſſit. Vnde Canonici S. Gaugerici coacti eccleſiam ſuam deſerere, migrauerunt ad eccleſiam parochialem S. Vedaſti, & ibi magnificum chorum exſtruxerunt, ideoque eccleſia S. Vedaſti, hodie eccleſia S. Gaugerici nominatur.

Olim frequentior numerus fratrũ, nunc ad quinquagenos præ inopia deriuatur.) Erant ætate auctoris in eccleſia B. Gaugerici

fratres ſiue Canonici quinquaginta, poſtea ſucceſſu temporis decem canonicatus ſuppreſſi fuerunt, & eorum fructus vel fabricæ, vel officio burſæ, vt vocant, vel in vſum diſtributionum applicati, vt hodie non ſupersint niſi quadraginta. Capellani verò in eadem eccleſia fuerunt olim 24. aut 23. poſtea ob tenuitatem prouentuum reducti ad numerum duodenarium.

In huius autem patris noſtri memoria & veneratione, monaſteria, ſed & frequentiores baſilicæ, non tam in propè, quàm in longè poſitis regionibus cõſtructæ ſunt.) Vna eſt Bruxellæ, altera in Brania Comitis iuxta Hallas. Alia in Haeltert iuxta Aloſtũ: ex quo loco ipſum Collegium Canonicorũ S. Gaugerici Aloſtũ in eccleſiã parochialẽ S. Martini tranſlatũ eſt, eaq; Collegiata facta eſt. Porrò tranſlatio illa facta fuit, circa annum 1498. Fuerat autem Haltris fundatum à quodam Inghelberto, nobili viro, circa annum 1046. ſub tutela S. Gaugerici, vt patet ex litteris fundationis prædicti Inghelberti. Alia item in Bierne iuxta Bergas S. VVinnoci, in diœceſi Iprenſi. Alia Atrebati, alia Valentianis, & paſſim rurales multæ per totam diœceſim Cameracenſem, & Atrebatenſem.

CAP. VI.

CONtigit vt eum quadam die, gratia viſitandi paternam coloniam inuitaret.) Gratia nominatiuus eſt, ac ſi dicat: affectus

affectus, seu amor patriæ, vt paulò infrà: Cõceptis paternæ gratiæ affectibus. Sic & lib. 1. cap. 7. Ideoque maiori gratia ductus &c.

CAP. VI.

INergumini quique, siue lunatici liberarentur.) Sic omnia exemplaria, & verisimile sic ab auctore scriptum esse. Nam & eodem modo in summario cap. præcedentis scriptum erat. Pro quo, Græca orthographia & pronunciatione setuata, vsitatius dicimus energumeni.

CAP. VII.

ANno Dominicæ incarnationis ĩ. xxvij. ID. Iulij.) Incertum est an hoc modò legendum: Anno 1027. idibus Iulij, vt vult a. & r. quod habet M. xxvj. an 1020. septimo idus Iulij. Nam in g. illud vij. separatur à numero præcedente & o superponitur singulis numeris hocmodo 1°. xx^{o} vij^{o}. nõ tamen post xx ponitur punctum.

CAP. VIII.

SCriptor suam subinfert molestiam.) Scriptor pro auctore accipitur: & hinc causam aliquam habemus, cur sequentia toto hoc libro tam breuiter perstringat.

CAP. IX.

SAncti Autberti monasteriũ ad paucos Canonicos situm est intra mænia vrbis.) scilicet Cameracensis. Hanc ecclesiam,

cùm ibi ſepultus eſt S. Autbertus, fuiſſe extra muros dixit auctor lib. 1. c. 19. Eam verò à Dodilone intra murorũ ambitũ conclusã fuiſſe ſcribit c. 64. In ea inſtituti ſunt octo Canonici ab Ansberto Engranni ſucceſſore, vt patet lib. 1. cap. 87. Verùm poſtea aucta eſt ab Herluino, Cameracenſi Epiſcopo, vt teſtis eſt Fulbertus in vita S. Autberti apud Surium to. 6. vbi ſic legitur: Eius autem (Herluini) ſucceſſor Gerardus monaſterium, in quo ſanctus Autbertus quieſcit, ab Herluino amplificatum, in memoriam ſancti Pauli ſolenniter cõſecrauit, ſacrumque beati Autberti corpus ſuis ſedibus reſtituit ãno Chriſti decimoquinto ſupra milleſimum. Sic ille. Requieuerat centum & duobus annis in eccleſia B. Mariæ propter timorem Nordmannorum. Poſthæc Lietbertus Canonicos Regulares cum Abbate ibidem cõſtituit, vt eſt infrà lib. 3. c. 77. Quod factum eſſe anno 1066. quarta die Maii, teſtantur monumenta eiuſdem eccleſiæ, quæ in hodiernum vſque diem ſeruat litteras Lietberti manu ſignatas.

CAP. X.

IN villa Hunulcurt, vbi ſanctam Polinam requieſcere, ſcripto reperi.) Ita r. conformiter aliis duobus, ſed in a. mutata ſunt hæc nomina, vt nunc legatur: In villa Honulfi curte, & Polenam vel Poleniam. De qua & eius ſorore Valeria, ac fratre Lietphardo videatur Molanus in Nat. SS. Belgii die 8. Octobris, & 4. Februarii. In ſummario cap. exem-

exemplaria legunt Hunulchort, cui in a. manu antiquiſſima in margine adſcriptum eſt: Hunonis curia, per quod nominis origo indicatur cùm tamen in textu idem exemplar nunc legat Honulfi curtem, quæ altera eſt deriuatio nominis, quam magis refert vox Hunulcurt ſiue Hunolcurth, quomodo legunt omnia exemplaria lib. 1. cap. 26. & vita S. Vindiciani, eaque veriſimilior eſt. Nunc appellatur Hunecourt, & per ſyncopen Huncourt. Locus eſt in finibus Franciæ, non procul ab opido S. Quintini, in diœceſi quidem Cameracenſi, ſed in regno Francorum, ad Scaldim fluuium, quatuor ferè diſtans Cameraco miliaribus Gallicis: eſtque monaſterium ordinis S. Benedicti, de quo Autbertus Miræus in Originibus cœnobiorum Benedictinorum in Belgio cap. 20. vocans cœnobium Hunocurtenſe. In Molano locis citatis, modò legitur: In Hunonis curia, modò: In Hunulfi curte. Fundatum fuit & cõſecratum tempore S. Vindiciani Epiſcopi, vt patuit ſuprà lib. 1. cap. 26.

CAP. XI.

IN vico etiam, qui Barala ab incolis nomen accepit.) Barale, & Sainct vel Sains, de quo cap. ſeq. duo ſunt pagi territorii Oiſiacenſis, ſibi inuicem vicini, iuxta Marquion, medio ferè itinere inter Cameracum & Atrebatum. Illius eccleſia parochialis (nam talis fuit à tempore Dodilonis, vt patet ex fine huius cap.) dicata eſt S. Georgio martyri, ſub patronatu Abbatis Aquicinctini. Huius verò, S.

Saturninæ virgini & martyri, ſub patronatu Capituli Metropolitani b. Mariæ Cameracenſis. In neutro autem pago hodie ſupereſt alicuius monaſterij veſtigium, aut certè non niſi tenuiſſimum.

Illudque ſacrum brachium apud nos taliter hodie vſque remanſit.) Id auctor de ſuo tempore intelligit, ſed etiamnum idem brachium S. Georgii, ſeu reliquiæ illius incluſæ brachio argento obducto, in dicta Metropolitana eccleſiæ Cameracenſi, religiosè aſſeruantur.

CAP. XII.

VBi ſancta Saturnina quieſcit.) Agit de ea Martyrolog. Romanum Baronii die 4. Iunij his verbis: Atrebati ſanctæ Saturninæ virginis & martyris. Ad quem locum in ſuis annotationibus ſcribit Baronius, ſe id accepiſſe ex veteribus manuſcript. Additio Colonienſis ad Vſuardum facta anno 1521. die 20. Maii. Saturninæ virginis & martyris. Meminit eiuſdem Molanus in Indiculo Sanctorum Belgii, ſed omittitur in Natalibns. In Kalendario Breuiarii Atrebatẽſis legitur quarto Iunii: Saturninæ virginis, non martyris, memoria. Quod putarem, inquit Molanus, de hac intelligendum, niſi adderetur, non martyris. Verùm id malè addi reſpondit mihi dominus Gaugericus Boucquel, I. V. Lic. tunc Archidiaconus, nunc Decanus Eccleſiæ Atrebatenſis.

Quæ

Quæ mox, vt antiquitas relatorum audet asserere, proprium caput manibus sumpsit, populoque spectante, vsque in ecclesiam &c. deportauit.) Id non esse incredibile, multæ aliæ Sanctorum declarant historię. Ad cuius rei euidentiàm breuem quasi catalogum texemus eorum qui capita sua detruncata manibus suis portauerunt. In primis notum id est de S. Dionysio Areopagita, Galliarum Apostolo, & primo Parisiorum Episcopo, ex vita ipsius per Hilduinum abbatem conscripta. Secundò idem scribitur de S. Luciano primo episcopo Bellouacensi, qui vnâ cum S. Dionysio venit in Gallias, in vitis SS. editis à doctoribus Paris. & in historia Bellouacẽsi Petri Louuet lib. 2. cap. 2. Tertiò de S. Fusciano & Victorico, ex Petro de Natalibus lib. 1. c. 37. & Breuiario Atrebatensi die 11. Decembris. De S. Piato (qui cùm iisdem Sanctis Roma venerat in has partes) idem probatur ex pictura: sicut & de S. Nicasio, de quo illud in gestis eius apud Flodoardum lib. 1. hist. Remensis ecclesiæ c. 6. legitur: quòd decantans versiculum psal. 118. Adhęsit pauimento anima mea, capite abscisso in terra cadente, prosecutus sit: Viuifica me secundum verbum tuum. Præterea capita sua abscissa proprijs manibus tulerunt S. Dõninus miles & martyr sub Maximiniano, apud Suriũ die 9. Octobris. S. Iustus siue Iustinus puer nouem annorum sub eodem tyranno, ibidem 18. Octobris. S. Ceraunus, Gallicè S. Cheron apud Carnotum:

teſtis eſt Sebaſtianus Rouillard in ſua parthenia ſeu hiſtoria rerum Carnotenſium cap. 10. nu. 1. S. Albanus Martyr apud Moguntiam; Breuiarium Moguntinum die 21. Iunii, Petrus Cratepolius in libro de Sanctis Germaniæ, & Erhardus VVinheim in Sacrario Agrippinæ, agens de eccleſia 31. quæ eſt parochialis S. Albani, & alij. S. Laurianus Epiſcopus *Hiſpalenſis*, teſte Lucio Marineo Siculo lib. 5. de rebus Hiſpaniæ. S. Lambertus martyr in Hiſpania, teſte eodem, & Ioanne Vaſæo in chronico ad annum 306. S. Eliphius martyr tempore Iuliani apoſtatæ, de quo Surius 16. Octobris, & Erhardus VVinheim in opere ſuprà citato, agens de eccleſia S. Martini maioris, in qua teſtatur haberi corpus S. Eliphij martyris, qui ambabus amplexus manibus caput per vnum milliare deportauit. S. Oſitha virgo & martyr, apud Surium 7. Octobris. S. Oricolus, de quo Flodoardus vbi ſuprà cap. 8. S. Oelbertus in Brabantia, de quo Molanus in Nat. SS. Belgij die 22. Octobris. S. Regulus de quo idem Molanus in libro de Martyrologiis cap. 3. S. Adalbaldus pater S. Mauronti; Chronicon Marchianenſe manuſcriptum, cuius verba recenſet Autbertus Miræus in ſuis Originibus Cœnobiorum Benedict. cap. 3. S. Sauinianus, vt eſt in vita ipſius apud Petrum de Natal. lib. 7. cap. 134 & in vitis Sanctorum Gallicè per doctores Parienſienſes editis, die 29. Auguſti. Idem quoque teſtatur hymnus de ipſo compoſitus, in libro hymnorum excuſo Lugduni 1566. in 16. vbi ſic legitur.

Sed

Sed vt viuus, non peremptus videretur hostibus,
Cæsum caput coram ipsis suis gestans manibus:
Mouens iter ad superna transportauit longiùs.

Denique Tolosæ sex coluntur martyres ex ordine Prædicatorum, qui capite plexi, à loco supplicii ad conuentum sua capita reportarunt. Ex stemmate ord. Prædicatorum Stephani de Sampayo, & ex indice aliquot virorum illustrium ordinis Prędicatorum excuso Louanii 1612. Ecce tibi lector præter S. Saturninam viginti quinque Sanctos, de quibus idem legitur in probatis auctoribus. Desinat ergo Ioãnes Oecolampadius hæreticus anilem vocare fabulam, quòd S. Dionysius & S. Albanus decollati tantùm itineris confecerint.

CAP. XIII.

MOnasterium namque sanctæ Mariæ, vbi quondam Pontificalis cathedræ principatus fuerat, quadraginta Canonicos habet.) Sunt hodie totidem, & capellani lij. personatus xii. regiturque nunc Atrebatensis diœcesis per xii. Decanos rurales. Recuperauit dignitatem cathedrę Pontificalis post scriptum hoc Chronicon, & decessum Gerardi ii. anno 1094.

CAP. XIV.

IN castro verò Atrebatensi, monasterium S. Vedasti.) Tam celebre hoc est monasterium in hodiernum vsque diem, vt in toto

toto Belgio vix ei ſimile ſit. Locus verò in quo Caſtrum illud & monaſterium eſt exſtructum, antè Nobiliacus vocabatur. De tempore & auctore quo conſtructum eſt, vide lib. 1. c. 19. & ibidem notas noſtras.

CAP. XV.

DVæ baſilicæ iuxtà ſubiacent Canonicorum, vna videlicet in honore ſanctæ Mariæ, altera verò ſancti Petri Apoſtoli.) Hæ duæ eccleſiæ etiamnũ exſtant intra ſepta dicti monaſterij S. Vedaſti, ſibi inuicem cohærentes: quarum illa dicitur noſtræ Dominæ in caſtro; altera S. Petri de qua ſuprà lib. 1. c. 35. In hac fuerunt olim ſex Canonici, ſed à multo tempore, auctoritate ſedis Apoſtolicæ extincti. Celebrant ibidem Vedaſtini Religioſi certis horis & diebus diuinum officium, quorum vnus Decani nomen obtinet.

CAP. XVI.

EST etiam in vico Maraculo.) Sic vocatur lib. 1. cap. 25. r. hoc loco explicationis cauſa addidit: aliâs Mareolo. Lib. 1. c 2. vocatur Mariolum. Vbi locus ſitus ſit adnotauimus ad dictum cap. 25.

Monaſterium Canonicorum, vbi ſancta quieſcit Bertilia, quæ hoc ipſum ſuum prædium ſanctæ Mariæ tradidit.) De hoc monaſterio & S. Bertilia Molanus in Nat.

Nat. SS. Belgij 2: Ianuarii, citatis his ipsis Chronici verbis, hæc addit: Intelligitur autem per sanctam Mariam, cathedralis ecclesia Atrebatensis. Mareolum enim est episcopi Atrebatensis: tenuem habens abbatiam Canonicorum ordinis sancti Augustini, in ecclesia sanctorum Amandi & Bertiliæ.

CAP. XVII.

RVrsus verò in vico Albiniaco monasterium est Canonicorum, sancti videlicet Chiliani, qui Scotus fuisse traditur.) Albiniacum pagus est non procul distans à Monte S. Eligii, Baronatu insignis, in quo est Prioratus ordinis S. Augustini dependens à monasterio Montis S. Eligii, de quo seq. cap. De S. Chiliano episcopo & confessore Molanus die 13. Nouembris. Dicitur alio nomine Chilenus, & frater fuit Faronis Meldensis Episcopi, vt ex vita eiusdem Faronis constat.

CAP. XVIII.

PRo imminutione rerum, ad raritatem fratrum redigitur.) Hodierno tempore satis frequens est & celebris abbatia, probos habens & doctos Religiosos. In vita S. Lietberti cap. 57. de eo sic scribitur: In Monasterio Sancti Vindiciani apud Montem S. Eligii Clericos Regulares cõstituit, & eiectis illis qui negligenter ibidem seruiebant, multa

de

de ſuis bonis ibi Deo ſeruientibus ſuperaddidit. Hæc ibi. Plura verò Miræus in Orig. Canonicorum Regularium ord. S. Auguſtini cap. 38. his verbis. S. Vindicianus Atrebatenſis & Cameracenſis Epiſcopus circa annum 678. in eodem mõte Canonicos ſeculares collocauit, quos B. Lietbertus Epiſcopus, cùm vitæ eſſent liberioris, anno 1068. a dregularem vitam amplectendam permouit. Verùm quia clariùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ, paucis recenſebo quæ mihi ſuppeditauit Dominus Andreas le Vaillant, eiuſdem cœnobii Prior, ex breui chronico eiuſdem cœnobii à ſe nuper Gallico idiomate concinnato, partim ex vetuſtis libris, partim ex marmoribus, & picturis. Sunt autem iſta: Cùm tempore Dagoberti regis circa annum 640. S. Eligius Tornacenſis & Nouiomagenſis Epiſcopus, vellet interdum, ſeparatus à turbis, familiarius in contemplatione Deo vacare, montem reperit ad hoc idoneum, incultum eo tempore, & ab omni habitatione hominum deſtitutum, qui ab ipſius nomine, poſtea nomen hæreditauit, vt in prẹſentem vſque diem Mons S. Eligii appelletur. Eo in loco conſtructo oratorio, aggregauit poſtea decem viros, Eremitarum inſtar, religiosè viuẽtes, quorum conſortio delectatus, ipſe cum illis ibidem non rarò conuerſabatur, iuxta id quod habet noſter chronographus lib. 1. cap. 28. dicens: S. Vindicianũ ſe eò voluiſſe transferri ſepeliendum, eò quòd ibi beatus Eligius habitationis ſuæ fecerat diuerſorium, cui beatus Vindicianus familiari vſu dilectionis inhẹſerat. Sepultus eſt autẽ S. Vindicianus in prædicto

dicto oratorio, cuius ſepulchrum eundem locum celebriorem reddidit, adeò vt etiam Halitgarius, ſimiliter, vt S. Vindicianus, Cameracenſis & Atrebatenſis Epiſcopus, ibidem ſepeliri voluerit. Permanſerũt veriſimiliter prædicti Eremitę vſque ad Nordmannorum per hos tractus graſſationes & vaſtationes, id eſt vſque ad annum Domini 882. per quas, oratorio combuſto, coacti fuerunt in loca tutiora ſeſe recipere, atque ita remanſit locus deſertus, donec occaſione miraculi quod ibidem refertur cap. 29. circa annum 950. eleuatus eſt S. Vindicianus à Fulberto, & edificata eſt ab eo noua eccleſia, & alia quædam ædificia ampliora forma quàm prius fuerant. Qui & ibidem octo clericos ſeu Canonicos ſeculares inſtituit, titulo Apoſtolorum Petri & Pauli, & S. Vindiciani. Hi perſeuerarunt vſque ad annum 1068. quo à Lietberto reformati ſunt, & in Canonicos Regulares transformati, qui & Abbatem eis pręfecit, & locum multis poſſeſſionibus dotauit, vt ſuprà ex vita ipſius retulimus. Quę omnia poſtmodum confirmata fuetunt à ſummo Pontifice Gregorio vii.

CAP. XIX.

PRæterea in viculis Lucau, & Pas, duæ baſilicæ ſunt Canonicorum.) Lucau hodie Lucheul dicitur, Latinè Lucetũ, à luco, eſtque ibidem Prioratus ord. S. Benedicti dependens ab Abbatia Moliſmenſi, Gallicè Moleſme, diœceſis Lingonienſis (Langres) in Ducatu Burgundiæ. Paſtoratus eſt iuriſpa-

rispatronatus Prioris. Sunt ibidem fundatæ duæ Capellaniæ, de quibus in Atrebatẽsi registro ita legitur: Ad Capellam S. Margaretæ in villa de Luceto, præsentant Maior & Scabini de Luceto. Ad Capellam S. Ioannis baptistæ fundatam in censa S. Ioannis de Ierusalem, in villa de Luceto, præsentat maior Prior Franciæ.

Pas prioratus est, dependens à Prioratu S. Martini de Campis Parisijs, ordinis Cluniacensis. Vnde in Martinianis inter Priores qui ibidem quotannis comparere tenentur in Capitulo generali mense Iulio, postridie translationis S. Martini, recensetur Prior S. Martini de Passu, Atrebatensis diœcesis.

CAP. XX.

EST autem vicus ex rebus sancti Vedasti nomine Berclaus.) Cella S. Saluatoris in Berclaus insignis est B. Vedasti Præpositura, sita in Artesia in pago Billy iuxta Basseam, ad fluuium Deulam.

Itaque domnum Gerardum Episcopum in conuentu synodali conueniendum æstimauit.) Videtur omnino intelligere synodum Cameracensem, vbi Gerardus Episcopus residebat.

CAP. XXI.

PRæterea etiam apud Castellum Duvvaicum.) Nunc Duacum dicimus, Gall. Douay. At illud vetustius, ad illam formam

formam, qua adhuc hodie Orchy Orchiacum, Oiſy Oſiacum nominamus. Sequitur.

Monaſterium eſt Canonicorum, vbi corpora ſanctorum iacent, Morantij atque videlicet Amati.) Vſitatiùs Maurontus Duaci vocatur, quomodo eſt in vita ipſius ms. quomodo etiam legit.r. At lectio auctoris vulgari ſermoni congruit. Nam Gallicè dicimus Sainct Morant. Meyerus & Maurontum & Morandum vocat anno 661. & 668. dicens ſe vtrumque inueniſſe. Agit de eo Molanus in Nat. SS. Belgii die 5. Maij. De S. Amato die 13. Septembris. Extat vita vtriuſque ms. in libro argenteo eccleſiæ S. Amati Duacenſis. Vide quæ lib. 1. ad c. 22. adnotaui de obitu vtriuſque, & quando Duacum ſint tranſlati.

Sciendum eſt autem quòd ante conſtitutionem huius caſtelli.) &c. Fuiſſe reædificatum anno 665. notaui loco iam citato. Verùm hîc loqui videtur de alia poſteriori ædificatione per Comites Flandriæ, & conſtat ex hoc capite Lambras eſſe Caſtello illo antiquiores.

Quod nunc pro immurentis Flandrenſium Comitis potentia.) Fortè quis legendum putarit imminentis: ſed quia omnia concordant exemplaria, nihil cenſeo mutandum. Similis eſt ſuprà locus cap. 13. Senſus videtur eſſe, qui ſuis muris & caſtris vicinus eſt, à dictione Gallica enmurer, id eſt muris circumdare, quia tum

forſitan partem aliquam ciuitatis Duacenſis muris exterioribus circundedit: vel immurentis .i. inhabitantis.

In hac autem villa (ſcilicet Lambra) Sigebertus fortè ſepultus eſt.) In a. dictio fortè eraſa eſt, quia non intellecta. Non enim ſignificat dubium, ſed fortè, id eſt caſu fortuito. Vnde & poſtea tranſlatum fuit Sueſſionem ad eccleſiam S. Medardi. Hiſtoriam deſcribit Gregor. Turonenſis lib. 4. hiſt. Francorum cap. vlt. & Aimoinus de geſtis Francorum lib. 3. cap. 12. Ex quibus reſtitui Sigebertum pro Childeberto. Nam & Sigebertum legit Papirius Maſſonus in Annalibus Francorum, & Molanus in Nat. SS. Belgij die 24. Nouembris. Erat autem hic Sigebertus cui nupta erat Brunichildis: Nomen fratris, contra quem bellum gerebat, erat Chilpericus, cui nupta Fredegundis, cuius dolo occiſus fuit Sigebertus.

CAP. XXII.

APud caſtrum Lenenſe habetur quoque monaſterium Canonicorum.) De Lenenſi ſeu Lenſenſi, vel Lenſienſi caſtro, quod opidum eſt quatuor Duaco, & totidem Atrebato diſtans miliaribus, ſcribit Meyerus in Annalibus Flandriæ anno 1028. Eccleſia Lẽſenſis ſacerdotes habere cœpit Canonicos, vnde hanc ibi habent memoriam.

Anno milleno, ter deno, bis minus vno,
Hunc intrare chorum cœpit grex Canonicorum.

Eſt etiamnũ eccleſia Collegiata ſimul & parochialis,

chialis, habens Decanum, & 12. Canonicos.

Vbi ſanctus quieſcit Vulganius.) De eo Molanus in Natal. S. Belgii die 2. Nouembris.

CAP. XXIII.

IN vico etiam quem dicunt Henim.) Sic omnia exemplaria, tam in ſummario capituli, quàm hoc loco. Hodie Hennin vocatur, eſtque inſignis abbatia Regulariũ ordinis S. Auguſtini, duobus diſtans Duaco miliaribus, Lenſum vel (vt hodie quidam loquuntur) Lendium verſus.

Nuper verò Rotbertus Atrebatenſis &c. xij Canonicos inibi deputauit.) Id factũ eſt ad annum Chriſti 1040. teſte Balduino Deglen, abbate Henniacẽſi, in ſua hiſtoria Abbatum eiuſdem monaſterii, quam ſcripſit anno 1584. Exſtat ibidem ms. In ea cap. 1. & 2. latè diſputat, quis ſit ille Rotbertus Atrebatenſis, ac tandem reſoluit, fuiſſe Rotbertum Aduocatum Atrebatenſem, virum primariæ nobilitatis, & quidem patrem, aut alioqui ſanguine proximum Ioannis Aduocati Atrebatenſis, de quo lib. 3. in geſtis B. Lietberti. Suſceperunt autem Canonici ſeculares vitam regularem non multò poſt, videlicet circa annum 1090. quo anno congregatio Aöraſiana in Atrebatenſi diœceſi cœpit exordium, de qua Iacobus à Vitriaco in ſua hiſt. Occidentali cap. 23.

CAP. XXIV.

ITem verò in territorio Atrebatenſi, in vico videlicet qui Belgicus ab incolis nuncupatur, extat baſilica canonicorum ſancti Remigij.) Vbi ſitus ſit vicus Belgicus in territorio Atrebatenſi, à multis viris doctis perquiſiui. At nemo certò indicauit. Sunt qui exiſtimãt eſſe magnam villam monaſterii Aquicinctenſis iuxta Aubrometz, dictam Belgeville, vel belleville. Alii ſuggerunt eſſe vicum Belge ad fluuium Ternoium inter Blangiacum & Roulencurtium. Alii ſuſpicantur eſſe ipſum Blangiacum ordinis S. Benedicti monaſterium, quod Gallicè vocatur Blangy, & parum abeſt, à nomine Belgy. Verùm nihil horum dici poteſt, cùm hæc omnia loca, nunc ſint diœceſis Bolonienſis, antea Morinenſis, nunquam autem fuerunt Atrebatẽſis, cuius diœceſis hoc libro eccleſiæ deſcribũtur. Diœceſi enim Atrebatenſi, per nouam erectionem Epiſcopatus Bolonienſis, nihil fuit ademptum: ſed anno 1553. deſtructa penitus à Carolo V. Imperatore Morinorum Tervvana, pace poſtmodum cum Francorum rege compoſita, tota diœceſis Morinenſis, ſeu Tervvanẽſis diuiſa fuit in duas partes æquales, quarum vna ceſſit Regi Francorum, qui in ea erexit Epiſcopatum Bolonienſem: altera medietas Carolo V. quæ diuiſa in duas partes, dedit Belgio Epiſcopatum Audomarenſem, & Iprenſem. A prædicto Roulencurtio non procul abeſt locus dictus Beauuois en Artois, quod

eſt

est Latinè Bellouacum Artesiæ. Rursus non procul ab Albiniaco, de quo suprà cap. 17. in charta geographica signatur vicus cui nomen Belle, & alter ei propè contiguus Berlette in diœcesi Atrebatensi, vbi Scarpus fluuius exoritur. Sed nec vlla in his locis supersunt alicuius ecclesiæ collegiatę, vel monasterii vestistigia: nec pagi de Belle, seu potius Berle, patronus est S. Remigius, sed S. Leodegarius. Est denique in diœcesi Atrebatensi, non procul ab vrbecula Perna, pagus Houssdaing, in quo supereſt Prioratus ordinis S. Benedicti, qui olim à monasterio S. Remigii in vrbe Remensi dependebat, nunc ex permutatione pertinet ad monasterium Laubiense. Sed nomen hoc nihil habet commune cum vico Belgico. Rem itaque totam aliis in hac re peritioribus examinandam relinquo.

Notandum verò, quòd locus iste antiquitus adeo præeminebat, vt ab eo omnis nostra regio, etiam vsque in præsens, Belgica diceretur.) Vnde nomen Belgii, vel Belgicæ, prouinciis hisce nostris sit impositum variant scriptores. Isidorus lib. 14. Originum c. 4. Belgis, inquit, ciuitas est Galliæ, à qua Belgica prouincia dicta est. Iacobus Guisius in Annalibus Hannoniæ vult ciuitatem Belgis eam esse quæ hodie Bauacum dicitur, Gallicè Bauay, in meditullio Hannonię sitam, inter Valentianas & Malbodium. Quem sequitur, Robertus Cenalis Episcopus Arboricensis lib. 2. de historia Gallię, Hubertus Thomas Leodius in suo de Tungris & Eburonibus Com-

mentario cap. vlt. & Blasius Vigenereus in suis annotationibus Gallica lingua scriptis ad Cæsaris commentaria, & vulgus scriptorum, teste Abrahamo Ortelio in Thesauro Geographico: At Raimundus Marlianus, Gilbertus Cognatus, Ludouicus Guicciardinus, Petrus Diuæus in lib. de antiquitatibus Galliæ Belgicæ c. 1. & 8. & alij Belgium fuisse scribunt ciuitatem magnam Bellouacorum in Picardia regione, Gallicè Beauuais & Beauuois. Bellouacos à vetustis historicis Belgiuacos appellari video, inquit Diuæus, quos Cæsar omnium Belgarum nobilissimos facit. Hanc sententiam latè propugnat Petrus Louuet aduocatus in historia ciuitatis ac ditionis Bellouacensis, nuper ab eo edita Gallico sermone lib. 1. c. 4. Excusa est Rothomagi anno 1614. Refellit verò eam dictus Guisius initio suorum annalium, dissoluens argumenta quæ pro ea adferuntur. Marcus van Vaernevvyck in suis antiquitatibus Flandriæ, Flandrica lingua & carmine editis Gandaui anno 1560. Ciuitatem maximam Belgis, quæ fines Brabantiæ & Hannoniæ attingeret, in Flandria ponit. Sunt qui eo loco sitam fuisse existiment vbi nunc est pagus Velsick, nempe inter Aldenardam & Alostum, à qua sententia non abhorret Ortelius. Qui autem Belgium ponerent in Atrebatensi territorio, præter hunc, auctorem legi neminem.

CAP. XXV.

IN vico etiam, quem dicunt Hasnum.) 1. hoc loco & in titulo Hasnon, quomodo nunc

nunc appellatur, & Latinè Hasnonium, estque hodie celebris Abbatia ordinis S. Benedicti, de qua plura Miræus in Originibus Cœnob. Benedict. cap. 17. Iacobus Meyerus in Annal. Flandriæ scribit anno 670. Hasnonienſe cœnobium à Vindiciano à Episcopo Cameracẽsi dedicatum.

CAP. XXVI.

APud villam quoque Marcenias, virgo Dei glorioſa Rictrudis.) Hodie Marcenas dicimus, & Marchianas. Hæc autem vera auctoris ſcriptura eſt, etſi in a. expunctum ſit illud (virgo Dei) ſicuti & in g. dictio (virgo) ita tamen, vt adhuc legi poſſit. r. ſcripſit glorioſa matrona. Sic verò ab auctore ſcriptum probatur ex eo quòd duo illa antiqua exemplaria in fine huius cap. legant: Deo & prælibatæ virgini, & rurſum cap. ſequenti: Euſebia, prędictę ſcilicet virginis filia. Vbi r. ſcripſit Euſebia, prædictæ S. Rictrudis filia, & priora verba, quæ ſunt in fine cap. prorſus omittit. Adde, quòd, vt aliâs monuimus, lituræ omnes ſint ſuſpectæ. Eidem lectioni aſtipulatur VValterus abbas in vita S. Vindiciani recenſens Sanctos ętate ipſius viuentes: Apud Marcenias, inquit, magnificam virginitate Rictrudem. Quamuis ſenſum non videatur aſſecutus. Nunc ergo videndum eſt, quomodo virgo vocetur, quam conſtat virginem non fuiſſe, vtpote quę multas etiam proles genuit, S. Maurontum de quo ſuprà cap. 21. S. Euſebiam, Alſendem, & Clotſendem. Virgo igi-

tur hoc loco pro ſanctimoniali, ſeu Deo deuota vſurpatur, (vnde nec dicit ſimpliciter virgo, ſed virgo Dei) non pro ea præcisè quæ corpore virgo eſt. Sic & mater vocari ſolet ea quæ præeſt ſanctimonialibus, præſertim in religione Mendicantium, etiamſi virgo ſit. Placuit autem vel idcirco veram auctoris ſcripturam retineri, vt qui in antiquitate mediæ ætatis verſantur, annotent an nuſquam ſimiliter accipiatur nomen virginis, vt hoc loco. Quod niſi fuiſſet ea ætate hic vſurpatum, nequaquam ita loqueretur auctor. Qui & eodem prorſus modo vſurpat lib. 3. c. 8. vbi beatam Waldetrudem vocat virginem. Dum varia luſtro, inuenio eodem modo vſurpari in vita S. Gudilę, apud Surium to. 1. die 8. Ianuarij, in qua tertiò S. Waldetrudis virgo nominatur. Quam vitam ætate chronographi noſtri ſcriptam eſſe patet ex ijs quæ in fine dicuntur, quæ infrà citantur ad cap 63. libri tertij. Cæterum vitam S. Rictrudis habet Surius to. 3. die 12. Maij per Hugbaldum Monachum S. Amandi ad Stephanum Epiſcopum Cameracenſem ſcriptam anno 907. De eadem Molanus in Nat. SS. Belgij eodem die.

Vbi ſanctimonialibus ad ſeruiendum delegatis.) Nota ex ms. chronico Marchianenſi, in hoc monaſterio primò viros fuiſſe, quibus primum abbatem præfecit S. Amãdus B. Ionatum, de quo Molanus in Nat. SS. Belgii die 1. Auguſti. Verùm poſtmodum rationi conſentaneũ viſum eſt, inquit idẽ Chronicon (quoniam ſua bona beata Rictrudis huic loco conſecrarat, ibiq́ue Deo deſeruire ſtatuerat) vt ibi-

vt ibidem ſanctimoniales, inter ſeruos Dei collocarent, quæ primatus ordinem obtinerent. His prima præfuit Rictrudis, deinde Clotſendis filia eius, rexeruntque hanc eccleſiam ſanctimoniales per annos trecentos triginta tres, vel circiter. Poſt hæc iterum, vt habemus hoc cap. virorum fuit habitaculum, & perſeuerat vſque in præſens, pietate, & amœnitate percelebre. Plura de eo ex dicto Chro. Miræus in Orig. Cœnob: Benedict. c. 3. Iacobus Leſſabæus Marcenenſis in deſcriptione vrbium Hannoniæ conditum ſcribit hoc monaſterium anno 611.

Gerardo Epiſcopo, & Marchione Balduino ſatagentibus.) Hic eſt Balduinus Barbatus, Comes Flandriæ, & hæc mutatio & reformatio facta eſt anno 1028. vt patet ex Annal. Meyeri. Introducti ſunt autem religioſi ordinis S. Benedicti ex monaſterio Atrebatenſi S. Vedaſti, & Leduvvinus abbas S. Vedaſti eiſdem præfuit annis nouem: quibus tranſactis vni de monachis ſuis, Alberico ſcilicet, hoc onus iniunxit, qui annos 15. temporibus Henrici regis præfuit, vt habet dictum Chron. Marchianenſe. Quòd autem vocetur Marchio non eſt mirandũ, cùm & filius ipſius, Balduinus Pius, ſcribere ſolitus ſit titulũ ſuum: Balduinus Flandtiæ Comes Marchio, teſte eodem Meyero anno 1067. & idem Balduinus Pius in litteris fundationis Abbatię Phalenpinenſis, datis ab Hugone Epiſcopo Nouiomẽſi ſeu Tornacenſi anno 1039. vocatur Balduinus Marchio. Eſt autem Comes Marchio idem quod Comes limitaneus,

hoc est ad limites custodiendos constitutus. Porrò idem Marchianense monasterium, deformatum incendio, iussu Balduini Pii reparatur anno 1063. per Poponem Abbatem S. Vedasti Atrebatensis, vt habet idem Meyerus.

CAP. XXVII.

NEc procul hinc, in villa Hamatgia.) Lib. 1. c. 22 vocatur Hamaticum, & Hamatica, Gallicè Hamage. Est autem hodie Prioratus dependens à Marchianensi cœnobio, à quo distat vnius horæ quadrante.

Ex rebus hereditarijs ecclesiam struxit, quàm sanctimonialibus constitutis, etiam ipsa Abbatissa pro modo.) &c. Sic a. & g. Sed r. pro more suo quædam mutauit, quæ ad explicationem faciunt. Post struxit n. addit: vel auxit, ibidemque post S. Gertrudem abbatissa fuit, quæ nunc per secularitatem &c. Intelligitur autem Gertrudis vidua, & Ducis Adalbaldi, qui fuerat maritus S. Rictrudis, auia. De qua Mol. in Nat. SS. Belgij die 6. Decembris.

CAP. XXVIII.

RVrsus quoque in vico Duneng, beata Rainfredis ex sui iuris rebus cellam fundauit.) r. Ragenfredis, quomodo nunc communiter nominatur, locus autem Dononium, vulgò Denain, qui duobus à Valentianis distat miliaribus ad Scaldim, itinere Duacum

Duacum verſus. Agit de S. Raginfrede Molanus die 8. Octobris, & de S. Regina matre eiuſdem, quam facit fundatricem, die 1. Iulij.

Donec cõſilio domni Gerardi Epiſcopi.) &c. Sequentia vſque ad finem cap. ſic habet r. Sed poſtmodum conſilio domni Gerardi Epiſcopi, & Leduini abbatis, Balduinus Comes ad priſtinum ſtatum monialium reduxit, ibiq́ue moniales S. Benedicti, cùm ante fuiſſent regulares, introduxit, quibus Abbatiſſam Ermẽtrudem prẹfecit.] Hodie vocantur Canoniſſæ, & Dominæ.

CAP. XXIX.

QVo tempore Normanni, maximè quidem Rol tyranno incentore.) r. Kollone. Erat hic Rollo præcipuus Nordmannorum ductor, qui tandem ad fidem Chriſtianam eſt conuerſus, & baptizatus anno 912. vt ex Matthæo Weſtmonaſterienſi ſcribit Baronins to. 10. idemq́ue alij teſtantur, & in baptiſmo Rotbertus eſt nominatus. Qui deinceps ad finem vſque vitæ tantus fuit amator iuſtitiæ, vt recordatione ipſius etiam hodie Nordmanni, dum eis infertur iniuria, exclamare ſoleant: Ha Rol, vel Ha Rou, quaſi ſuſpirantes & inuocantes eum ad faciendam ipſis iuſtitiam.

Aycadri videlicet atque Hugonis.) De S. Aïcadro, & diſcipulo eius S. Hugone Rotomagenſi Epiſcopo, agit Molanus in additionibus ad Vſuardum, & in Nat. SS. Belgii 15. Sep-

15. Septembris, & 9. Aprilis. In Surio Aichadrus ſcribitur, in Molano Aichadrus. Noſtra exemplaria omnia hoc loco habent Aycadri ſed infrà g. & a. Aycadrius. Vita Aichadri apud Surium extat 15. Septembris per Fulbertũ. Vita Hugonis 9. Aprilis per Franciſcũ Haręũ.

De Gemegio cœnobio, quod ſuper fluuium Sequanam, non procul ab vrbe Rotomago ſitum eſt.) r. Gemmetico, hodie Iumiege. Monaſterium eſt Benedictinorum, quarto miliario à Rothomago. Verùm pro lectione textus eſt, quòd apud Surium S. Aichadrus vocetur abbas Gimeliẽſis, pro quo initio ſubſtituit Gemmeticenſis, vt hodie nominatur. Fuit autem abbas eiuſdem monaſterii poſt S. Philibertum ab Ebroino extruſum, & ibidem præfuit nongentis monachis, vt in vita eius ſcribit Fulbertus.

Ad villam Haſprum.) Hodie Haſpra dicitur, quomodó hîc ſcripſit r. eſtque Præpoſitura celebris monaſterii S. Vedaſti medio itinere inter Cameracum & Valentianas ad fluuium Sellam, in qua etiamnum duorum dictorum Sanctorum, videlicet S. Aicadri & S. Hugonis corpora requieſcunt. Quam villam Haſpram, vtrum Gemeticum ante poſſederit, vel poſtea ob Sanctorum prẹſentiam obtinuerit, incertum eſſe ſubiũgit auctor. Agit de hac Præpoſitura Miræus in Orig. Benedict. cap. 6. vbi ſcribit eam fuiſſe fundatam à Pipino, qui Maior erat domus Auſtraſiorum, victo Theoderico Gallię rege, cœnobitis Benedictinis Gemetico euocatis.

Rebuſ-

Rebuſque ſancti Vedaſti, quæ in ſua vicinia circumiacēt, ſuſceptis, villam Haſprum Leduino Abbati contradidit.) De hac permutatione Iacobus Guiſius in mss. Hannoniæ Chronicis ita ſcribit: Anno Chriſti 1024. Gerardo, eo nomine primo, Cameracenſi Epiſcopo procurāte, facta eſt permutatio inter Vedaſtinum ac Gemeticenſe monaſteria, Vedaſtinis Anglicuriam, in diœceſi Bellouacenſi ſitam, in vſum Gemeticenſium; Gemeticenſibus verò Haſpram in vſum Vedaſtinorū cedentibus.

CAP. XXX.

IN caſtro Valentianenſi monaſterium eſt Canonicorum, quod Arnulfus Comes, conſilio & auctoritate Rothardi Epiſcopi, &c. conſtruxit.) Intelligit Arnulfum Comitem Valentianenſem, de quo lib. 1. cap. 33. & 114. qui & Arnoldus ab aliis dicitur (Vnum enim idemque nomen eſt.) & Rothardum ii. Cameracenſem Epiſcopum, qui proximè Erluinum præceſſit. Non autem Arnulfum Flandrię Comitem, qui nihil iuris in caſtro Valentianenſi habebat. Adde quod Arnulfus Flandriæ Comes, qui & Magnus, obierit antequam Rothardus eſſet Epiſcopus, videlicet anno 964. teſte Meyero in Annalibus Flandrię. Arnulfus iunior ſiue ſecundus obiit 988. cuius ſucceſſor Balduinus Barbatus, qui primò vrbem Valentianenſem armis à ſe occupatam, poſtea ab Henrico ſecundo Imp. dono accepit, vt ex iis patet quæ habentur lib. 1. locis antè citatis.

CAP.

Hoc autem monaſterium, ſicut & alia quædam multas pertulit viciſſitudines, vt ex iis quæ in archiuis eius, poſt incendium & hæreticorum modernorum violationẽ, ſuperſunt, ac aliũde R. dominus Philippus de Lamine Abbas, eiuſq; Prior, Ant. d'Oultremã à me de eius origine cõſulti, latiùs ſcripſerũt, quorũ hæc eſt ſumma. Monaſterium S. Ioannis *Valentianis* primùm eſſe exſtructũ anno 549. quidam habent libri mss. nulla fundatoris facta mentione. Alii, nimirum Ludouicus de la Fontaine in antiquitatibus ſuis Valentianenſibus mss. & Henricus Doultremannus in ſua deſcriptione typis excuſa triumphi & ſpectaculorum in primo ingreſſu in Valentianam vrbem *Alberti* & Iſabellæ Sereniſſ. principum noſtrorum, Archiducum Auſtriæ editorum, & nonnulli anonymi, à Theodorico Francorum rege conditum narrant, cùm impulſu Ebervvini (vulgò Ebroini) Prẹfecti prẹtorio ſeu palatio, exercitum mouit in Auſtraſiam, & Cameracum, Famartium, & Valentianas armis occupauit. At paulò poſt à Pipino Herſtallo (qui & Groſſus ſiue craſſus dicitur) Duce & Maiore Auſtraſiæ pulſus & captus eſt anno 691. & quicquid Theodoricus ipſe in Hãnonia occupauerat, iure belli ſibi vendicauit. Vnde Theodoricum ipſum S. Iohannis monaſterium ædificaſſe vix eſt veriſimile, quòd illi datum non fuerit Valentianis diu potiri. Quò fit vt vero propiùs videatur, quod Iacobus Guiſius in annalibus Hannoniæ & Andreas Marchianenſis ab eo citatus aſſerunt, nempe ab ipſo eodem Pipino ædificatum circa annum domini 690. niſi fateamur

teamur Theodoricum prima iecisse fundamẽta, istum verò absoluisse. Quod probabile ex eo redditur, quia auctor quidam anonymus in Collectaneis suis manuscriptis scribit à Theodorico Rege Francorum circa annum Domini 680. ędificatum ex argilla & genistis. Quæ materiæ viles denotant operis imperfectionẽ, & festinationem ipsius Regis, qui nimis citò pulsus à Pipino, opus absoluere non potuerit. Vtcunque se res habeat, primùm illud Moniales inhabitasse constat ex dicto Ludouico, Henrico, & anonymo. Hæ tenuerunt vsque ad annum Domini 749. Tunc, vt scribit prędatus Prior, in earum locum suffecti sunt seculares Canonici à Pipino Rege Francorum, Caroli Martelli filio, qui illud monasterium bellorum ac temporis iniuria ferè euersum, instaurauit. Deinde, inquit, anno 1010 pulsis Canonicis secularibus subrogati sunt Canonici Regulares ordinis S. Augustini. Has mutationes probat ex tabula seu mẽbrana, quæ quotãnis cereo paschali recenter consecrato appendi solita erat, in qua Latinè maiusculis litteris, rubeis, ceruleis, & atris notabatur annus creationis mundi, incarnationis Christi, pontificatus summi pontificis, installationis Cameracensis, indictionis, epactæ, & dictarum mutationum. Huius tabulæ profert exemplũ anni Domini 1429. quod aduersus totius vrbis clerũ, in publicis supplicationibus in dicta S. Ioãnis ecclesia (vt antiquitus factitatum erat) conuenire renuentem, ad probandũ antiquitatem eius, & ius quod hoc nomine in dictis supplicationibus habebat, productum est ab aduoca-

to,

to. In eo post notatum iam dictum incarnationis Christi annum, & alia iam dicta, leguntur ea quæ sequuntur: Anno à mutatione monialium in Canonicos seculares sexcentesimo lxxx. & consequenter. Anno ab ordinatione Canonicorum secularium in Canonicos Regulares quadringentesimo xix. Secundum quam computationem prior mutatio facta fuisset anno 749. posterior anno 1010. Subdit idem Prior. His Regularibus Canonicis etiam exactis (si fides cuidam anonymo) iterum seculares restituti. Tandem Canonicis istis secularibus, ob perditos & dissolutos mores amotis, Regulares Canonici restituti sunt, qui huc vsque illud tenent. Quo tempore id factum fuerit nihil est certi. Sic ille. Qui tamen fatetur Guisium in suis Annalibus illud adscribere anno 1112. Quod etiam ex ijsdem Annalibus scribit Miræus in Orig. Canon. Regular. cap. 54. Ceterum ei quod dictum est de instauratione huius monasterij sub Pipino Caroli Martelli filio, & Canonicis secularibus ex tunc ibi constitutis, non aduersantur ea quæ scribit noster chronographus, quia facilè contingere potuit, quòd idem monasterium tempore Rothardi collapsum, denuò fuerit reparatum & exstructum per Arnulfum Valentianensem Comitem, cùm ab illo Pipino vsque ad Arnulfum sint anni plusquam ducenti.

CAP. XXXI.

NVnc autem monasterium canonicale, in veneratione etiam sancti

Saluij

Saluij Episcopi & martyris constat.) Hodie celebris est Prioratus iuxta Valentianas, ad fluuium Scaldim, ord. Cluniacensis. De quo Miræus in Orig. Cœnobiorum Benedictinorum c. 24. Fuit autem S. Saluius Episcopus Engolismensis in Gallia. Agunt de eo Vsuardus & Baronius in martyrol. die 26. Iunii, & latè Molanus in Nat. SS. Belgii ad eundem diem.

Vnde attonitus princeps regionis Carlomartellus.) r. Carolus Martellus, de quo iam dictũ est, qui fuit auus Caroli Magni, & obiit anno 741. At Sigebertus in Chronico, & Meyerus in Annalibus anno 801. S. Saluij martyrium sub Carolo Magno contigisse scribunt. His consentit liber passionis vitæ eius, & ipsius monasterij historia, quæ testatur interemptum fuisse anno 798. & triennio post, hoc est anno 801. à Carolo Magno inuentum & eleuatum. Adeo, vt Miræus existimet, hîc chronographum nostrum memoria lapsum, dum Carolo Martello attribuit, quæ Carolo Magno erant assignanda. Sed non minor fides nostro auctori, qui Sigeberto est antiquior, quàm ipsi Sigeberto tribuenda videtur in hac re, donec constet de contrario.

CAP. XXXII.

DE Mareclijs.) Ita in titulo a. sed g. & r. Marecolis, quamuis in g. videatur mutata prior scriptura. In textu omnia exemplaria vniformiter legunt Mareclias. Scribitur & alijs modis. Vide scholia ad cap. 27. & 67. li-

bri primi. Monaſterium eſt ordinis S. Benedicti, vnico diſtans miliari à Landraco Hannoniæ opido, de quo Miræus in Orig. Cœnob. Benedict. c. 13. vbi vocat cœnobium Maricolenſe. Molanus in Nat. SS. Belgii die 25. Martii Marelliam & Maricolam nominat, vbi latè agit de S. Humberto eius fundatore, cuius vita exſtat apud Surium die 6. Septembris, quo die corpus eius tranſlatum fuit.

Hanc ſiquidem Abbatiam primus Otto Imperator, Heinrici Regis filius &c. tempore Fulberti Epiſcopi habendam tradidit ſanctæ Dei matris eccleſiæ Cameracenſium.) Eadem Abbatia à Carolo Rege antea data fuerat Stephano prędeceſſori ipſius Fulberti, ſed non abſolutè, at cum ſubiectione ſeculari, vt patet ex cap. 67. & 70. libri primi: quibus locis diplomata harum donationũ inſeruntur. Gazæus inter geſta Gerardi primi commemorat, quòd ex hoc monaſterio clericos ſeculares expulerit, qui multo iam tempore opera Iſaaci Comitis Cameracenſis, (de quo lib. 1. c. 65. & 70.) illud inuaſerant, reſtitutis ibidem monachis S. benedicti, iuxta primam fundationem S. Humberti, qui in ſancta conuerſatione perſeuerant in hunc vſque diem.

CAP. XXXIII.

IN villa quoque VVaſlero beatus Landelinus monaſterium ad paucos fratres condidit, cui ſanctum Dodonem bonæ

bonæ memoriæ virum præfecit.)
Monaſterium hoc à fluuio VVaſlero præterfluente ita dictum, in ſylua Fania verſus Theoraſciam ſitum erat, ſed iam prorſus dirutum. Vnde corpus S. Dodonis modò quieſcit in Prioratu Laubienſi, qui dicitur vulgata lingua, Monſtier en Faigne, id eſt monaſterium in Fania. Meminit eius Fulcuinus abbas Laubienſis in ms. chronico Laubienſi, cuius verba ſunt apud Miræum in Orig. cœnob. Benedictinorum cap. 10. Vita S. Dodonis exſtat ms. Laubijs. Feſtum notatur à Molano die 28. Octobris in Natalib. Conſtat ex noſtro chronographo S. Landelinum, tria conſtruxiſſe monaſteria, Lobium, VVaſleriam, & Criſpinium, quibus dictum chron. Laubienſe addit quartum, videlicet Alnenſe, quod Lobio ſubiecit. Eſt autem Alna hodie cœnobium ordinis Ciſtercienſis, ad Sabim fluuium, milliari vno à Laubiis diſtans. De his quatuor monaſteriis teſtatur & vita ipſius S. Landelini apud Surium, & Molan. de 15. Iunij.

CAP. XXXIV.

IN villa etiam Feſcau monaſterium eſt, vbi ſanè ſanctus vir Domini, Hetto videlicet Scotus.) &c. Latinè dicitur Fiſciacum, eſtque hodie Prioratus, dependens ab Abbatia Lætienſi ordinis S. Benedicti celeberrima, iuxta Aueſnas. De Hettone ſiue Ettone vide Molanum in Nat. 10. Iulii.

CAP. XXXV.

NEc præteream vicum quem Altum Montem dicunt.) Altimõtenſe monaſterium ordinis S. Benedicti, miliari vno diſtat à Melbodio Hannoniæ opido. Agit de eo Miræus de Orig. cœnob. Benedict. ſed ex hoc noſtro Chronico, quod ms. à me accepit mutuo.

Nam quadam nocte pluit Dominus niuem.) &c. Huic planè ſimilis eſt hiſtoria de eccleſia Romæ in honorem B. Mariæ ædificata, quæ B. Mariæ ad niues appellatur, de qua Romanum Breuiarium die 5. Auguſti.

CAP. XXXVI.

QVod beata Chriſti virgo Aldegundis.) Vitam eius habet Surius to. 6. 13. Nouemb. qui eſt dies tranſlationis ipſius. Agit de eadem Molanus in Natal. die 30. Ianuarij.

CAP. XXXVII.

TRanſeundum eſt ad Laubienſe cœnobium.) Situm illud eſt ad Sabim fluuium, ſecundo miliario à Binchio Hannoniæ opido, in ditione quidem Leodicenſi, ſed in diœceſi Cameracenſi, vt ſuprà adnotauimus lib. 1. cap. 105. Agit de eo Miræus capitulo decimo.

Pij magiſtri profugium.) Id eſt, qui à pio

pio magiſtro profugerat, videlicet S. Autberto. Loquitur autem de S. Landelino de quo ſuprà c. 33. & libro 1. c. 17.

Beatum virum Dei Vrſmarum, pijs moribus prædituin, in functoria tantum prædicatione ſacratum Epiſcopum.) Hoc eſt, ad Dei verbum prædicandum, & conuerſionem Gentium, non autem peculiari alicui loco adſcriptum. Quod in primitiua eccleſia, & multis poſt temporibus, eò fiebat frequentius, quòd verbi prædicatio per ſolos ferè Epiſcopos, non autem per ſimplices presbyteros, fieri ſoleret. Quare fallitur Meyerus dum in Annal. Flandriæ anno 668. Vrſmarum vocat Sueſſionum Epiſcopum. Vrſmari vita exſtat apud Surium & Molanum 18. Aprilis. De S. Ermino, de quo hoc cap. & ſeq. agit idem Molanus in Natal. die 25. Aprilis.

CAP. XXXVIII.

ERat namque eccleſia parochialis ſubiacens prælibato cœnobio, quæ iuxtà, ſcilicet in vertice montis, ſita eſt.) Hanc parochialem eccleſiam vocat monaſterium Sanctorum Vrſmari & Ermini, quòd ibidem hi duo Sancti Abbates Laubienſes ſepulti fuerunt, & circa auctoris noſtri tempora monaſterium exædificatum ſit, & Canonici eò tranſmiſſi, vt eſt in fine cap. Hodie verò eſt Canonicorum Collegium Binchij reſidens ab anno Domini 1408. Vide Miræum in Orig. cœnobiorum Benedict. cap. 10.

Postquam verò ambo ad remunerationem vocati, primò quidem beatus Vrsmarus, dein vir Dei Erminus.) &c. S. Vrsmarus obiit anno 713. S. Erminus anno 737.

CAP. XXXIX.

IN villa Castriloco duo quoque monasteria habentur.) Hoc est in vrbe Montensi seu quę nunc dicitur Montes Hannoniæ, Gall. Mons en Haynau, estque totius prouinciæ Hannoniæ caput. Sita sunt autem hæc monasteria quasi in meditullio & summo culmine totius opidi, vbi adhuc forma Castri visitur, vnde loco nomen inditum. Prius hodie est Canonicarum nobilium celeberrimum & amplissimum Collegium, cuius abbas perpetuus est Comes Hannoniæ. Cui adiacet alterum S. Germani Canonicorum secularium, qui in iam dicto Collegio diuina peragunt officia mulieribus inconcessa. Neque auctori nostro aduersatur Iacobus Guisius in Annalibus Hannoniæ lib. 11. c. 3. vbi videtur prioris monasterii constructionem tribuere Sigeberto Regi Austrasiæ, pro anima patris sui Dagoberti: quia ibidem fatetur, iam antè fuisse in Castriloco monasterium, quod eremitagium vocat B. VValdetrudis, in quo, inquit, erant nonnæ, id est sanctimoniales. Rectè igitur intelligatur, quod illa inchoauerat, hunc auxisse & ampliasse.

CAP.

CAP. XL.

DE Cella ſancti Giſlani.) Vſitatius eſt Giſlenus, quomodo hic in titulo legit r. In a. verò tituli deinceps, omiſſi ſunt, vel non niſi recenti manu adſcripti. Pro priori ſcriptura facit, quòd ita legat g. in ſummario c. 18. lib. primi, quodque Gallicè proferatur & ſcribatur S. Giſlain. Et quamuis nunc a. legat in textu Giſleni, ex indicio tamen lituræ apparet mutatio.

Qui quantus, vel qualis vixerit, liber qui de vita ipſius componitur, largiter edixerit.) Ita ſincera noſtra exemplaria g. & a. & ita ſcriptum fuiſſe ab auctore indicat rythmica conſonantia, ne quis legendum putet, ediſſerit. In codice r. quia ſatis durus viſus eſt ſermo, ſic eſt immutatus: Liber qui de vita ipſius inſcribitur, pleniùs exprimit. At nobis religio eſt aliquid immutare, quod non planè conſtat mendum eſſe. Porrò libellus vitę ipſius extat apud Surium 9. Octobris, & eodem die nonnulla habet de eo Molanus in Nat.

CAP. XLI.

MOdò diuulſa, militaribus viris beneficio infiſcatur.) Diuulſa ſcilicet ab eccleſia S. Mariæ Cameracenſi. At hodie, quod optimum eſt, proprium ſuum habet Abbatem, & ſicut monaſterium Cellenſe S. Giſleni, ita & Criſpinium ordinis eſt S. Benedicti. Agit de illo Miræus in Orig. cœnob. Be-

nedictinorum cap. 8. de hoc cap. 11. Ex eo autem quòd chronographus noſter Criſpinium vocet monaſterium Canonicorum, patet ſuo tempore fuiſſe congregationem Canonicorum ſecularium.

CAP. XLII.

ABbatia fuerat puellarum.) Hunc locum citans Molanus in Nat. SS. Belgij die 1. Octobris, agens de S. Waſnulfo, de quo hoc cap. ad marginem ita adnotauit: Puer à puritate. Hinc puellam pro virgine vſurpat. Nota verò eodem modo aliquoties ſuprà accipi, vt cap. 12. 36. & 39.

Nunc autem eſt monaſterium, præ inopia, paucorum Canonicorum.) Hodie ſunt numero 24. connumerato Prępoſito & Decano.

CAP. XLIII.

VBi vir Dei venerabilis Baidilo requieſcit.) &c. De Baidilone ſeu Badilone Abbate Luthoſano, agit Molanus 8. Octobris vbi Vizeliacum legit, pro quo noſtra exemplaria legunt Vercelliacum. Sigebertus in chron. factam ſcribit tranſlationem corporis S. Mariæ Magdalenę ex Aquenſi vrbe in Viceliacum cœnobium Burgundiæ anno 745. Falli verò videtur auctor dum corpus illud de Hieruſalem in Burgũdiam ſcribit allatum, cùm ſepultum fuerit in dicta vrbe Aquenſi, & poſtea veriſimiliter nunquam in Hieruſalem tran-

translatum. Quanquam (iaddit Sigebertus) aliqui scribant, quòd hoc apud Ephesum quiescat, nullum super se regimen habens. De eadem translatione per Badilonem scribit Vincentius Bellouacensis in speculo hist. lib. 23, c. 152.

CAP. XLIIII.

IN vico Rotnasce est monasterium Canonicorum à sancto quoque Amando &c. constructum, vbi martyr Dei preciosus Ermes quiescit.) De loco & situ huius monasterii dictum est ad cap. 75. lib. 1. Pro Ermes vsitatiùs pronunciatur Hermes, quomodo legunt exemplaria loco iam citato. Quia verò à S. Amando constructum, non videtur dubitãdum quin fuerint olim Religiosi Benedictini. Fundauit idem quoque monasterium Elnonense, quod nunc S. Amandi dicitur, vno distans miliario ab Hasnonio, sed in diœcesi Tornacensi, ideoque nulla fit eius à chronographo nostro mentio, qui non nisi diœceseos Cameracensis & Atrebatensis ecclesias & monasteria intendit describere.

CAP. XLV.

EST etiam locus super Scaldum fluuiũ, quem dicunt Iham.) Nunc Einham & Einame, seu monasterium Einhamense iuxta Aldenardã, de quo Miræus in Orig. cœnob.

Cœnob. Benedict. c. 36. & plura in auctario ad idem caput ex ms. exẽplari Lipsiano Chronici Sigeberti, in quo sic legitur: Anno M. V. mortuo Othone Duce, Ducatus Lotharingiæ datur Comiti Godefrido, filio Godefridi Ardennensis. Iste Dux Godefridus dictus est Eihamensis. Erat autem Eiham opidum & castrum munitissimum, & sedes principalis ducatus regni Lotharici. Qui dux Godefridus duxit Mathildem, filiam Herimanni Ducis Saxonum, viduam relictam Baldevvini Comitis Flandriæ, qui erat filius Arnulfi Magni Marchionis, videlicet Flandriæ &c. De eodem castro in eodem exemplari chronici Sigeberti anno 1033. sic legitur: In diebus Ragineri Longicolli traditum est fraudulenter castrũ, quod dicitur Eiham, & datum est Balduino Barbato, qui castrum funditus destruxit. Cui conforme est, quod scribit Meyerus in annalib. Flandriæ anno 1034. Comperio annotatum ab cœnobitis Eynhamensibus, castrum Eynhamam hoc anno ab Barbato funditus fuisse euersum. Idem verò Chron. Sigeb. anno 1063. sic habet: Hoc anno Cœnobium Eihamense à Balduino Comite & Athela comitissa constructum est. Idipsum testatur Meyerus eodem anno. Neque pugnant ista cum nostro auctore, qui à Godefrido monasterium Eynhamense scribit esse fundatum, idque iuxta ea quæ iam adnotauimus, circa annum 1005. Tunc enim primitus fundatum est, deputatis Canonicis, vt auctor loquitur, quos vt solet, seculares, intelligit. At cùm anno 1033. penitus esset destructum, integrè instauratum est à Balduino Pio

Pio Flandriæ Comite, & tributum cœnobitis Benedictinis (qui in hodiernum vsque diem permanent) instituto ibidem primo abbate VValtero, ex cœnobio S. Vedasti accito.

CAP. LXVI.

HIc profectò ab incolis Sungeias nuncupatur.) Ita omnia exemplaria, nunc Sonegias vocant, Gall. Songnies.

Cum filio suo Landrico, Meldensi Episcopo, in pace quiescit.) Sic absolutè legunt duo antiquiora & correctiora exemplaria.r. perperam addit: aliâs Methensi, quia hoc modo in vita ipsius, sed perperam quoque, habetur. Est autem in catalogo Meldensium Episcoporum in tabulis Democharis 24. Consentit ætas. Floruit enim in Episcopatu circa annum 650. Cõsului hac de re Venerab. virum dominum Henricum de Vergnyes, S. Theol. Licentiatum Sonegiensis ecclesiæ Decanum, qui respondit ex monumentis ecclesiæ suæ nihil quidem solidi haberi posse de eo, fuerítne Meldensis an Metensis Episcopus: sed re diligenter examinata, magis probari, quòd Meldensis fuerit Episcopus. Quapropter locum non habebit quod Molanus in Nat. SS. Belgii die 17. Aprilis de S. Landrico his verbis adnotauit: Non numeratur inter Episcopos Metenses, fortassis quòd solùm fuerit coëpiscopus ad infidelium conuersionem, vt multi alii per ea tempora Episcopi.

CAP.

CAP. XLVII.

APud Maſlinas quoque monaſterium eſt Canonicorum.) Hodie Machlinia dicitur, & Mechlinia; Gal. Malines, quæ non amplius eſt in diœceſi Cameracenſi, ſed ante quinquaginta annos ſub Paulo papa 4. anno videlicet 1559. facta eſt ſedes Archiepiſcopalis.

Vbi quieſcit precioſus Dei martyr Rumoldus, genere Scotus.) Agit de eo Molanus in additione ad Vſuardum, & in Nat. SS. Belgii die 1. Iulii. Item Romanum Baronij Martyrologium his verbis: Machliniæ paſſio ſancti Rumoldi, Scotorum Regis filij, & Epiſcopi Dublinenſis. Acta eius habet Surius to. 7. Paſſus eſt anno 775.

CAP. XLVIII.

NEc procul hinc eſt monaſterium Canonicorum, quod ex proprijs prædijs vir Dei Guntmarus, illuſtris laicus, ſtruxit.) Deſcribit eccleſiam Collegiatam Lirenſem. Eſt autem Lira Brabantiæ opidum, nunc diœceſis Antuerpienſis, diſtans à Mechlinia paulò amplius quàm duobus miliaribus. S. Gummari vitam habet Surius to. 5. die 11. Octobris, & Molanus in Nat. SS. Belgij.

Hæc ſunt quæ de monaſterijs, hoc eſt Collegia-

legiatis & conuentualibus ecclesiis, vtriusque dioecesis, Cameracensis videlicet & Atrebatensis, breuiter scribit noster chronographus. In quibus miror omissum esse monasterium Læriense ordinis S. Benedicti, fundatum circa annum 750. super fluuium Helpram, tẽpore Theodorici Cameracẽsis Episcopi, quod etiamnum insigni pietate viget. Fuisse autem eo tempore fundatum constat ex vita S. Hiltrudis, quæ ms. Lætijs exstat, & ex Miræi Originibus coenob. Benedict. cap. 23. semper fuisse dioecesis Cameracensis. Cetera quæ omissa sunt, post tempora auctoris fundata sunt, vt Aquicinctinum, Gerardimontense S. Adriani, Strumense in Artesia, Affligemiense in Brabantia, & multa alia. Item omnia Cistercienſis, & Præmonstratensis ordinis, denique omnia ordinum Mendicantium, Carmelitarum, Augustinianorum, Dominicanorum, & Franciscanorum.

LIB.

LIB. III.

CAP. I.

GERARDO suo Capellano, adhuc Diacano, non infimis parentibus Lothariensium atque Karlensium edito.) Pater erat ei Arnulfus Florinensis, ex pręcipua nobilitate Leodiensium, mater Ermentrudis. De illo Ioannes Placentius in catalogo Episcoporum Leodiensium in Notgero: Arnulphus (inquit) Ruminaceus, ecclesiæ Florinez fundator, duos genuit filios, Godefridum, & Gerardum Cameracensem Antistitem, qui monasterium Ioanni Bap. in Florinez perfecit, & eximiæ sanctitatis exemplum post se reliquit. Sic ille. Gerardum habuisse & alium fratrem, Elbertum nomine, constat ex cap. 3. lib. 2. Et infrà cap. 18. dicitur Gerardus dictum monasterium S. Iohannis fundasse ex rebus suis & fratrum suorum. Ex quo sequitur eum plures fratres habuisse.

Kalendis Februarij, donum largitus est Episcopij.) Hinc constat integro anno sedem vacasse cum Erluinus fuerit mortuus 3. nonas Februarij.

Vt melioratus ab insolentijs desisteret.) Ita legere videtur r. reliqua duo desisceret. Fortè legendum desciscеret, id est, se retraheret.

CPA.

CAP. II.

AD Imperatorem, in villam videlicet Nouiomagum ſe contulit.) Ita a. & g. quamuis in g. deletum ſit o, vt ſolummodo Nouimagum legatur, ſicut habet r. Infrà cap. 17. omnia conſtanter legunt Nouiomagum. Credo vtrũque dici, ſicut Nouidunum & Nouiodunum. Videtur autem intelligi Neomagum in Geldria ſupra VVahalim fluuium, qui teſte Eginharto in vita Caroli Magni, Batauorum inſulam à parte meridiana præterfluit, vbi ſcribit Carolum magnum palatium ædificaſſe, Teutonicè Nimmeghen ſeu Nieumeghen.

Ad nouum Epiſcopium dedicandum, in ciuitatem videlicet Bauenberg.) Latinè Babenberga. (Nam v & b ſæpe tranſeunt in ſe mutuo) ſiue Bamberga, quæ ciuitas eſt Franconiæ Orientalis, erecta in Epiſcopatum ab Henrico ij. Imp. anno, vt Sigebertus ſcribit, 1006. de qua plura ſcripſi in notis noſtris ad cap. 6. lib. 1. Formicarii Ioannis Nideri. Et quidem dicto anno conceſſum fuit Henrico in concilio Francofordienſi (cuius acta habet eodem anno Baronius to. 11. annalium) vt ea ciuitas in Epiſcopatum erigeretur: ſed baſilica cathedralis ab eo extructa, demum dedicata fuit anno 1011. epiſcopis pluſquam triginta præſentibus, teſte Baronio anno iam dicto 1011.

Suſpectum omne prætergrediuntur.) Ita

Ita Codex Rubeæ vallis, reliqua duo vitiosè precor grediuntur, & a. omittit vocem ſuſpectum.

CAP. III.

NAm dum Epiſcopus Gerardus ad obſidionem Mettenſium ciuitatis.) &c. Obſidionem huius ciuitatis, propter Deodericum Metenſium Epiſcopum, fratrem vxoris ſuæ Cunegundis contra ſe rebellantem, ab Henrico Imp. factam ponit Sigebertus anno 1009. Verùm id non conſiſtit cum auctore noſtro res geſtas ſui temporis ſcribente, cum Gerardus anno 1011. necdum eſſet epiſcopus, vt patet ex præcedenti cap.

Oportuna calliditate, præuidit.) Sic omnia exemplaria, vti & infrà cap. 9. Vtitur autem eo verbo loco eius quod diceret, prouidit, quomodo & ſuprà lib. 1. c. 116. legebãt a. & g. præuidente pro prouidente.

Nam Rotbertum Regem, & Odonem Comitem.) Ille erat rex Franciæ, hic Comes Campaniæ in Gallia, vt apparet ex Sigeberto, qui eius primùm meminit anno 1024. Fit eius frequens mentio in ſequentibus.

CAP IIII.

IN monaſterio ſanctæ Mariæ Atrebatenſium.) Intelligit Cathedralem eccleſiam, vt patet ex lib. 2. c. 13. vbi eandem refert hiſtoriam, & ſcribit illam reliquiarum inuentionem, de qua agitur, contigiſſe anno ſecũdo Gerardi

Gerardi Episcopi. Quæ autem & quales fuerint reliquiæ, ab Atrebatensibus non potui rescisscere.

CAP. V.

BAldricus Leodicensis ecclesiæ adeptus est dignitatem.) Id factum (teste Sigeberto, & consentit Placentius) anno 1008. Sed bellum, quod hîc refertur postea contigit, nempe anno 1013. teste eodem Sigeberto.

Rotbodo Namurcensi Comite.) Sic legit vbique codex Atreb. & g. tertio abhinc loco. Sed 1. & 2. loco g. legit Rotberdo & Rotberdi, ex quo r. fecit Roberto & Roberti. Verùm r. tertio loco habet Rotboldi, quod accedit ad primam lectionem, quam vbique retinuimus.

CAP. VI.

EST autẽ monasteriũ in pago Hainou.) Ita g. sed a. Hainau, vt nunc pronunciatur, r. Hainon.

Quod, vt posterius lectori occurrit.) Sic omnia exemplaria. Legendum videtur superius. Nam quod citat habetur lib. 2. c. 35. Verùm quia ita constanter legunt exemplaria, nolui quicquam immutare. Et fortè sic ab auctore dictum, phrasi Gallica, ac si diceret dernierement. Qui tamen propriè loquitur lib. 1. cap. 4. cùm dicit: Vt posteriùs liquet. Nam respicit ad c. 6. & 7.

Cùm Arnulfi filio hæreditariè cessit.) Restitui Arnulfi, pro Arnulfo. Nam Arnulfi filium, & Gerardi Episcopi fratrem, Go-

defridum nominat auctor lib. 2. c. 35. vbi eandem describit historiam.

CAP. VII.

GOdefridus antea dictus (id est suprà nominatus, videlicet cap. 2.) adeptus est dignitatem) scilicet Ducatus Lotharingiæ. Vide quæ de eodem Godefrido adnotauimus lib. 2. c. 45. Fallitur autem Sigebertus dum id factum scribit anno 1005.

CAP. VIII.

IVxta Castrum-monté fonticulus est.) &c. Hic fons S. Waldetrudis etiamnum exstat in magna silua Montensi à dextris viæ, qua Bruxellam itur, vno propè milliario ab vrbe Montensi, iuxta antiqua murorum rudera, quæ muri Paganorum appellantur, in pago cui nomen Castrum. Neque hodie sine veneratione est.

Meritis sanctæ virginis recuperare feruntur.) Virginis, id est sanctimonialis. Loquitur enim de S. Waldetrude, quę multas proles genuit, ideoque r. pro virginis scripsit matronæ. Vide quæ suprà adnotauimus ad c. 26. lib. 2.

CAP. IX.

LAntbertus iam dictus, cum Rainero nepote suo, Raineri filio.) De Lãtberto & Rainero vide quæ habet auctor lib. 1. c. 94. & 95. & quę ibidẽ ad c. 94. adnotauimus.

Sibi-

Sibiqúe coëpiſcopis Albaldo videlicet & Haymone adhibitis.) Prior eſt qui in catalogo Epiſcoporum Vltraiectenſium vocatur Adelboldus, de quo & infrà cap. 19. 20. & 22. Poſterior eſt 38. in catalogo epiſ. Virdunenſium, de quo infrà cap. 35.

CAP. X.

CVi cùm Anglos prædicatione.) &c. Sic exemplaria, ſed rectiùs fortè: Qui, vel Quẽ, quia poſtea ſequitur verbum admonuit.

Iunctos etiam, ſi nollent, pateretur.) Si nollent, ſcilicet ſeparari.

CAP. XI.

ITem etiam Comes quidam Gerardus.) &c. Quæ hoc habentur cap. breuiter narrat Sigebertus in chro. anno 1014. his verbis: Dux Godefridus Gerardum Comitem multis modis regnum inquietantem bello vicit, in quo filio eius cum multis occiſo, complices eius deterruit. Erat autem Gerardus ille Comes Alſatiæ, vt patet ex Richardo de VVaſſebourg lib. 4. antiq. Belgicarum in Haymone 38. Virdunenſi Epiſcopo.

CAP. XII.

VNâ etiam non paucis altrinſecus interfectis.) Sigebertus in chron. anno 1015. eandem narrans hiſtoriam, ſcribit pluſquam quadringentos viros occiſos fuiſſe.

Cùm ad Florinas tenderet bellaturus.) ſcilicet Lantbertus Comes Louanienſis. Flo-

rinæ, opidum est in finibus agri & diœcesis Leodiensis, sesquimiliari à Philippopoli Hannoniæ opido situm, Gall. Florennes, patria Gerardi Episcopi, vbi duo ipse fundauit monasteria, vt patet infrà cap. 18.

Et vt moris est bellantium, capiti inpositam loricæ strictim commisit.) Obscura locutio. Fortè deest galeam, & legendum: capiti impositam galeam loricæ &c. Porrò simile exemplum de Rege, qui per reliquias S. Sergij aduersarijs semper prævaluit, videre est in Aimoino lib. 3. de gestis Francorum c. 67. Hinc autem docemur gestationem reliquiarum plurimùm prodesse.

CAP. XIII.

DVcique Baicariorum.) Sic omnia exemplaria: Alio nomine Baioariorum, hodie Bauarorum appellantur.

CAP. XIV.

ISte siquidem (Vulpodo) omni religione prædítus, normam iustitiæ suis exhibuit, morumque ac vitæ innocentis exempla reliquit.) Hic inter Sanctos numeratur à Molano in addit. ad Vsuardum, & in Nat. die 21. Aprilis. Item ab Arnoldo VVion in martyrol. monastico ad eundem diem. Vocatur à Sigeberto in Chron. anno 1017. (quo Baldricus ij. obijt, & hic consecratus est Episcopus) Guolbodo, & Guolbodus, à Meyero

Vol-

Volbodo, à Molano VVolbodo. Obijt anno 1021. Agit de eo latè Meyerus anno 1020. eumque diuum appellat. Multa etiã præclara scribit de eo Placentius.

CAP. XV.

ISte quia in sua parochia est ecclesia.) &c. Parochiã in hoc opere vbique ferè accipit pro diœcesi. Vide explicationem huius loci suprà ad cap. 105. lib. 1.

CAP. XVI.

A regimonio Atrebatensis ecclesiæ.) a. addit S. Vedasti. Illa enim eccesia intelligitur.

CAP. XVII.

DOmnum Gerardum Episcopum vsque ad monasterium Sanctas secum adduxit.) Vbinam illud situm sit, mihi non constat. Ex descriptione itineris, quo Imperator Colonia Neomagum, & inde Sanctas peruenit, satis apparet esse vltra Neomagum Geldriæ opidum, vbi apud VVagheningen inuenio Setten. Certum est autem non intelligi monasterium Sanctas de quo lib. 2. c. 12. quod est in Artesia. Sed nec videtur intelligi opidum de quo Abrahamus Ortelius in thesauro Geographico in dictione Troia. his verbis: Est apud Belgas in littore Rheni vrbs, quam Santen vocamus. Hanc Otto Frising. dicit olim

Troiam vocatam, fabulosè, vt puto. Sic Ortelius. Ratio est, tum quia non dicit vsque ad opidum Sanctas, sed vsque ad monasterium Sanctas: tum quia opidum illud est inter Coloniam & Neomagum, atque ita citiùs peruenisset Sanctas quàm Neomagum.

Troiam ciuitatem obsidione vallauit.) Hæc Troia in Italia sita est. Sunt enim plures Troiæ. Ortelius decem recenset vrbes eo nomine dictas. Fallitur Sigebertus dum hæc gesta fuisse narrat anno 1013. his verbis: Henricus Imp. Italiam petens, vt subueniret suis, quos Græci premebant circa Beneuentum, Salernam, & Capuam debacchantes, Troiam ciuitatem capit. Deinde subsequenter annectit de bello Baldrici Episcopi & Lamberti apud Hugardin, de quo suprà cap. 5. Meminit quidem Baronius ex Ditmaro, de aduentu Henrici regis Romam sub finem huius anni 1013. & anno sequenti agit de eius coronatione in Imperatorem. Verùm hunc aduentum contra Græcos accidisse post obitum S. Heriberti anno 1022. auctori nostro conformiter, testatur Leo Ostiensis lib. 2. chro. Casinẽsis cap. 40. Glaber, & alij; atque ex his latè Baronius. to. 11. Annal. ad annum iam dictum 1022. Sequitur in textu.

Illucque domni Gerardi Episcopi mẽtionem faciens, ei munera iterum misit, sanè mandans totius beniuolentiæ commercia.) a. legit manans pro mandans. Patet autem ex hoc loco, huius chronici auctorem Gerardo Episcopo valde familiarem fuisse,

ſe, qui tam particularia ſcire potuerit. Nota verò hæc verba & ſequentia omnia vſque ad cap. 49. omitti in ms. Rubeæ vallis, quòd trãſſcriptor laboribus parcere voluerit. Quod nec ipſe tacuit. Sic enim habet. Omiſſis quidem ergo multis infeſtationibus ab ipſo Waltero, Domino Gerardo illatis, ipſe dominus Gerardus, poſtquam primùm vrbem cõmiſſam intrauit, videns quidem tam anguſta. & cetera conſequenter, vt habentur infrà cap. 49. Et paulò poſt eodem cap. 49. omittit illa verba, vti ſuprà retulimus, quia ſuperiora illa non tranſſcripſerat, cùm tamen prorſus indubitatum ſit, ea omnia auctoris eſſe. Neque tãtùm infeſtationes V Valteri, ſed & multa alia egregia ac memorabilia prætermiſit.

CAP. XVIII.

ET illud monaſterium ſancti Gingulfi, quod pater imperfectum reliquerat, ad finem perduxit.) a. legit Gengulfi. Molanus in additione ad Vſuardum die 11. Maii & Surius, qui eodem die vitam ipſius habet, vocant Gangulphum. Agit de eo idem Molanus in Nat. S. Belgii. Porrò pro maiori explicatione eorum quæ hoc cap. narrantur de duobus monaſteriis Florinenſibus vide Molanum in Nat. die 22. Auguſti, & Miręum in Orig. cap. 33. In Sigeberto per eundem Miræum edito anno 1010. ſic legitur: In cœnobio Florinenſi pro clericis, qui ad hoc vſque tẽpus deſeruiebãt ibi, monachi ſunt cõſtituti.

CAP. XIX.

QVi ab incolis Merevveda nomen accepit.) a. Merenvveda. Nota autem quòd in ijs quæ hoc cap. narrat auctor, non obſeruet ordinem temporis, quod & aliâs interdum notaui. Nam demum hoc cap. narratur mors Baldrici ſecundi eius nominis Leodicenſis Epiſcopi, de cuius ſucceſſore Vulpodone ſeu VVolbodone egit ſuprà cap. 14. & 15.

In numero periclitabantur.) a. omittit in numero, ſed malè. Senſus eſt propter numerum & multitudinem. Sic infrà c. 37. In numero cõflixere perſonæ, id eſt multæ. Niſi quis putet ibi legendum innumeræ, quod non videtur.

Tandem capitur vulneratus.) Ita reſtitui, cùm vtrumque exemplar habeat: tam capere vulneratus. Vbi primam dictionem neſcias an legas tamen, quomodo ſæpe conſtat legendum, an tandem quomodo videtur interdum legendum, vt hoc loco ſenſus poſtulat, & ſuprà cap. 15.

Baldricus Epiſcopus in prædicta villa hominem exiuit.) Id eſt homo eſſe deſijt, mortuus eſt. Contigit autem mors eius, & ea quæ hoc cap. narrantur anno 1017. die 29. Iulij. De quo ſic Placentius: Obijt anno adminiſtrationis vndecimo 4. Calẽdas Auguſti, quum ad expeditionem in Phriſios ab Imperatore electus fuiſſet. Sepultus in monaſterio diui Iacobi. Sic ille. Porrò phraſis eſt antiquis vſitata, hominem exire, pro mori, qua & ſuprà vtitur auctor libro 1. c. 118. vbi r. pro exiret ſcripſit

exue-

exueret. Sic Flodoardus lib. 4. cap. 1. Quo diuina vocatione hominem excedente, & cap. 5. Tunc illis feliciter humana excedentibus. Nõ minus tamen vſitatum eſt, hominem exuere, pro mori, Ionas Aurelianenſis lib. 3. de cultu imaginum ſub finem: Cùm inquit, hominem exuentes ad vitam tranſeunt potiorem. Aimoinus lib. 4. de geſtis Francorum c. 48. Hunfrido Abbate hominem exuente. Annales Francorum à Petro Pithoeo editi ad annum 855. Mortalem hominem exuit. Epitaphium Stephani papæ vij. apud Baronium to. 10. anno Chriſti 900. Strangulatus neruo, exuit & hominem. Breuiarium Atrebatenſe die 15. Iulij: Hominem celerius exuit. Legitur eadẽ phraſis in ſpeculo exemplorum diſtinctione 3. exẽplo 64. ex libro de viris illuſtribus ord. Ciſtercienſis, qui ætate Bernardi ſcriptus videtur. Denique Cæſarius Heiſterbachcenſis lib. 2. dialogi cap. 15. invnctus eſt, hominem depoſuit.

CAP. XX.

QVamuis enim Abbatia pauper ſit & exigua) &c. Hodie Abbatia S. Giſleni virtute & opibus fœcunda eſt, & totius Hannoniæ prima.

CAP. XXI.

ABbatiam quamlibet, nullus præter Imperatorem aut Epiſcopum, debeat commendare.) Quamuis id ab initio non fuerit, eam tamen habet vtilitatem, quòd hac ratione multæ lites & diſcordiæ euitentur in monaſteriis.

CAP. XXII.

QVia namque Aquaticorum Friſonum circa ipſam parochiam moris eſt, aut vix paucos, aut nullos Euchariſtiam in die ſancti paſchæ velle guſtare.) Hinc patet quàm fuerit neceſſarium canonem condere, vt omnis vtriuſque ſexus ſaltem ſemel in anno, videlicet in paſchate, ſacram Euchariſtiam ſuſciperet. Quod ſtatutum eſt ducentis annis poſt hæc tempora quæ nunc auctor proſequitur in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio iij. anno Domini 1215. Quod autem dicit: In die ſancti paſchæ, ne quis errorem ſuſpicetur, & ſcribendum putet ſancto, nota eum Dominicam diem reſurrectionis vocare ſanctum paſcha, quomodo adhuc hodie vulgus in his partibus loquitur, & Dominicam palmarum vocat paſcha floridum, Dominicam verò in Albis, paſcha clauſum, quòd eo die paſchalis ſolemnitas claudatur & finiatur.

Malle ſibi peccarium plenum ceruiſiæ.) Vtrumque exemplar habebat Male, ſed nunc vſitatiùs ſcribimus & dicimus malle geminato l, cùm tamen dicamus malo. Peccarium eſt certa menſura cereuiſiæ. Fortè legendum beccarium, quod lingua Friſonum beccar, Teutonica beker, id eſt poculum, ſeu ſemilotum nominamus. Sic in gloſſario Iſidori legimus: baccarium, vas aquaticum.

CAP.

CAP. XXIII.

ALberto Vermandenſi Comiti.) Hoc eſt S. Quintini. Integrè ſcribitur Veromandenſi & Viromandenſi. Vnde Molanus in additione ad Vſuardum die 25. Auguſti: In pago Viromandenſi, natale ſanctæ Hunegundis, pretioſæ virginis. De ea fit mentio hoc cap.

Mox in his verbis vltiſſimis ſpiritum exhalauit.) Hoc eſt omnino vltimis.

CAP. XXIIII.

COnſecrationi B. Sueſſionenſium Epiſcopi.) g. Seſſonenſium & paulò poſt Seſſonenſi. Sed in a. correctum Sueſſionẽſium, quomodo infrà cap. 27. in vtroque exemplari ſine vlla litura legitur, eſtque communis pronunciatio, Gallicè Soiſſons. Vide notas noſtras ad cap. 3. lib. 1. Flodoardi. Per B. intelligit Beroldum, qui in tabulis Democharis eſt 48. illius ſedis Epiſcopus, & circa hæc tempora ſedit, cuius & infrà meminit cap. 29. & 31.

A. Laudunenſium Epiſcopus, H. Nouiomenſium Epiſcopum.) Iſte eſt Azelinus, hic Harduinus, vt patet ex hoc eodem cap. & duobus ſequentibus. Quare non rectè in Atreb. exemplari ſuper A. adſcriptum Adalbero. Prior is eſt, qui in tabulis Democharis 34. vocatur Adeleluinus vel Anſelinus tẽpore Hugonis Capeti, inquit, 990. Harduinus in eiſdem tabulis eſt 48. quem ponit conſecratum anno 964. Quod ſi verum eſt, oportuit

tuit eum his temporibus fuisse episcopum per annos 50. & amplius. Anselino successisse ponitur ibidem 35. Rorico: huic 36. Adelbero, cuius fit mentio infrà cap. 29.

CAP. XXV.

DEfuncto A. Remensium Archiepiscopo.) Hic est Albero de quo suprà cap. 1. In catalogo Episcoporum Remensium vocatur quoque Adalbero, estque in ordine 37. aliâs 38. Et eum sedere cœpisse scribit Demochares anno 975. alii 972. Cui successit Arnulfus, Lotharii regis ex concubina filius. Contra quem anno 992. electus est Gerbertus, de quo lib. 1. cap. 110. sed postea reiectus, & successit is de quo hoc cap. Ebulo, quem Demochares & alii Ebalum vocant. Nam quod non obstante contradictione Gerardi hic Ebulo factus sit archiepiscopus, patet infrà cap. 30. & ex epistola 53. & 54. Fulberti Episcopi Carnotensis. Ei successit VVido.

CAP. XXVI.

AD quandam Synodum, quam in Monte sanctæ Mariæ celebraturi essent.) Non exstat in tomis Conciliorum.

CAP. XXVII.

SI Burgundiæ Episcoporum.) Restitui pro Busgundiæ.

Si quod Regalis iuris est, sibi vendicari præsumerent.) Vsitatius foret vendicare.

Sed

Sed ſimiles ſunt locutiones in Sulpicio, quem nonnumquam imitari videtur auctor. Exempli cauſa, in hiſtoria ſua ſacra Sulpicius narrans locum exod. 1. Nec diſſimulari cruentum imperium licebat. Et de manna loquens: Quia, inquit, ſabbatho colligi non liceret. Item in vita S. Martini c. 26. Me conuiuio ſuo dignatus eſt adhiberi. Vbi nos diceremus diſſimulare, colligere, adhibere, vt doctè adnotauit Victor Giſelinus ad cap. 26. iam dictum.

Huic enim orare: illi verò pugnare tribuitur.) Vnde vox eſt pontificis: Ego pro omnibus oro. Imperatoris: Ego pro omnibus pugno. Agricolæ: Ego pro omnibus laboro, iuxta verſiculum ſingulos admonentem.

Tu ſupplex ora, tu pugna, tuque labora.

De quo vide Ioannem Nauclerum in Chronicis generat. 11. & auctorem, & ſcholia noſtra infrà ad cap. 52.

His autem quæ hoc cap. habentur valde ſunt conformia ea, quæ habet Nicolaus i. epiſtola. 7. & exſtat apud Grat. diſt. 10 cap. Quoniam & diſt. 96. cap. Cùm ad verum. Et ea quæ Gelaſius papa ſcribit Anaſtaſio Imp. & habentur eadem diſt. 96. cap. Duo ſunt. Poſtremò ea quæ habet Innocentius iii. extra de Maioritate & obed. cap. Solitæ.

CAP. XXVIII.

SIc itaq; dõnus Epiſcopus diuina eruditione ſcutatus.) A. legit hic, pro ſic: Deinde voci ſcutatus, eò quòd non intelligeretur

geretur, superposita est eadem manu litera r. vt significetur legendum scrutatus, sed malè. Sensus verò est; diuina eruditione protectus, & armatus tanquam scuto. Estque dictio scutatus adeo proba, vt ea vtatur Cicero Philippica 2. Quàm fuerit autem Gerardus Episcopus egregiè versatus in scripturis diuinis, & Patrum scriptis declarant inter alia septem, quæ sequũtur, insignes ipsius epistolæ, zelum pietatis & charitatis spirantes, quibus cap. 60. additur octaua, ad Henricum iii. Imp.

Beati Petri apostoli sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis.) Est enim Leodicensis ecclesia filia immediata Romanæ ecclesiæ. Vnde sigillum habet publicum, sancti martyris Lamberti imagine insignitum, cum hac inscriptione: Sancta Legia Romanæ ecclesiæ filia, quod ei dedit S. Hubertus Episcopus, vt scribit de eo Placentius in catalogo Episcoporum eiusdem sedis.

Et dabit ei vitam peccanti non ad mortem.) Sic hanc scripturam legit Hieronymus lib. 2. aduersus Iouinianum.

Et alibi: Qualem te inuenero, talem te iudicabo.) Hæc vna est ex illis sententiis, quæ à Christo Domino dictæ sunt, sed non scriptę: sicut & illud, quod Paulus commemorat Act. 20. Christum dixisse: Beatius est magis dare quàm accipere. Quibus & tertia connumeratur, hæc videlicet: Estote probati numularii, cuius meminit Hieronymus in epist. ad Minerium. Primæ autem Iustinus martyr in dialogo cum Tryphone: Ideo, inquit, dominus noster

Iesus

Iesus Christus dixit: Quales vos inueniam, tales vos iudicabo. Ad eandem respicit S. Cyprianus in tract. de mortalitate nu. 29. vbi sic ait: Qualem te inuenit Dominus cùm vocat, talem pariter & iudicat. Communiùs ita referri solet: Vbi te inuenero, ibi te iudicabo. Quomodo citatur apud Aimoinum lib. 5. de Gestis Francorum cap. 51. Quomodo citans quoque Antonius de Rampegolis, in libro cui titulus: Figuræ bibliæ, titulo de morte, hæc ait: Audire ergo debemus tonitruum sacræ scripturæ, dicentis: Vbi te inuenero, ibi te iudicabo.

Quid de ijsdem excommunicatis, & ita defunctis Leo papa.) &c. Restitui iisdem pro his idem, quod scriptum est pro hisdem (quomodo & suprà legebatur c. 15.) vel hiisdem, & omissa aspiratione est iisdem. Neque antè precedit vlla Leonis mentio, ne quis eo referri putet illud idem.

Sed hanc eius sententiam qualiter Ambrosius Autbertus refellat.) Ita vtrumque exemplar. Trithemius & alii vocant Ambrosium Ansbertum, & floruisse scribunt anno 890. Exstant eius in Apocal. libri decē. Locum quem Gerardus citat verisimile est desumptum esse ex libro eius de cupiditate, vel certè ex epistolis, qui libri non exstant.

De hoc in Meldensi Concilio, quid sanctum sit in medium proferatur.) Exstat to. 3. Concil. parte 1. Concilium Meldense, celebratum anno 845. sub Sergio ii. papa, contra laicos rerum ecclesiasticarū detentores, continens

tinens capita 88. Sed quod Gerardus citat, adhuc deeſt, exſtat autem apud Burchardum lib. 11. c. 45. & Gratianum 7. q. 3. cap. finali, vbi citatur ex Concilio Meldenſi cap. 2. Similis eſt canon Nicenus apud eundem Grat. 11. q. 3. cap. Seruetur. Item cap. primum inter Capitula Caroli Magni, quod ſic habet: Sunt enim aliqui, qui culpis exigentibus ab Epiſcopo proprio excommunicantur, & ab aliis eccleſiaſticis vel laicis præſumptuosè in communionem accipiuntur: quod omnino ſanctum Nicenum Concilium, ſimul & Chalcedonenſe, nec non & Antiochenum, atque Sardicenſe fieri prohibent. Hæc ibi. Denique idem decreuit cap. 13. Concilium Valentinum in Gallia celebratum anno 855.

CAP. XXIX.

ET vos eligendæ ſucceſſionis vobis arbitrium aſſcribatis.) Ne Epiſcopus eligat ſucceſſorem prohibetur variis canonibus, ac nominatim 7 q. 1. cap. Petiiſti. 8. q. 1. cap. Epiſcopo. cum tribus ſequentibus, & extra de Pactis cap. Accepimus.

CAP. XXX.

ITem ad Archiepiſcopum E. qui hoc conſenſerat.) Fortè legendum cum negatione, non conſenſerat. Id enim infrà in ipſa epiſtola dicitur.

CAP.

CAP. XXXI.

NVnquam in hoc hæresiæ præcipitium quis pertrahat) Scilicet te, aut vos. Hæresiæ legunt vtrumque exemplar, tam hoc loco, quàm cap. præcedenti. Idem est autem quod hæresis. Hæresin verò vocare videtur Simoniacam pactionem, & electionem Episcopi contra canones factam.

CAP. XXXII.

VT sicut olim ante aduentum Domini, ob signum misericordiæ, eo in loco alba vellera duo leguntur recidisse.) Loquitur de Atrebato, sed necdum mihi alius occurrit auctor in quo hoc legerim. Ibidem manna pluisse in modum lanæ albæ scribit in Chronico suo Hieronymus, ãno post Domini incarnationem 371 his verbis: Apud Atrebatas lana è cælo pluuiæ mixta defluxit. Habet eadẽ Cassiodorus in chronico, & Paulus Orosius historiarum lib. 7. cap. 32. Eodem anno (videlicet Valentiniani & Valentis imperij tertio) apud Atrebatas vera lana de nubibus pluuiæ nixta defluxit. Quæ eadem verba leguntur in Paulo Diacono lib. 12. historiarum. Quæ lana cælestis, seu manna in hodiernum vsque diem in ecclesia cathedrali religiosè asseruatur & solemniter veneratur Dominica secunda post Pascha, in qua Missæ introitus incipit: Misericordia Domini plena est terra, & vocatur in Atrebatensi Breuiario festum Reliquiarum, octauam habens solemnem ex constitutione

Guilielmi de Ihaco 47. Atrebatensis Episcopi. Tertium diuinæ gratiæ singulare beneficium huic ciuitati collatum est cereus, qui ardendo non consumitur à B. Maria virgine cælitus delatus anno 1105. tempore Lamberti primi Episcopi proptii post separationem à sede Cameracensi. Vide infrà ad c. 77.

CAP. XXXIII.

Vi aut concedant, aut eam detestantes.) Cui scilicet apostolicæ sententiæ, aut cõcedant, hoc est eam admittant, &c.

CAP. XXXIIII.

Vòd confrater noster Tervvanensium Episcopus D. à Comite B. tantis iniurijs impulsatur.) Loquitur de Drogone 26. Episcopo Tervvanensi siue Morinensi, qui obiit anno 1078. vel 1079. & Balduino, vt apparet, Barbato, Flandriæ Comite, qui hoc tempore rerum potiebantur.

CAP. XXXV.

IN ipsa interim ecclesia prouincialis Synodus ab Episcopis celebrata est.) Hæc Synodus deest in tomis Conciliorum, habita est autem, teste Sigeberto in chron. anno 1022. vbi etiam commemorat idem prodigium.

Vbi siquidem inter Archiepiscopum Colonienſium P. & D. Leodecensium Pon-

Pontificem.) Hoc est inter Pelegrinum, qui S. Heriberto successit anno 1021. & Durandum qui eodem anno successerat VVolbodoni.

CAP. XXXVI.

QVæ habentur initio huius cap. eisdem penè verbis habet Sigebertus in chron. anno 1022.

Cùm paulò post, primò quidem Dux, deinde Imperator interierunt.) Intelligit Godefridum Ducē Lotharingiæ, qui obiit teste Sigeberto in Lipsiano exemplari anno 1023. & Henricum ii. Imperatorem, qui obiit, anno 1024. Cuius vitam scripsit Adelboldus Episcopus Vltraiectensis.

CAP. XXXVII.

QVæ hoc cap. continentur, eadem breuiter recenset Sigebertus in chron. anno 1023. & Baronius eodem anno to. 11.

CAP. XXXVIII.

DEin verò Mettis perueniens.) Sic vtrumque exemplar, quomodo etiam aliâs loquitur, quod nunc vsitatiùs per accusatiuum Mettas seu Metas dicimus. Nomen autem illud ciuitatis duplici t inter alios perpetuò scribit Aimoinus.

CAP. XXXIX.

IN tribuis positum, etiam die Dominica interfecit.) Quid sit in tribuis fateor me non intelligere. Nec certò constat, an sit vna dictio, an duæ. G. tamen videtur duas dictiones facere, quod secuti sumus. Simile videtur esse ei quod legitur in epist. Raynoldi Archiepiscopi Remensis data ad Lambertum Episcopum Atrebatensem, in qua loquens de Hugone de Inciaco, sic ait: Ipse siquidem Hugo nuperrimè in villam S. Gaugerici, quæ Felcherias dicitur intreuia Dei, cum armata manu venit, ibique circumquaque discurrens, igni penitus totam concremauit.

CAP. XL.

POstpositis Karlensibus custumijs.) Vox est Gallica, Coustumes, id est consuetudines.

CAP. XLI.

ET ni infra duas quadragesimas emendauerit.) Hoc est intra bis quadraginta dies.

Sine malo ingenio.) Id est sine malo animo, sincerè, bona fide.

CAP. XLII.

NEc non & Ottonis, Rotberti.) Hîc Otto vocatur qui cap. præcedenti Odo. Idem obseruaui in Flodoardo lib. 4.

Immo

Immo sunt qui idem putent esse nomen: Ado, Odo, Otto, & Vdo.

CAP. XLIII.

QVæ per rectitudinem pater tenet.) Id est iusto ac recto titulo.

CAP. XLIIII.

DOmino meo, & mihi.) Dominum suum vocat Gerardus Imperatorem, vt patet ex cap. præcedenti.

CAP. XLV.

IN ea conuentione quæ in me commisit ipse VValterus.) Hîc exemplaria videbantur nouum capit. ordiri, sed sensus continuationem requirit, ideoque coniunxi.

CAP. XLVI.

QVin sacramentum supradictum adtenderet.) Per sacramentum hoc loco, sicut & capit. præcedentibus, intelligit iuramentum.

CAP. XLVII.

QVorum hæc sunt nomina, ...) Desunt in vtroque exemplari.

CAP. XLVIII.

APud Schelmas opidũ facta.) Sequẽtia desunt in exẽplari Atrebatẽsi vsq; ad illum locũ cap. 49. Aureã tabulã ampliauit, quia

excisum est vnum atque alterum folium. In a. videtur legi posse Schelenias..

Dux Gozelo.) Is est qui infrà cap. 50. & 55. Gothilo nominatur, Dux Lotharingiæ, siue Lotharienſium, successor Godefridi, eumque Ducatum tenuit Gozelo ad annũ vsque 1044. quo obiit, succedente sibi filio Godefrido. Otto Frisingensis lib. 6. Chronicorum c. 31. vocat eum Gozilonem Ducem Belgarum, alii cõmuniter Gothilonem.

Hoc placitũ in præsentia Hugonis Episcopi Comitis quoq; Balduini, & filij eius &c. nobiscum firmauit.) Loquitur vt satis cõstat, de Hugone episcopo Nouiomagensi, qui & Tornacẽsis, & Balduino Barbato Comite Flãdriæ, cuius filius fuit Balduinus Pius. Verba placiti seu conuentionis, excisо etiam folio in exemplari S. Gisleni, desiderantur, & vt verisimile est, alia nonnulla de fine V Valteri, quem constat ex cap. 50. 53. & 54. adhuc superuixisse.

CAP. XLIX.

IN vico quem dixit antiquitas Lesden, qui quarto miliario ab vrbe secedit.) r. Lesdain, quomodo hodie scribitur in tabulis geographicis. Est autem iuxta Crepicordium, Gal. Creueceur.

Sed etiam propius, in villa videlicet nigella fodiens.) Pagus est Cameraco vicinus ad Orientem solem, in loco edito seu eminenti situs, distans ferè sesquimiliario Italico, hoc est paruo miliari nostrate, quem appellant Niergny.

Pari-

Pariterque abbas Richardus.) Videtur intelligi abbas Altimontis, de quo ſuprà cap. 1. & 6. vel S. Vedaſti, de quo c. 16. & 59.

Conſecrato ergo monaſterio multa ornamenta adhibuit.) In his verbis deſinit antiquiſſimum noſtrum exemplar g. ſequentibus foliis ablatis. Reliqua vſque ad finem ſunt in ſolo exemplari Atrebatenſi, quod tamen etiam fine caret.

Duos manſus in Andrelet deputauit) Locus hic creditur eſſe Anderlecht, Latinè Anderlacum iuxta Bruxellam ad portã eiuſdem nominis, vbi celebre Collegium eſt xviij. Canonicorum, cui Cameracenſis eccleſia anno 1195. ceſſit altare eiuſdem loci, cum appendicio Dielbeeck, ſub annuo cenſu quadraginta librarum. Cetera loca huius cap. aliis inueſtiganda relinquo.

Sancti Andreæ oratorium inibi à fundamento conſtruxit.) Scilicet Gerardus epiſcopus. Inibi, id eſt in Caſtello S. Mariæ, quod nunc Caſtellum Cameraceſii vocatur, eſtque hodie opidum ditionis Cameracenſis, quinque diſtãs à Cameraco miliaribus, in quo eſt egregium S. Andreæ cœnobium, ordinis S. Benedicti, de quo hic eſt mentio. ipſumq; Gerardus dedicauit anno 1021 vt Molan. ait, die 22. Septembris. Quod poſtea perfecit Lietbertus eius ſucceſſor, vt eius loci monumenta teſtantur; inquit Miræus in Orig. cœnob. Benedictinorum in Belgio. c. 34. De eodem cœnobio Molanus in Nat. SS. Belgii die 13. & 24. Nouẽbris. Catalogus Gallicus ms. & Gazæus

dedicatum fuiſſe ſcribunt anno 1025. Addit idem Catalogus, ad illius dedicationis ſolemnitatem, de mandato Gerardi, allata fuiſſe Sanctorum corpora Gaugerici, Autberti, Acharij, Saluij, Ragenfredis, Wáſnulfi, Giſleni, & Humberti.

CAP. L.

DIebus poſt hæc ab hiſce datis.) Ita reſtitui pro eo, quod exemplar habet: abijſſe datis. Mendum inde accidit, quia dicere ſolent & ſcribere ijſce, pro hiiſce, ſiue hiſce. Sequitur.

Sors dedit vltima Henricum regem diuæ memoriæ diem obire.) Obiit S. Henricus ii. anno 1024 die 13. aliis 14. Iulii. Quibus diebus agunt de eo Molanus & Haræus. Baronius in notis ad Rom. martyrol. vocat Henricum primum Imperatorem, eò quòd alius Henricus, Auceps dictus, qui anno 919. Conrado primo ſucceſſerat, præ humilitate, noluit vocari Imperator, nec à ſummo pontifice fuit coronatus.

Præfecerunt ſibi in Regem Conradum.) Hic eſt Conradus ij. Franconiæ Dux, qui imperauit annis xv.

CAP. LI.

DE 2. Concilio Triburienſi, de quo hoc cap. to. 3. Concil. parte 2. ſolum adnotatum legitur ex chronico Hermanni Contracti, magnam Synodum Triburienſem fuiſſe celebratam

bratam anno Domini 1035. cuius acta non extant. Nec aliud habet Baron. in ſuis Annalibus to. 11. Sigebertus eadem refert quæ noſter auctor ad annum Domini 1030. vel iuxta Miræi exemplar, 1031. Certè hoc cap. nonnulla eius acta produntur, & ſequenti, ſi ea quoque in eodem Concilio tractata fuerint, vt ſcribit Richardus VVaſſeburgus in ſuis Galliæ Belgicæ antiquitatibus. Cæterùm primum Concil. Triburienſe, ex quo multa citat Grat. de conſecrat. diſt. 1. & alibi, celebratum fuit anno 895. ſub Imp. Arnulpho. Eſt autem Triburia villa regia, non procul à Mogũtia, ſuper Rhenum, videlicet inter Oppenheim & Moguntiam.

In ea hebdomada qua conſtat caput ieiunij.) Caput ieiunii apud veteres vocantur illi quatuor dies, à feria 4. Cinerum vſque ad primam Dominicam quadrageſimæ, vt tum aliundè, tum ex Miſſali S. Ambroſii euidentiſſimè conſtat. Porrò de ieiunio quatuor temporum primi menſis variæ fuerunt olim conſtitutiones, vt videre eſt in Micrologo cap. 24. & 25. apud Grat. diſt. 76. & Florentium vander Haer I. V. Licent. Theſaurariũ & Canonicum Inſulenſem, virum celeberrimum, & in antiquitate verſatiſſimum, in Antiquitatum liturgicarum ſyntagmate to. 2. feria 4. quatuor temporum quadrageſimæ. Nunc obſeruamus quod poſt Gerardi, & huius Chronici tempora conſtituit Gregorius vij. & Conciliũ Claromontenſe ſub Vrbano ii. can. 27. approbans Gerardi ſententiam.

CAP. LII.

ISTiuſmodi decretum à Franciæ Epiſcopis datum eſt.) &c. Quæ hoc cap. habẽtur verbotenus ferè tranſtulit in ſuum chronicon Sigebertus anno Domini 1032. vel iuxta exemplar Miræi 1033. Et poſt eum Ioannes Nauclerus vol. 2. Chronographiæ, generatione 35. De iiſdem Baronius 1034. ex quo conſtat eo tempore per totam penè Galliam frequentia concilia fuiſſe celebrata, ac nominatim duo ſpacio dierum quindecim: vnum videlicet Biturícis die 3. Nouembris, alterum Bellouaci die, 8. eiuſdem menſis.

Genus humanum ab initio trifariam diuiſum eſſe monſtrauit, in oratoribus, agricultoribus, pugnatoribus.) His conſonat Nauclerus in chron. volumine i. generat. 11. vbi ſic habet: Hoc tempore diuiſum eſt genus humanum in tria, in liberos, in milites, in ſeruos, vel vt alij volunt: In ſacerdotes, in milites, & ſeruos. Vnde quidam verſificator, in perſona Noë.

Sem. Iapheth. Cham.
Tu ſupplex ora, tu protege, tuque labora.

CAP. LIII.

SVggeſſerat in aures omnium Walterus, qui erant foris & intus.) Intus id eſt Cameraci, foris id eſt extra Cameracum.

CAP.

CAP. LIIII.

HIs ita gestis, Balduinus tunc temporis Flandrensium Comes.) Loquitur de Balduino Barbato, qui obiit anno 1036. vel de filio eius, Balduino Pio, qui eodem anno ei successit.

CAP. LV.

QVæ habentur hoc cap. ea breuiter recenset Sigebertus in chron. anno 1039. At ea gesta esse anno 1037. ex chronico Hermanni res gestas sui temporis scribentis docet Baronius.

Bertulfus etiam quidam secretarius regis, Sanctum se vidisse dixit Ambrosium, pro his quæ rex malè gerebat, indignatione commotum.) Idem scribit Ioannes Crispinianus. Simile rursum contigit anno 1338. cũ Mediolanum ab Heluetijs & aliis vexaretur. Tum enim visus est S. Ambrosius flagello barbaros insectari. Hinc factum est, vt deinceps cum flagello depingeretur, vt scribit Baptista Fulgosius lib. 1. cap. 6.

Et vita apud Traiectum priuatus est.) Intelligi Traiectum ad Rhenum, patet ex Chronico Hermanni contracti, qui vocat Traiectum Frisiæ, hodie Vltraiectum dicitur. Verba Hermanni sic habent: Anno 1039. Nonis Iunii, ipsa Pentecostes die tertia, Conradus Imperator apud Traiectum Frisiæ inopinata morte

morte ſubitò deceſſit.

Anno antè tranſacto, menſe Aprili, data viij. idus, viſa eſt in cælo.) &c. Sigebertus, non rectè id ponit anno 1039. quo eum obiiſſe ait, ſed ponendum fuerat anno præcedenti 1038.

CAP. LVI.

CVm ipſo rege Traiectum venit.) Hic intelligitur Traiectum ad Moſam, vt patet ex ſequentibus, quia huius ſedis Gondulfus & Monulfus fuerunt Epiſcopi, de quibus Molanus die 16. Iulii.

Et rogatu Epiſcopi Nihardi.) In Sigeberti chronico per Miræum edito vocatur Nithardus, & ſucceſſiſſe dicitur Raginardo anno 1036. In catalogo Epiſcoporum Leod. Ioannis Placentii vocatur Richardus. Nithardi nomen iam antè fuit in vſu. Exſtant enim per Pithoeum editi, Nithardi Angilberti, filii Karoli Magni Imp. hiſtoriæ libri quatuor.

CAP. LVII.

HVius capituli quinque priora verba eſſent eraſa, ſicuti & finis. Vnde magna cum difficultate ea legere potui. Similiter in fine ſeq. cap. xiiii. lineæ prorſus eraſæ ſunt. Videri poſſet Aldo, de quo hoc cap. ex morum ſimilitudine, idem eſſe cum eo de quo ſuprà cap. 20. niſi ibidem mors ipſius relata fuiſſet, non abſimilis morti Aldonis nobilis Valentianen-

tianenſis, de quo Guiſius lib. 12. cap. 13. Annal. Hannoniæ.

CAP. LVIII.

MVltæ Sanctorum reliquiæ ibidem repertæ ſunt.) Hæc alia eſt reliquiarum inuentio ab ea quę narratur facta anno ſecundo Gerardi Epiſcopi, lib. 2, cap. 13. & lib. 3. c. 4. Dedicatio enim eccleſiæ B. Mariæ Atrebatenſis, de qua hoc cap. facta eſt poſt reparationem, quia flammis abſumpta fuerat anno 1030. Qua de re ſuprà cap. 31.

CAP. LIX.

LIetvvini & Richardi Abbatum, de quibus hoc cap. ſuprà aliquoties facta eſt mentio, vt lib. 1. c. 116. lib. 2. cap. 20. & 26. lib. 3. c. 16. 27. & 32.

Et ab eo, loco ſubrogatus.) Et ab eo, ſcilicet Richardo, ſubrogatus Lietvvinus, vt conſtat ex cap. 16. huius libri.

A fundamentis monaſterium reſtauravit, & omnibus vtilitatibus ampliauit.) Sermo eſt de Lietduino & monaſterio S. Vedaſti in vrbe Atrebatenſi, quod ſic denuò ædificatum conſecrauit Gerardus anno 1031. vt notat Gazæus, de qua re citat initium diplomatis, quod ſic habet. Notum ſit omnibus fidelibus Chriſti, Quia ego Gerardus Cameracenſium ſeu Atrebatenſium eccleſiæ, nomine, nõ merito, Epiſcopus, nouum opus eccleſiæ ſancti Vedaſti, &c.

Poſt

Post finem huius cap. cùm in ms. codice vacaret semipagella, aliquis recentiori manu adscripsit hæc verba: Anno M. C. XLVIIJ. VIII. idus Septembris Cameracensis ecclesia S. Mariæ, & ecclesia S. Autberti, totumque Castellum vno eodemque incendio perierunt. Verùm id neutiquam ab auctore nostro scriptum est, cùm longè post eius ætatem contigerit, ideoque prætermisi.

CAP. LX.

Domino H. Augustorum serenissimo.) Intelligit Henricum *III.* aliâs II. propter rationem notatam c. 50. Hic enim est Henricus cognomento Niger, quem Germani III. Itali. II. vocant, inquit Molanus in Militia sacra Ducum Brabantiæ cap. 44. qui patri Conrado ij. successit anno 1039. At non constat quoto anno imperij ipsius scripta sit hæc epistola.

Et sicut liberalitas vestra Sacellarium habet.) Sacellarius, aut saccellarius dicebatur scriniorum præfectus, qui expensas necessarias depromit, vt patet ex hoc loco. Legitur ea vox in Annalibus Francorum à Pithœo editis, sub Ludouico Pio scriptis, ad annum 801. & 826. Quo loco sic habetur: Venit cum Baldericho presbyter quidam de Venetia, nomine Georgius, qui se organum posse facere asserebat: quem Imperator Aquisgrani cum Thaucolfo Saccellario misit, & vt ei omnia ad id instrumentum efficiendum necessaria præberen-

berentur, imperauit. Pro quo habet Aimoinus lib. 4. de gestis Francorum c. 114. Tauculfo sacrorum scriniorum prælato commendauit, publicisque stipendijs curare iussit, & ea quæ huic operi necessaria forent præparare mandauit.

Sicuti Mauricius Gregorio, quamuis longè infra Gregorium. Verenda verò quam subijt Mauricius vindicta.) Loquitur de Mauricio Imp. & Gregorio papa primo. Historia patet ex epistola Gregorij xxxj. libri 4. & initio lib. 11.

Inter tres quasi te . . . . . .) Proxima verba supplenda ex cap. 23. lib. 3. Regum sunt: tenerrimus ligni vermiculus. Desunt autem in exemplari duæ circiter lineæ.

CAP. LXI.

HVic quidem Gerardo pontifici Dominus Lietbertus in Episcopatum successit.) Anno videlicet 1049. vel potius 1050. Nam Cameraci in monasterio S. Autberti exstat diploma ipsius Lietberti datum anno Domini 1057. & præsulatus ipsius anno septimo. Vide infrà ad cap. 63. Quæ sequuntur ad finem vsque alia manu, eaque paulò recentiori scripta sunt. Phrasis tamen similis, eundem redolet auctorem. Sequitur:

Qui ex Brachatensi patria nobili ortus prosapia.) &c. Meyerus Brachatum in Flandria constituit, dum anno 975. sic ait: Tum Cam-

Camphis & Harnæ dominatus agri Brachatenſis ab Arnulpho principe cœnobio attributi, ſcilicet Gandauenſi in Blandinio. Et anno 1046. Brachantum omnemque trans Scaldem regionem, quàm nunc terram Aloſtenſem dicimus, vſque ad flumen Teneram occupauit. Idem Meyerus anno 1077. & Maſſæus teſtantur eſſe Brakele in agro Aloſtenſi. Verba Meyeri vide infrà ad cap. 77. Scribitur autem eodem modo in vita ipſius, ne quis Bracbatenſi vel Brabantenſi legendum exiſtimet. Aſſerit quoque eadem vita, Lietbertum fuiſſe Gerardo carnis genere propinquum.

CAP. LXII.

IDeoque apud nouum caſtrum ſanctæ Mariæ.) Hoc eſt quod hodie caſtrum Cameraceſii appellatur. Vide ſuprà ad cap. 49. & lib. 1. cap. 112.

CAP. LXIII.

PRæſul G. defungitur.) Gerardum Epiſcopum obiiſſe anno 1048. habetur in additamentis Sigeberto additis in exemplari à Miræo in lucem producto. Quod conforme eſt Iacobo Guiſio in mss. Hannonię Annalibus, & Meyero. Maſſæus, Demochares, Claudius Deſpretz, & Catalogus Gallicus ſcribunt obiiſſe 1049. Sed hęc facilè conciliari poſſunt, quia in Martio obiit, die videlicet 14. vt conſtat ex vetuſtiſſimo Calendario ſeu Obituario eccleſiæ B. Mariæ Cameracen-

racensis, atque etiã Collegiatæ nostræ ecclesiæ S. Petri Duacensis, vtroque in membrana descripto, in quibus sic legitur: Secundo idus Martii obiit Gerardus episcopus primus. In eodem libro Cameracensi etiam patris ipsius ac matris, & fratris obitus designantur his verbis: Vndecimo Calend. Nouembris obiit Arnulphus pater Gerardi Episcopi primi. Nonis Martii obiit Ermentrudis mater Gerardi epis. i. Tertio nonas Ianuarii obiit Godefridus frater Gerardi Episcopi i. Peruenisse saltem vsque ad finem anni 1047. patet ex fine vitæ S. Gudilæ, quæ est apud Surium to. i. die 8. Ianuarii, vbi sic legitur: Millesimo quadragesimo septimo anno incarnationis Dominicę, xv. Indictione, Damaso summo Pontifice Apostolicæ sedi præsidente, Henrico ii. regnante, dedicatum est in monte Bruxellis tẽplum xvi. Calend. Decembris ad laudem nostri redemptoris, in honorem sancti Archangeli Michaëlis à Gerardo Cameracensi Episcopo. Sic ibi. Additur quoque, quomodo eodem die corpus S. Gudilæ ab ecclesia S. Gaugerici, in dictam Ecclesiam S. Michaëlis fuerit honorificè trãslatum, & ibidem Clerici constituti. Claudius Despretz ex suis mss. notat Gerardum Episcopatum administrasse annis 35. ordinatum videlicet anno 1014. & defunctum 1049. At catalogus Gallicus ait eum fuisse Episcopum annis 37. Quod verificari potest, computando à tẽpore electionis. Nam Erluinum, cui successit Gerardus, idem Claudius Despretz obiisse notat anno 1011. Vide notas ad cap. 119. lib. 1.

Est de hoc Gerardo egregium testimonium

in vita B. Lietberti cap. 2. quo asseritur eum sanctè vixisse, & canonicè ecclesiam sibi commissam rexisse.

Quòd autem Demochares scribit fuisse martyrem, nusquam inuenio. Neque aliter veritatem obtinet, nisi quia multis molestiis ab impio VValtero Castellano affectus, pro rebus ecclesiæ suæ tuendis, vt verisimile est, obierit.

Henricum regem Lotharien. adeunt.) Sic restitui pro Arien. Id factum esse tempore quadragesimæ, instante iam solemnitate paschali, Henrico apud Coloniã Agrippinã existente, ipsamque nominationem eius ad Episcopatum factam die paschæ, patet ex vita Lietberti cap. 11. & 13. Quod conforme est iis qui Gerardum obiisse notant 14. Martii. vel 15. vt Claudius Desprez. Consecratus autem fuit Lietbertus anno 1050. presbyter Catalaunis à Rogero Catalaunensi episcopo, mox deinde episcopus Remis à Guidone Remensi Archiepiscopo.

Qui suus iam dudũ Capellanus erat.) Ex vita Lietberti cap. 11. restitui Capellanus, pro manibus.

CAP. LXIV.

IMperator Romanorum H. secundus.) Cur Henricus secundus nominetur, quem suprà tertium vocauimus, dictum est ad cap. 50.

CAP.

CAP. LXV.

DOnec Flandrenſium Comes B.) Hoc eſt Balduinus, & is intelligitur cui cognomen Pius. Factaque ſunt hæc anno 1049. Videatur Meyerus, qui eodem anno de Lietberto ſic ait: Lietbertus vir ſanctus fit Epiſcopus Cameracenſis.

CAP. LXVI.

SCiens quia Imperator ſecundam profectionem in Flãdriam aduerſus Balduinum pararet.) Prima fuit anno 1049. ſecunda 1054. de vtraque videatur Meyerus & Sigebertus.

CAP. LXVII.

PEruenit ad Maen, vicum quendam ſuper Scaldum fluuium, non longiùs quàm duobus milibus à Valentianis, vbi pontes volebat facere.) Hodie Main dicitur, ſitum habens verſus Buccinium & Cameracum. Fluuius autem ille vſitatè Scaldis nominatur. Sed quia tã hoc loco, quàm cap. ſeq. & lib. 2. c. 45. Scaldum legitur, nihil immutauimus. Sequitur.

Et ſic in terram Balduini, quæ præſens, tranſito flumine, occurrebat, intrare.) Reſtitui quæ pro quem. Hiſtoria deſcribitur à Sigeberto & Meyero anno 1054.

Inparatum offendere.) Exemplar habebat ininparatum.

CAP. LXVIII.

ET terram B. hosti suæ deuastandam distribuit.) Hoc est exercitui suo. Gallicè son ost. Ita accipitur lib. 3. Capitulorum cap. 72 cuius titulus est: De non cogendo bibere in hoste. Capitulum autem sic habet: Vt in hoste nemo parem suum vel quemlibet alterum hominem roget. Et quicunque in exercitu ebrius inuentus fuerit, ita excommunicetur vt in bibendo sola aqua vtatur, quousque se malè feciſſe cognoscat. Vbi pro roget legẽdum videtur coget.

Vsque ad debullientem riuum cum exercitu suo peruenit.) Huius loci situm inquirens, inuenio eius mentionem in historia Abbatum Henniacensis monasterii Balduini Deglen cap. 22. vbi agens de temporibus Philippi Pulchri, & gestis anni Domini 1301. sic ait: Flandri ad Riuum bullientem (Boulenrieu dicunt nostrates) primùm sederant, inde ad Flinas. Sic ibi. Plura de eo ex eodem monasterio accepi, quod situm est iuxta fluuiolum Eurinum, Gallicè Eurin, qui alluens paludes Henniacenses, per Pontem à salice, Gal. Pont a saulx & Riuum iugiter bullientem fluit, Gallicè Boulenrieu: estque molendinum parochię de Dourges, cursu dicti fluuioli, aquis aucti, circumactum. Pergit deinde Eurinus per pontem Decy iuxta castrum Raimbaucourt, Ro,

&

& Belforeſtum. Quæ loca omnia, vti & vicina cùm paluſtria ſint, non facilè exercitui Imperatoris tranſitum præbebant. Inde fluit inter ſacellum S. Leonardi, & pontem à Raſſe ante monaſterium Flinenſe, verſus Marchianas, ibiq́ue tãdem in Scarpum ſeſe exonerat. Hunc locum intelligi, non autem Eſcluſam, quæ duobus Duaco diſtat miliaribus, via Bappalmenſi: nec clauſtra maris, quod Meyerus inſinuat, declarant circumſtantiæ infrà cap. 70.

CAP. LXIX.

HVmiliatus igitur & conturbatus Epiſcopus vſquequaque, viuificationem petebat à diuina miſeratione.) Reſpicit ad verſum 107. pſalmi 118. Humiliatus ſum vſquequaque Domine: viuifica me ſecundum verbum tuum.

CAP. LXX.

VOlens, ſi fieri poſſet aliquo pacto, per clauſulam illam ducere Imperatoris exercitum.) Quod ſuprà debullientem riuum, hic vocat clauſulã, cuius etiã meminit Sigebertus dicto anno 1054.

Ad Iſlenſe Caſtellum peruenit.) Litura indicat initio dictionis (Iſlenſe) aliam adhuc fuiſſe literam, fortè I. quia Gallicè dicimus Liſle, & Lille. Intelligitur enim ciuitas Inſulenſis, quam poſt hanc cladem Balduinus muro circumdedit, teſte Meyero in Annalibus anno 1054.

CAP. LXXI.

PAupertati redacti fuerant.) Hoc est ad paupertatem, Habet eadem verba vita B. Lietberti cap. 15. quę magna parte ex hoc chronico contexta est.

CAP. LXXII.

ET ipse bonum suũ recipere debebat.) Id dictum est phrasi Gallica, son bien, sicut & suprà cap. 66. Huius custodiæ puerum cum bono eius commisit. Latinè dixeris bona sua, id est hereditatem seu possessiones suas. Habentur eadem verba in vita iam dicta cap. 44.

Sic sic Anselllus.) Ne quis alterum abundare existimet, sciat vtrumque etiam in vita Lietberti haberi. Imitatur itaque S. Gregorium homil. 26. in Euangelia, qui vehementiæ causa, geminat vocem sic, ex qua multa citantur iuprà cap. 28.

Qui in ciuitate domini sui, & in foro eius, lignarium per angariam colligit.) Significatur eum violentam exactionem fecisse de lignis quę ad comburendum in ciuitatem aduehebantur, quod nec pater eius fecerat, de quo tamẽ suprà cap. 2. & aliis locis legitur, quòd plebem insuetis exactionibus vexabat.

Factum est autem hoc lignarium, &c. & positum in inclastro S. Autberti.)

Hîc

Hîc per lignarium intelligit cumulum lignorum, vel locum vbi ligna reponebantur, quæ per ſuos clientes à vectoribus extorquebat, & locum illũ fuiſſe dicit intra clauſtra, ſiue ſepta monaſterij S. Autberti.

CAP. LXXIII.

NOn longiùs à ciuitate quàm x. milibus, apud quendam locum Porriuallem dictum, municipium firmauit.) Hic locus per ſyncopen dictus putatur Porriuallis, pro Porcarii vallis (nunc vulgò Pronville) à S. Porcario, qui tempore perſecutionis VVandalorum circa annum 400. ibi in ſaltu latitaſſe creditur, cooperarius exiſtens in his locis S. Martyri Diogeni, Atrebatenſi Epiſcopo. Vnde & hodie inter pagos Queant & Bourſy ager eſt 22. menſurarum, quæ mencalda vocantur, dictus, le ſart ſainct Porcaire, id eſt ſaltus S, Porcarii. Situs eſt in Arteſia, ſed diœceſi Cameracenſi, & parochia de Pronville eſt filia dicti pagi de Queant quia eccleſia de Queant illius eſt matrix, vti & pagus ipſe Pronville feudum eſt dependens à dominio temporali de Queant. In eo adhæc antiquum caſtrum viſitur, & conuenit diſtantia decem milium, intelligendo, vt auctor intelligit, miliaria Italica. Nec procul abeſt ab Inceio, cuius hoc eodem cap. fit mentio. Alij exiſtimant Iecum eſſe non longè à Meſſendicuria, vulgò Meſſencouſture, via Peronenſi, vbi hodie vicus, quem vocant Nouam villam, Gall. Neuuille en Porjonvalle. In vita S. Lietberti Porgiuallis ſcribitur.

Municipium verò illud à ſaltu opprimitur.) Hoc eſt ſubitò, & quaſi per ſaltum. Gallicè, par aſſault. Fortè legendum, vt habet vita B. Lietberti c. 53. aſſultu opprimitur.

CAP. LXXIV.

DIffidentiam domino ſuo mandauit.) Senſus eſſe videtur, Dominum ſuum ad certamen prouocauit, Gallicè il a deffié, vel vt habet catalogus Gal. ms. Il manda deffianche a ſon ſeigneur l'eueſque.

CAP. LXXV.

IPſe verò crebrò ſub nomine terræ ſuæ, & in fidelitate quam iurauerat commonitus.) Id eſt ſub comminatione terrę ſuę, quam habebat ab Epiſcopo, amittendæ. Vnde poſtea ſequitur quòd terram quā ab Epiſcopo tenebat, ei abiudicauerint.

Ad quandam villam, Buricellum nomine deueniret.) Pagus eſt Arteſiæ incluſus, iuxta Vis, ſub Oſeio ſiue Oſiaco, lingua vulgari dictus Boiry noſtre Dame, pertinens ad Capitulum Cameracenſe. Hinc in regiſtris nominatur Boury vel Bury de Cambray. Claudius Deſpretz legendum putat Biricellum à S. Birino Oxonienſi in Anglia Epiſcopo, qui ibidem vixiſſe & prædicaſſe legitur. Venit in has partes cum SS. Furſeo, Foillano, Vltano, & aliis, ex quorum conſilio cellam apud Boiry delegit, vbi prædicationibus

annis

annis aliquot vacans, omnibus se hospitalem & benignum exhibuit sub S. Autberto Cameracensi Episcopo. Sed defuncto S. Furseo remeauit in Angliam, & Dorcestriæ Deo animam reddidit 3. die Decembris. Hæc ex manuscriptis, & antiqua traditione.

CAP. LXXVI.

QVæ in fine præcedentis, & hoc capitulo continentur: breuiter recensetMeyerus in suis annalibus anno 1070. his verbis: Per eosdem dies Hugo Oziacensis Lietbertum Cameracensium Episcopum, interfectis eius cubicularijs, nocte intempesta cepit, Oziacúque duxit in custodiam, quam vt vlciscereturiniuriam Richildis Comes, coacta ex Flandria Hannoniaque ampla armatorum manu, vnà cum Arnulpho filio Oziacum vi expugnat, liberatum episcopum Cameracum reducit, pro tanto pietatis opere sola illius contenta benedictione. Sic ille.

CAP. LXXVII.

QVæ hoc cap. habentur, deficiente exemplari imperfecta sunt. Suppleui in eo nonnulla ex vita B. Lietberti cap. 57. ex qua poterunt & reliqua suppleri.

Monasterium sancti sepulchri ab ipso fundo ædificauit.) Videatur vita Lietberti c. 46. 47. 49 & 50. Porrò id factum esse anno 1064. refert his verbis Meyerus: Lietbertus Cameracensium Episcopus vir sanctus, funda-

fundauit Cameraci monaſterium ſancti ſepulchri. Idem teſtatur vita eiuſdem c. 49. vbi de illius agitur dedicatione, quæ facta fuit eo anno 28. Octobris. præſentibus 22. Sanctorum corporibus. Agit de eo Miræus in Orig. cœnob. Benedict. in Belgio cap. 37. De eodem Lietberto Maſſæus ita ſcribit : Conſummauit cœnobium ſancti Andreæ anno 1052. Deinde profectus Hieroſolymam, ſed in itinere præpeditus, cùm non poſſet complere deſiderium ſuum, ædificauit monaſterium ſancti ſepulchri anno 1063 Sequitur in textu.

Et poſuit inibi Abbatem cũ monachis.) Primus abbas ſancti Sepulcri fuit VValterus, qui obiit anno 1095. 7. die Martii. Hic eſt qui interfuiſſe legitur anno 1081. eleuationi ſeu tranſlationi corporis S. Bertiliæ, dum ei præſentes fuiſſe leguntur quatuor abbates, Alardus abbas Marchianenſis, Aloidus abbas Atrebatenſis, VValterus abbas Cameracenſis, & Alardus abbas Aquicinctéſis. Quem etiam omnino eſt veriſimile, auctorem eſſe vitæ S. Vindiciani, quæ ſcripta eſt ad Ioannem primum Abbatem Montis S. Eligii, qui eodem tempore floruit. De qua vita vide quæ notaui ad cap. 30. lib. 1.

Sicut præſens tempus probat.) Hinc ſatis conſtat, ea quæ de B. Lietberto hîc narrantur ſcripta eſſe aliquanto tempore poſt mortem ipſius, ſicut & partem geſtorum Gerardi primi poſt eius mortem ſcriptam fuiſſe ſatis conſtat.

Meyerus de eodẽ Lietberto iſta quoque recen-

censet. MLXVII. ad septimũ Idus Maij dedicatũ Gandaui nouũ templũ diui Bauonis ab Balduino Nouiomagensi, ac Lietberto Cameracensi episcopis. Leuatum inibi corpus diui Macharij Archiepiscopi &c. Quod posterius testatur quoque Sigeberti Chronicon per Miræum editum, & Molanus in Natal. die 9. Maii. Anno verò M LXX. scribit ab eo dedicatum monasterium Hasnoniense tertio nonas Iunias.

Porrò Lietbertus obiit anno 1076. teste Massæo, Democharе, & additamẽto Sigeberti in exemplari à Miræo edito, & vita ipsius cap. vlt. item Molano in additionibus ad Vsuardum, & in Natal. die 23 Iunii. Idéque insculptum legitur eius sepulcro, quod etiamnum exstat in capella Monasterii sancti sepulchri, & die iam dicto quo, vt est in vita ipsius, sepultus est, habet obitum in ecclesia Atrebatensi. Alioqui obiit, vt est in eadem vita & Massæo, die 22. Quare in anno fallitur Meyerus dum ita scribit: MLXXVII. obiit Lietbertus episcopus Cameracensis, cœlo postea ob pietatem donatus. Hunc Flandrum stirpe fuisse tradunt, eò quòd ab nobilitate Brachatensi duceret originem. Bracharum seu Brachantum esse Brakele in agro Alostensi. Eius opus est cœnobium sacri sepulchri Cameraci. Absoluit & cœnobium diui Andreæ Apostoli, Regulares instituit monachos ad diui Auberti, & in monte diui Eligii. Hæc Meyerus.

Lietberto successit nepos eius, Gerardus secundus, consecratus à Raynoldo Remensi Archiepiscopo anno 1078. Qui & ipse ex Brakele

kele territorio Aloſtenſi ortus fuit. Erat Monachus S. Benedicti ac Præpoſitus ad S. Vedaſtum Atrebati, ſub Adoldo Abbate. Hic poſtremus fuit qui vtrique eccleſiæ, videlicet Cameracenſi & Atrebatenſi præfuit. Obiit 3. idus Auguſti anno 1092. vt eſt in epiſtola cleri Atrebatenſis ad Concilium Claromontanum. Quare fallitur Meyerus, dum eum ſcribit obiiſſe 1094. Sepultus iacet Cameraci, & obitum habet in Eccleſia Atrebatenſi cum domino Raynaldo Archiepiſcopo die 21. Ianuarii. De eo hæc habet Maſſæus: Trigeſimus tertius Gerardus ſecundus. Auxit & ipſe vrbem, & muris cinxit. Dedicauit templum noſtræ Dominæ, & Aquicinctum: quod monaſterium duo viri nobiles Galterus & Sohirus ciues Duacenſes conſtruxerant. Fecit & hoſpitale ſancti Iuliani. Obiit vltima Iulii. Quo defuncto, facta eſt trium annorum altercatio de ſucceſſore, inter Canonicos & Imperatorem Henricum quartum. Interim eccleſia Atrebatenſis occaſionem nacta, proprium ſibi pontificem à ſede apoſtolica obtinuit in Concilio Claromontenſi, Lamberrum quendam: & ita diuiſus eſt epiſcopatus anno 1094. Cameraci autem tandem eſt electus trigeſimus quartus Manaſſes. Sic ille.

De eadem re Meyerus anno 1095. ita ſcribit: Vrbanus ſecundus infenſus Cameracenſibus, quòd Cæſari Henrico eccleſiæ rebelli, cœtuque piorum moto fauiſſent, Atrebates ab eorum ciuitate ſubtraxit, ac peculiarem illis præfecit epiſcopum Lantbertum Morinorum archidiaconum, quo ab Lantberto epiſcopo cō-

pro-

probatus memoratiſſimus ille Atrebatium cereus, duobus hiſtrionibus Ytherio & Normanno de cælo (vt ferunt) per virginem matrem traditus, qui & alios quidem ſanare morbos, ſed præcipuè contra ignem ſacrum præſentiſſima præſtare dicitur remedia, vnde & multi alij cerei, vt Brugenſis, Falcobergenſis, Bononienſis, Nigellanus, Arkenſis, Blendecanuſque deriuati. Hactenus Meyerus. Quod autem ſcribit Maſſæus, Demochares, & alij, eum dedicaſſe eccleſiam B. Mariæ (quod & Gerardus primus fecerat) idcirco factum eſt, quia eccleſia B. Mariæ à Gerardo primo exſtructa, incendio conflagauerat anno 1064.

FINIS.

VOCVM

VOCVM QVARVNDAM OBSCVRARVM, AVT BARBARARVM EXPLICATIO ORdine Alphabetico.

QVoniam huic Chronico multa interſeruntur priuilegia & præcepta regalia Pontificum, Imperatorum, Regum, & alia diplomata donationum, in quibus non pauca ſunt vocabula, practicis quidem & feudiſtis vſitata, ſed ab vſu Latini ſermonis diſsidentia: cuiuſmodi etiam habet auctor, quæ certè vel barbara ſunt, vel rarò vſitata, viſum eſt in gratiam lectoris, ea peculiari indice exprimere. Quæ non ſunt auctoris, iis aſteriſcum præponi curauimus,

* *Abſus*, lib. 1. cap. 52. abſos quatuor, videtur eſſe certa terræ portio.

Addexterare, ad dextram alicuius ire, dextrum latus claudere, lib. 3. c. 38.

* *Adiacentiæ*, lib. 1. c. 67. quæ adiacent. Quid autem adiacentium nomine contineatur tractant Iureconſulti in l. Si quando. Cod. de bonis vacant. lib. 10. ſcilicet quæ extra quidem, cohærent tamen.

Adrumatur, per rumorem ſignificatur, lib. 3. c. 19. Sic Gloſſarium Iſidori, adrummauit, rumores adtulit, & rumare, rumores adferre.

Aduocatia, lib. 1. c. 10. Aduocatio, lib. 3.

c. 57. defensio, patrocinium, munus aduocati. Vtitur Alexander iij. extra de Iure patronatus, cap. Quia clerici.

Aduocatus, protector, defensor. Aduoé. Petrus Pithoeus in Glossario Capitularium.

AEquiuocus, eiusdem nominis. Legitur in vita S. Gregorii Turonensis scripta per clericos eiusdem ecclesiæ, & in Annalibus Francorum per Pithoeum editis ad annum 869. Eadem significatione vtitur Abbo in libro de obsidione Luteciæ à Nordmannis, & Flodoardus frequenter.

Alodium, fundus qui pleno iure ad possessorem pertinet. Allodum S. Germani aliquoties nominatur in codice ms. monasterii S. Germani à Pratis, cuius fragmentum citat Iacobus du Bruel ad finem Aimoini pag. 437.

Amicare, amicum & pacificum reddere.

Ampliorare, ampliare, quomodo legebat exemplar R. lib. 1. c. 113.

Angaria, lib. 3. c. 72. Dictio Persica est, teste Suida, propriè significans seruitutem coactam. Vnde si quis cogitur plus soluere tributi quàm debeat, angaria est. Legitur 12. q. 2. c. Ecclesiarum ex Concil. Tolet. 3. can. 21.

Annonari, lib. 3. c. 52. annonam recipere.

* *Appendiciæ*, appendices, quæ ab alio pendent l. Si quis 35. ff. de acq. hered. ferè per totam. In nostris exemplaribus scribebatur, appenditiis, quod vbique correxi. Phrases illæ, cum appendiciis & adiacentiis leguntur etiam in diplomate Childeberti regis Francorum, filii Clodouei i. apud Aimoinum lib. 2. de gestis Francorum cap. 20.

Atrium

Atrium, cœmiterium, Gall. l'atre.

Bachania, lib. 2. c. 5. & 11. debacchatio, insania.

* *Bannus*, lib. 1. c. 72. & 108. Gall. & Teut. ban, proscriptio, mulcta. Hincmarus Karolo regi, vt citat Pithoeus in Glossario Capitularium: In bannum, quod in lingua Latina proscriptio confiscando vocatur, est missum.

* *Beneficiare alicui*, in beneficium dare. Legitur in diplomate Caroli Calui apud Flodoardum lib. 3. c. 4.

Biremis dominij, lib. 1. c. 70. quod à duobus regitur. Biremes enim dicuntur naues quæ habent duorum remorum ordines. Virg. 8. Æneidos Geminasque legit de classe biremes. Sic triremes Latinè & vsitatè dicimus.

* *Biuangium*, lib. 1. c. 108. spacium, interuallum, vt apparet. Teut. beuangk, vel beuanck.

Bonum suum, Gallicè son bien, id est hereditas, possessio, bona sua. Vide notas ad cap. 72. lib. 3.

* *Bunaria vel bunnaria*, Gal. bonniers, Teut. bunders, est certa mensura terræ. Vide notas ad cap. 52. lib. 1.

* *Camba*, lib. 1. c. 52. & 66. Teut. Cam, officina coctoria cereuisiæ. Vide notas ad cap. 52.

Camera, cubiculum, Gall. chambre. Bernard. in Apol. ad Guillelmum Abbatem, & ser. 65. super Cant.

Camisia, indusium lib. 3. c. 12.

Campanarium, locus in quo pendent campanę, campanile. Vtitur Sigebertus in chron. anno

anno 1081.

Campus, duellum, lib. 1. c. 10. & lib. 3. c. 57. Gloſſar. Pithoei ad lib. Capitularium in verbo campus. In duplom. Roberti regis: Legem duelli, quod vulgò dicitur Campus. Legitur ea vox in Capitul. vt lib. 3. cap. 46. lib. 4. cap. 23 vbi & campio, Gal. champion. Vnde & Teut. dicimus campſlaen. Gloſſar. Iſidori Campiones, gladiatores, pugnatores, & caſtra Gallicè, le camp dicitur. Vide notas ad cap. 10. lib. 1. Appellatio fortè ab eo ſumpta eſt, quod duellum plerumque in campo, id eſt agro fieri ſolet, ſicut & bellum. Vnde in Sidonio Apollinari carmine 5. campum retinere, eſt victorem eſſe.

Capitaneus, a, um, lib. 3, c. 38. quod caput eſt, & principale.

Caraxatum, lib. 1. c. 49. ſcriptum, inſculptum. In gloſſario Iſid. charaxatis, ſcriptis.

Caraxatura, lib. 1. c. 111. ſcriptura. Vtitur B. Remigius in ſuo teſtamento, & alii, quos adnotaui ad cap. 18. lib. 1. Flodoardi. Item Prudentius hymno 10. verbo charaxat, à χαράττειν, quod Græcis idem valet, quod ſculpere, arare, ſcarificare. Sic enim ait: charaxat ambas vngulis ſcribentibus genas. Vnde & Gall. gratter. Ex quo ſatis cõſtat per aſpirationem eſſe ſcribendum, quomodo in gloſſario Iſidori ſemper ſcribitur, his tribus diuerſis locis: charaxatis, ſcriptis. Inducit, charaxat. Notarius, ſcriptor, charaxarius.

Caſati, lib. 3. c. 63. vaſalli qui intra caſam ſeruiunt. Legitur ea vox in teſtamento Caroli Magni, & rurſum in teſtamento Ludouici Pij

apud Pithœum in 12. ſcriptoribus coætaneis: Seruorumque, inquit, qui iam caſati ſunt, & paulò poſt: Nec non & mancipijs non caſatis. Et lib. 3. capitular. cap. 73. & 80. lib. 5. c. 136. Eodemque modo exponit Pithoeus in ſuo gloſſario citans Iuonem epiſt. 105. & chron. Andegauenſe. Franciſcus Iuretus in ſuis obſeruationibus ad epiſt. 28. Iuonis. Similiter Sebaſtianus Roulliard in ſua parthenia ſiue hiſtoria eccleſiæ Carnotenſis cap. 12. in fine, Gallico idiomate edita, ſcribit mancipia eccleſiæ Carnotenſis manumiſſa, vocata fuiſſe hommes de corps, autrement caſati. His denique conſentit dominus Petrus Preudhõme litteris à me ſuper hoc auctoris noſtri loco conſultus, in quo dicitur: Alijque Archidiaconi cum caſatis Cameracenſis eccleſiæ. Puto ait, hîc (ſicut & in Capitularibus Ludouici Pij Imp. per caſatos intelligi certos vaſallos, qui intra caſam ſiue palatium Epiſcopi ſeruiebant: quales ſunt viginti quatuor franci ſiue liberi feudales, vt vocant, quorum ſinguli ad certa diſtincta ſeruitia in aduentu noui Epiſcopi tenebantur, ſicuti in antiquis libris ſcriptũ reperio. Vtitur eadem voce Fulbertus Carnotẽſis Epiſcopus epiſt. 23. & 43. Deriuatio videtur eſſe à caſa, quo nomine lingua Hiſpanica vocantur omnes domus. Porrò caſæ eccleſiæ meminit Paulinus Nolanus epiſt. 2. ad Amandum: Vt in caſa eccleſiæ terrulam qua victum ſuum procuret, accipiat.

Caſtellanus, præfectus caſtelli, Chaſtelin.

Caſtellatura, præfectura caſtelli, chaſtelenie.

Caſti-

* *Caſtitia*, lib. 1. c. 52. Quid ſint caſtitia necdum mihi ſatis conſtat. Sed nec Pithœus in ſuo gloſſario explicat. Legitur lib. 5. Capit. cap. 148. in quo dicitur: Decernimus nō ſolùm clauſtra monaſterij vel eccleſiæ, atque caſtitia eccleſiarum ſub immunitatis defenſione conſiſtere, verùm etiam domus & villas & ſepta villarum, & piſcatoria manu facta &c. In codice ſuprà citato monaſterij S. Germani à Pratis: Habet (ſupple eccleſia S. Germani) in valle Vitriaco Manſum dominicatum cum caſa & alijs caſtitijs ſufficienter. Appendix concilij Sueſſionenſis: In caſtitijs & ſiluis cuſtoditis.

Certè, pro certò lib. 3. c. 22.

Ceruicati, ceruicoſi, quomodo legit r. lib. 1. c. 87. duri & indomabiles. Ibidem c. 114. ceruicatior. Voce ceruicatus vtitur interpres Eccleſiaſtici cap. 16.

Cippus, Latinè compedes ſignificat, pro carcere accipitur lib. 3. c. 72. Vnde cippier, cuſtos carceris.

Clamati, proclamati in Synodo vel capitulo. lib. 1. c. 45.

Clangorium, turris ſiue campanile, lib. 1. c. 74.

Clericus, lib. 1. c. 29, puer litteris dans operam, ſtudioſus.

Cluere, ſplendere, cluens, ſplendens. Sic in Gloſſario Iſid. præclues, valde clarus & inclytus.

Comperendinatio, mora, lib. 1. c. 102.

* *Communiæ*, communia bona, Gallicè communautez. In diplomate Erhelbaldi regis Merciorum dato anno 716. quod exſtat apud Fer-

reolum Locrium lib. 3. Mariæ Auguſtæ c. 69. Cum communia paſturæ pro omni genere animalium. Item in diplomate Philippi regis Francorum anno 1195. citãte Pithœo in gloſſario in dictione manus mortua, Vtitur & Alexander iiij. in ſexto tit. de immunitate eccleſ. cap. Quia nonnulli.

Concambiatus, permutatus.

Conſultus, us, conſilium, conſultatio, lib. 3. c. 62. Vide notas ad Flod. lib. 3. c. 4.

* *Correctio*, pro correptio lib. 3. c. 28.

* *Cultura*, lib. 1. c. 25. certam terræ portionem ſignificat Codex monaſterij S. Germani vbi ſuprà: Habet ibi de terra arabili culturas decem, vbi poſſunt ſeminari modij ſexcenti.

* *Curs, curtis*, ibidem, pro chorte, qua ſignificatione apud Gallos multa pagorum nomina in curt, vel court terminantur, quorum nonnulla ibidem recenſentur.

* *Cuſtumiæ*, lib. 3. c. 40. conſuetudines, Gall. couſtumes.

Dæmonicus, a, um, pro Dæmoniacus. lib. 2. c 4. Legitur in vita S. Aldegundis c. 2. apud Surium.

Debriatus, inebriatus. Gregorius in paſtorali parte 3. admonit. 13. Æterna nos dulcedine debrians, & admonitione 26. vtitur voce debriare & debriatus. Eadem voce debriatus vtitur Hilduinus abbas in epiſt. ad õnes catholicos, & Hincmarus in vita S. Remigij apud Suriũ. to. 1.

* *Decimancula*, lib. 1. c. 25. parua decima.

De medio factus, id eſt mortuus. Vita S. Lietberti c. 10. Eo de medio facto, id eſt, eo mortuo.

Deque-

Dequesti, id est questi, seu conquesti. lib. 3. c. 2. Vtitur Valerius Flaccus lib. 5. argon. Statius lib. 1. Thebaid. & bis terúe Godefridus Tilmannus in sua versione libri Damasceni de imaginibus.

Derepente, subitò. Sæpe autem in exemplaribus scribitur duabus dictionibus.

Devictus, convictus lib. 3. c. 15.

Didragmare, lib. 3. c. 38. videtur esse, per didragmata dare.

Diffidentia, lib. 3. c. 74. prouocatio ad singulare certamen. Gal. defier.

* *Discapia*, lib. 1. c. 52. Vide notas.

Disciplinatius, magis ad disciplinam, melius, lib. 2. c. 37.

Dissitudo temporis, interuallum.

Doctrinare, doctrinam tradere, docere, instituere.

Doctrinatus, edoctus quomodo legit r. lib. 2. c. 36.

Duricors, durum habens cor.

Emeliorare, melius reddere.

Epacare, omnino pacare. lib. 1. c. 98. vbi r. pacaret.

Episcopium, episcopatus, dignitas episcopalis, alioqui propriè ἐπισκοπεῖον episcopi habitatio dicitur, sicut prætoriũ vbi prætor ius dicit.

Eulogiosè, lib. 2. c. 1. dolenter, vt apparet, quasi elegiosè ab elegia.

Exsumptuare, sumptibus exhaurire.

* *Farinaria*, lib. 1. c. 67. à farina videtur deductum, & significare molas aquaticas. Nam legitur eadẽ vox apud Aimoinũ lib. 5. de gestis Francorũ c. 42. in priuilegio Caroli Simplicis,

& præcedit vtrobique: Aquis, aquarumq; decurſibus. Similiter in teſtamento Guillelmi Auernorum Comitis & Aquitanorum Ducis, cognomento Pij, fundatoris monaſterij Cluniacenſis anno Domini 910. Aquis, aquarumúe decurſibus, farinarijs, exitibus, & regreſſibus &c. Exſtat in Martinianis Pariſiis editis 1606. Denique in lege Salica capit. 24. legitur, Sluſa, id eſt clauſura, de farinario.

Ferula, lib. 1. c. 22. pro pertica videtur accipi.

Fideles Imperatoris, vaſalli, fideliter ei adhærentes.

* *Foraſtum*, lib. 1. c. 108. Gal. & Teut. Foreſt, ſilua, locus in quo habitant vel includuntur feræ Voce foreſta, æ, pro ſilua vtitur Lupoldus Bebenburgius, in libro de zelo veterum Germaniæ principum cap. 9.

* *Fredum*, lib. 1. c. 37. 62. 76. & 107. compoſitio fiſco debita qua quis pacem à principe impetrat. Vide notas ad c. 37. lib. 1. & ad c. 50. Flodoardi lib. 4.

Frigoritici, febricitantes, frigido morbo laborantes, lib. 1. c. 55. Legitur quoque ea vox in Flodoardo lib. 2. c. 14. & ante eum in Gregor. Turon. lib. 1. Miraculorum S. Martini c. 38. & lib. 4. c. 37. vbi legitur, vtrobique frigoretici. Nomen à frigoribus tractum, de quo Catholicon Iohannis Ianuenſis: Frigores, gorum numeri plu. maſ. gen. id eſt febres, quæ faciunt homines frigere, & deriuatur à frigeo. Sic ibi.

Funebritas, exequiæ, funebria lib. 1. c. 28. & 86.

* *Guer-*

* *Guerra*, bellum, dictio eſt Gallica lib. 3. c. 42. vbi vtrumque exemplar vverra legebat, quomodo etiam legitur in Martinianis, vbi ad marginem eſt notatum: werra pro guerra vetus ſcribendi modus apud Francos, qui V. pro G. pronunciabãt.] Sic Guido dicimus & VVido. Vita B. Lietberti c. 57. Pro vverrarum ſeditione. Voce guerra vtitur Bernardus epiſt. 120. 225. & ſer. 3. de reſurrect. Petrus Bleſenſis epiſt. 196. & ſer. 23.

Gutteria, vitium gutturis. Vide notas ad cap. 16. lib. 1.

* *Hæreſia*, æ, hæreſis lib. 3 c. 30. & 31.

Herbidare, herbam ſeu gramen proferre.

Hominem exire, id eſt mori, vide notas ad cap. 19. lib. 3.

Hoſtis, pro exercitu, phraſi Gall. vn oſt. Vide notas ad c. 68. lib. 3.

* *In antea*. lib. 1. c. 27. 115. & 118. phraſi Gallica dictum eſt, dor en auant, quod Latinè dixeris, in poſterum. Idem bis legitur yna dictione lib. 3. capitular. cap. 74. ter, ſeparatis dictionibus in diplomate Sanctii regis Aragonum, quod exſtat apud Ferreolum Locrium lib. 3. Mariæ Auguſtæ c. 59. dato anno 1093. In iuramento fidelitatis quod edidit Pithoeus in 12. ſcriptoribus coætaneis. Ego Karolo Hludovvici filio ab iſta die in ante fidelis ero &c. Vtitur item Ioannes 22. in extrauag. vnica tit. de pœnis: & in Communibus tit. de Auct. & vſu pallii, & ibidem Benedictus 12. tit. de de Præbendis & dignit. cap. 13. Ad regimen.

Inceſtus, a, um, inceſtuoſus, pollutus Fulbertus in vita S. Autberti cap. 2. Inceſtus He-

rodes. Quin & eodem modo vtitur Cicero pro domo ſua, & Propertius lib. 3. eleg. Item Capitularia lib. 7. cap. 335. & 737. & alibi.

Inceſtum, ſti, neutro genere, pro inceſtus, us. Sed & hoc Latinè dicitur, & vtitur ea voce Papinianus l. Si adulterium. ff. ad legem Iuliam de adulteriis. Capitularia lib. 7. c. 335. & in additione ii. ad lib. 7. cap. 20.

Inclaſtrum, lib. 3. c. 72. incluſura, vel clauſtrum aut ambitus monaſterii. In vita B. Lietberti c. 49. legitur inclauſtrum: Ædificatoque inclauſtro cum ceteris officinis, quaſi mulieres adſepulchrum excubantes.] &c.

Inconcauit, lib. 3. c. 22. abſorbuit.

* *Infantes*, lib. 1. c. 52. proles, etiam adultæ ætatis, Gal. enfans.

Infiſcari viris militaribus, lib. 2. c. 18. quaſi fiſco addici.

Infra caſtrum, domum, vel *epiſcopium*, pro intra ea, phraſi qua adhuc hodie dicimus, infra octauam.

Inimicare, inimicum reddere, in ſummario c. 106. lib. 1.

Inmunus, ſine dono ſeu munere, lib. 3. c. 37.

Inmurentis. Vide notas ad cap. 21. lib. 2.

Inquies, inquietus, vox bene Latina eſt.

* *Inpoſturari*, decipi. lib. 3. c. 28.

Inſcientia, ignorantia, inſcitia, quomodo r. legit lib. 1. c. 2.

Inſignibat, lib. 2. c. 5. inſignem reddebat, exornabat. Claudianus lib. 1.

Hic elementorum ſeriem, ſedeſque paternas,
Inſignibat acu. Vtitur & Aimoinus, ſeu quiſquis auctor lib. 5. de geſtis Franc. c. 19.

Leuga,

* *Leuga*, id leuca, vne lieuë, milliare.

Ligius miles, lib. 3. c. 66. à liga, quæ vox Gallis colligationē ſeu confœderationē ſignificat.

Lignarium, lib. 3. c. 72. locus in quo ligna reconduntur, vel tributum de lignis exactum. Vide notas ibidem.

Litterales diſciplinæ, Grammaticæ lib. 1. c. 29. & 87. vbi vide notas.

* *Mallus*, vide notas ad cap. 72. lib. 1.

* *Manſiones*, diuerſoria militum extra ciuitates, quomodo accipitur in litteris Dagoberti regis, de quibus Flodoardus lib. 2. c. 11. & l. 2. Cod. de lucris aduocat. lib. 12.

* *Manſuræ*, idem quod manſiones, vel habitacula villicorum. Sic & manſus eſt prædium in quo manēt homines commodioris culturæ cauſa. Vnde Gal. Maiſon, Brabanticè laethof.

* *Manſus*, i, Vox eſt vernacula Italorum, inquit Iacobus Spiegelius in Lexico Iuris, agrum ſeu fundum ſignificans qui duobus bobus ad laborandum ſufficit, ſcilicet in anno, vt eſt in gloſſa ad cap. Sancitum extra de Cenſibus, ex qua id deſumpſit veriſimiliter Spiegelius. Mentio quoque huius vocis eſt apud Grat. 23. q. 8. cap. Secundum. ex Concil. Pariſ. & cap. Sancitum ex Concil. Wormacienſi can. 50. quod repetitur extra de cenſibus. Sæpe autē in diplomatibus legitur, modò abſolutè, modò cum adiūcto, vt Mãſus dominicatus manſus regalis, manſi ſeruiles, manſi deſeruientes manſis eccleſiaſticis, manſi veſtiti, ſcilicet grano, aut legumine, Gal. veſtu. Manſus dominicatus, & regalis is dici videtur, qui ſit patrimonii regii.

Apud

Apud Aimoinum lib. 5. de gestis Francorum cap. 25. bis legitur: Cum omnibus villis dominicatis, & vasallorũ, & c. 35. De mansis indominicatis solidus vnus. Ité apud Pithoeũ post 4. librũ historiæ Nithardi, vbi eadẽ refertur historia, bis ex antiquis schedis legitur: Cum omnibus villis in eo consistentibus, tam dominicatis, quàm & vasallorum. Vbi villæ Dominicatæ opponuntur villis vasallorum. Rursum in testamento quòd suprà citaui verbo farinaria, legitur: Cum cortile & manso indominicato. De Manso quoque videantur alia testimonia in Glossario Pithoei, qui Mansum ait dici Meix Burgundionibus, Mois Nortmannis, Mas aliis.

Matricularij, lib. 1. c 33. æditui ecclesiæ, quos Gallicè dicimus Magliseurs. Sebastianus Roulliard in sua parthenia Carnotensi parte 2. describens officiarios iam dictæ ecclesiæ, eodem ferè modo interpretatur: Sequuntur, inquit, duodecim ministri, dicti Marguilliers, Latinè matriculariı, à matricula seu registro in quo olim scribebant nomina eorum qui ad baptismum deferebantur in ecclesiis cathedralibus &c.

Matutinos, lib. 2. c. 3. genere masculino, subaudi hymnos, quod exprimit Gregor. Turonensis lib. 2. hist. Francorum cap. 7. & Aimoinus lib. 3. c. 43. Idem Gregor. lib. 10. cap. 44. Procedente rege ad matutinos. Sic & in rubricis Breuiarii Romani, tit. de Matutino, tres nocturnos legimus. Hodie Matutinum dicimus genere neutro, & matutinas, subaudi preces. Masculino genere vtitur ante hos omnes

mnes S. Benedictus in reg. cap. 13. Qualiter priuatis diebus matutini agantur.

* *Merchatus*, siue *Mercatum*, lib. 1. cap. 112. Ius nundinarum siue fori.

Missus, lib. 1. c. 61. & lib. 3. c. 1. pro legato aut commissario, à mittendo. Sic accipitur in vita S. Remigii per Hincmarum scripta, & frequenter in epistolis Nicolai papæ primi, & successoris eius, Adriani ii. frequentissimè autem in Capitulis Karoli Magni & Ludouici Pii. Legitur & in cap. 1. extra de Immunit. eccles. vbi glossa: Missus, id est executor, vel officialis, vulgare est Italiæ.

* *Molendinus*, pro molendinum. Vide notas ad cap. 52. lib. 1.

Monasterium, pro quauis ecclesia collegiata, aut conuentuali. Vide notas ad cap. 25. lib. 1.

Omnimodis, omnino, omnibus modis. Vtitur S. Maximus homil. 1. de S. Laurentio, Ruffinus lib. 1. hist. eccles. S. Remigius in suo testamento. Idem in capitulis regum Franciæ & Flodoardo frequenter occurrit.

Omnis, pro toto.

Pagus, regio, tractus, territorium, Gal. pays, vt pagus Bracbatensis, Cameracensis, Haynoensis, &c. Quæ significatio Iulio Cæsari quoque vsitata est, vt lib 1. de bello Gallico, dum scribit Heluetiam totam diuisam fuisse in quatuor pagos.

* *Paratæ*, vide notas ad cap. 37. lib. 1.

Parochia, pro diœcesi, vt in canonibus frequenter.

Participium, pars.

Peccarium, Vide notas ad c. 22. lib. 3.

* *Per-*

* *Perdonare*, condonare, Gall. pardonner. Legitur in capitular. vt lib. 4. c. 37. & alibi.

Pinguamen, pinguedo.

Placitum, lib. 1. c. 25. & 61. conuentus publicus, comitia, iudicium, Gal. plaidz. Vtitur Aimoinus lib. 1. de geſtis Francorum c. 20. Capitul. lib. 3. c. 83. extra de Immunitate eccleſ. cap. 1. & quædam Synodi Gallicanæ, quas citat Pithoeus in gloſſario. Interdum accipitur pro conuentione ſeu pacto, vt lib. 3. c. 48.

* *Planctus*, lib. 3. c. 28. querela, Gall. plaincte.

* *Pleniter*, ibi. ex Conc. Meldéſi. id eſt plenè.

Pœnitentialis, ſubauditur liber.

Poleticum, lib. 1. c. 53 litteræ per quas inuaſores eccleſiæ excommunicabantur.

Pompare, pompam agere. Vtitur Sedulius lib. 1. operis paſchalis, & Abbo in libris de obſidione Lutetię à Nordmannis.

Præbendæ, canonicatus, ſacerdotia ſeu beneficia eccleſiaſtica. Sed propriè fructus beneficio annexos ſignificat.

* *Precaria, æ*, lib. 1. c. 52. & *precarium*, ibid. c. 25. eſt donatio tribuens vtile dominium, aut ſaltem vſũfructum, cuius effectus eſt, vt ſi ſtatim finito quinquennio non petatur eius renouatio, is qui habet precariam iure ſuo cadat. 10. q. 2. cap. 5. Precariæ. ex Concil. Belluacenſi. Fit earundem mentio ibidem cap. præcedenti & ſequenti, & 12 q. 2. cap. 44. Precariæ. Eſt item in decretalibus lib. 3. tit. 14. de Precarijs, & in pandectis lib. 43. tit. 43. In quem titulum inter alios euidenter oſtendit Matthæus Weſembecius, quomodo differant precariæ pontificiæ à precario. Denique de

preca-

precaria videatur glossarium Pithoei.

Præceptum, rescriptũ principis, priuilegiũ, litteræ immunitatis. Vide notas ad cap. 85. lib. 1.

Prædiatus, prædiorum diues.

Præpotestas, lib. 3. c. 2. prin aria & prærogatiua potestas.

Præsagare, pro præsagire. Vtrumque legitur apud Latinos.

Præstaria, æ, lib. 1. c. 44. idem esse quod precaria probã hæc Flodoardi verba lib. 4. cap. 11. Recepit denique res diuersas & villas Ecclesiæ quas antecessor suus per precarias siue præstarias diuersis contulerat personis.

Præuidere, pro prouidere lib. 3. cap. 3. & 9. & lib. 1. cap. 116. a. g. legunt præúidente, vt in margine notauimus. Quod priusquam aduerterem lib. 1. c. 87. restitui prouidebat pro præuidebat.

Profluuia fides, instabilis lib. 3. c. 7.

Rapinator, raptor, quomodo legit r. lib. 1. c. 10. Vtitur Lucilius.

Recompensare, compensare, remunerare.

Recompensatio, remuneratio.

Regimonium, regimen, lib. 2. c. 28. & lib. 3. c. 16. Sic Glossarium Isidori, Regimonium, gubernationem interpretatur.

Repatriare, in patriam redire, Gloss. Isid. & Bernardus frequenter. Loca ad Thomam Cãtipratanum adnotaui.

Repedare, redire, Lucilius.

Reuadiare, lib. 1. c. 118. videtur esse à vas vadis, exoluere. Vnde vvadij, & debitum revvadiatũ in Gloss. Pithoei, & in epitome constitut. Caroli Magni pag. 290. & 323. vbi vide not. Viti Amerparchij.

* *Sacel-*

* *Scaellarius*, vide notas ad cap. 60. lib. 3.

* *Salica lex* vide notas ad cap. 25. lib. 1.

Sceleroſus, ſcelerarus. Vtitur Terentius in Eunucho, & Lucretius lib. 1.

Senior, pro domino lib. 1. c. 52. 61. 110. & 114. Hiſpanicè ſeignor, Gal. ſeigneur. Legitur paſſim in capitulis Caroli Magni & Ludouici Pii, vt lib. 1. cap. 91. lib. 2. c. 15 lib 3. c. 8. Vtitur & Ioannes Iperius in ſuis chronicis, & alii mediæ ætatis ſcriptores.

Sermentatus, iuratus. Iuramentum Gall. ſermenr.

Siquidem, pro quidem frequenter vſurpat.

* *Siſonia*, lib 3. c. 42. Videtur eſſe quod Gallicè dicimus ſaiſine.

Siriaticus turgor, lib. 1. c. 94. forma prouerbiali pro magno faſtu dicitur, fortè à Syria, atque ita Syriaticus ſcribendum foret per y.

Solatiari, lib. 3. c. 52. conſolari, ſubleuari. Vtitur Zacharias Papa in epiſt. ad S. Bonifacium martyr. 11. q. 3 cap. Quod prædeceſſor.

Spectans, pro exſpectans lib. 1. c. 8. vbi r. legit ſperantibus, pro ſpectantibus, lib. 2. cap. vlt. g. legit ſpectat, alia duo exſpectat.

* *Strumentum*, inſtrumentum. Vide notas ad cap. 25. lib. 1.

Subterrari, ſepeliri, Gal. enterrer.

Subterratus, ſepultus.

Subtolarium, lib. 3. cap. 20. Eſt pars corporis humani, videturque idem quod ſubtal, à ſub & talo, quod ſignificat cauum pedis.

Summittere, pro ſubmittere lib. 1. c. 33. orthographiæ mutatio eſt.

* *Teloneum*, ſiue *theloneum*, lib. 1. c. 67. eſt

ius

ius dominicale, quod ſolvitur ratione rerum venditarum & emptarum pro qualibet ſpecie mercium.

* *Terrationes*, lib. 1. c. 27. terræ, vel ius quod Gallicè dicitur terrage.

Trabes, is, trabs, lib. 2. c. 3. & lib. 3. c. 55.

Turgor, inflatio, tumor, ſuperbia, lib. 1. c. 70. 94 & 116.

Vadabatur, ſpondebat, promittebat lib. 2. cap. 1. Gloſſ. Iſidori: Vadatur, promittit, pollicetur, fide dicit.

Vadatus, lib. 1. c. 65. vadimonio obſtrictus, & in ius vocatus.

Vaſallus, cliens.

Vicus, id eſt pagus.

Villa, pro ciuitate ſeu opido, phraſi Gallica ſæpe accipitur.

Vinculare, vinculis conſtringere.

Vltiſsimus, omnium poſtremus lib. 3. c. 23.

Werpire, lib. 3. c. 74. dimittere, relinquere Gal. deſaiſsner. Legitur eadem vox apud Aimoinum lib 5. de geſtis francorum c. 48. Pithoeus in Gloſſar. ante vocem: Crucis examinatio. hæc verba citat ex veteri inſtrumento Maioris monaſterii: Et fecerunt in capitulo noſtro guerpitionem calumniæ, & donum auctoriſationis de his omnibus.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ TRIBVS LIBRIS CHRONICI CAMERACENSIS & Atrebatensis continentur.

Abbatiæ à quibus conferebantur. 279. 297.
Abbatis officium. 181.
Ablebertus episcopus, qui & Emebertus 33. *Eius parentes, & quatuor sanctæ sorores. ibidem. Sepultus in Ham, inde Martinas, postremò Melbodium est translatus.* 34.
Alberti Veromandensis Comitis horribilis pœna ob linguæ peccata. 301.
Albiniacum monasterium Canonicorum. 241.
Aldonis prædonis in cœmiterio sepulti horribile iudicium. 295. 296.
Aldo de Vido è ciuitate Cameracensi expellitur. 349.
Altus Mons monasterium 255. 278. *In eo expulsis Canonicis restituuntur monachi.* 279.
S. Amatus Senonensis episc. relegatus in exilium. 41. *Cappa eius & manicæ sustentantur à radio solis* 52. *Sanctè viuit & moritur in Broilo* 43. *Corpus eius habetur Duaci in ecclesia S. Amati* 242.
Ansbertus episcopus in ecclesia S. Autberti octo Canonicos constituit. 141. 142. *Graues iniurias à suis militibus sustinet.* 142.
Aquisgranensis Synodus prouincialis 313. *post. Prodigia huius Synodi tempore facta.* 314.
Ara B. Mariæ virginis illæsa inter stragem murorum à S. Vedasto Atrebati inuenta 22.
Arnulfus Comes Flandrensis Lietbertum è carcere liberat, & cum gloria Cameracum reducit. 378.
Arnulfus Comes Valentianensis. 203. 251.
Arnulfus Imperator. 93. 100.
Arnulfus Remensis Archiepiscopus depositus, substituto Gerberto, & iterum restitutus 195. *Degener animi* 211.
Atrebatensis & Cameracensis vrbis conditores nesciuntur. 5.
Atrebatensis ecclesia ob persecutionis rabiem desolata, episcopo caruit multo tempore. 16.
Atrebatensis ecclesia S. Mariæ cathedralis. 240. *In ea mul-*

multæ reliquiæ inueniuntur, ad quas multa fiunt miracula ibid & 276. Eiusdem conflagratio 307. Eiusdem noua consecratio, & aliarum reliquiarum inuentio 250.

Atrebati duo alba vellera ceciderunt ante Christi aduentum. 3. 7. post.

Atrebatum inter antiquiores & nobiliores vrbes, 5.

Attila Hunorum rex cum ceteris Galliæ vel Germaniæ ciuitatibus etiam Atrebatum spoliat 21.

S. Audomarus in translatione S. Vedasti visum recipiens, rursum cæcitatem impetrat 26.

S. Autbertus fit episcopus 35. Landelinum fouet & ad omnes ordines promouet 36. Eundem litteris & moribus sacris imbuit 258. Consecrat ecclesiam à S. Gisl no constructam ibid S. Vincentium ad religionem inducit 37. Melbodiense monast. consecrat. ibid S. Vedastum transfert ibid & 38. Constituit monast. S Vedasti ibid.

S. Autberti vitam scripsit Fulbertus doctor iubente Gerardo episcopo 130 131.

S. Autberti monasterium 235.

Azelinus Balduini Flandrensium Comitis filius ambit episcopatum Cameracensem 195. 218. fit postea epis. Parisiensis 95.

Adhildis prudentissima regina 39.

Baldricus Leodecensis episcopus 276. Mors eius & sepultura 294.

Balduinus Barbatus obsidet Valentianense castrum & sibi vendicat 206. datur eidem ab Imp. in beneficium 208.

Balduinus Caluus Comes Flandriæ 97.

Barala monast. Canonicorum S. Georgij 236.

in Bauenberg nouum episcopium dedicatur 270.

Belgicus vicus in territorio Atrebatensi basilica Canonicorum 245.

Berclaus Cella S. Saluatoris monast. 242.

Berengarius epis. insolens propter generis nobilitatem 134. Duas villas ab ecclesia diuulsit 136. Ciues inuasit, alios q; interfecit, alios excæcauit ibid. & 137. Templum S. Gaugerici violauit, nocte à S. Gaugerico percussus, non multò post interijt 137. 138.

S. Bertilia 241.

Bertoaldus, vir apostolicus S. Gaugerico in episcopatu succedit 29. lectum sternit in cubiculo S. Gaugerici 29. Ibidem altare dedicauit 30. Interfuit Synodo Remensi ibid.

Bruno dux Lotharingiæ & Archiepiscopus Colonienses, fra-

ter

ter Ottonis primi Imp. 116. monarchiam regni sub fratre tenet 135. 159. Conuentum generalem indicit 140. Rainerum, eiusq; filios Rainerum & Lantbertum damnat exilio 159. 160.

CAlixti papæ & martyris reliquiæ 98.
Cameracenses Hungaris fortiter resistunt, & nepotem Bulgionis regis occidunt 120. 121.
Cameracenses feroces & inobedientes 134. 156. 174.
Cameracensis ciuitas affligitur ex bello Comitis Flandriæ contra Arnulfum Comitem Valentianensem 203. Magna pace fruitur sub Lietberto 369.
Cameracensis ecclesia tribus circiter annis vacat, tribus interea contra Canones institutis 78. 79.
Cameracum & Atrebatum duæ fuerunt ab initio sedes episcopales, quarum primi episcopi ignorantur 13. 21.
Campanarium seu campanile cadens, meritis B. Mariæ erigitur 222. 223.
Carbonaria sylua 9.
Caritas omnium virtutum principatum obtinet 144.
Casati ecclesiæ Cameracensis 358.
Castrilocus, & in eo monasteria duo 261.
Chonebertus abbas multa bona donat Maricolensi monasterio à S. Humberto constructo 52.
Clodio rex Francorum Cameracum expugnat, & Christianos ibidem repertos interficit 9. 28.
Clodoueus rex Francorum facto voto se cum exercitu sacro fonte abluendum, mox victoriam obtinet contra Alemannos 18. Tullium venit ad S. Vedastum 19 Baptizatur cum exercitu 11. 12. 20. Cameraci expugnat Ragnacharium 10. 11. Proditores vitiato fallit auro ibid.
Comeus Atrebatensium Dux 6. 7. 8.
Condatum monasterium canonicorum 263.
Condrensis pagus quomodo cesserit ecclesiæ Cameracēsi 85.
Conradus Imperator eligitur 335. Abit in Italiam & durè agit cum Episcopis 346 Prodigia in eius coronatione Mediolani facta 347. Moritur Traiecti, succedente Hērico filio ibid. Signa quæ mortē eius præcesserūt ib. & 348.
Cosmographia iubente Iulio Cæsare conscripta 8.
Crhothildis Christiana regina, vxor Clodouei, maritum ad veri Dei cultum instigat 17.
Crispinium monasterium Canonicorum 262.

DAgobertus rex dedit ecclesiæ Cameracensi fiscum Oneng. 35.

Danorum per has regiones grassatio. 71.
Dionysius papa inter ceteras distinxit diœcesim Cameracensem & Atrebatensem. 13. 22.
Dodilo episcopus iuris sui villam Buxerias dedit ecclesiæ B. Mariæ 95. *Multa ad eum scripsit Fulco Remensis Archiepis. ibid. Admonet eum sui officij.* 96. *Ab Arnulfo rege præceptum immunitatis obtinet.* 100. *Interfuit consecrationi Heriuei Remorum Archiepis.* 103. *Maniæ vrbis Cameracensis adeo ampliauit, vt monast. S. Autberti includeret* 103. 104. *Ecclesiam B. Mariæ consecrauit, & eidem multa ornamenta contulit ibid. Corpus S. Vedasti Bellouaco Atrebatum retulit* 187. 188. *Relationis festum instituit. ibid.*
S. Dodo abbas in VVaslero 154.
Dominicus S. Vedasti successor. 28.
Donis impiorum ecclesiæ ruunt. 314.
Duacense castrum. 243.
Duacensem populum sedat Gerardus episcopus. 243.
Dumeng B. Rainfredis abbatia. 247.

E *Bonis litteræ ad Halitcharium episc.* 66. *Eius accusatio.* 70. *eiusdem depositio.* 72.
Ebroinus Maior domus regiæ in monasterium recluditur. 39. *Restituitur in pristinum gradum, & martyrio afficit S. Leodegarium ibid.*
Elbertus frater Gerardi episc. in ecclesia B. Mariæ Cameracensi curatur. 224.
S. Eligij domicilium vbi 55. *In Monte S. Eligij monasterium Canonicorum* 241.
Engrannus Corbeiensis cœnobij monachus fit episc Cameracensis. 139. *Mira caritate, & alijs virtutibus pollet. ibid. Res ecclesiæ ablatas euindicare studet.* 140. *Ecclesiam S. Mariæ amplians moritur.* 141.
Episcopo non licet successorem eligere. 318. 319. 320.
Erluinus ecclesiæ Leodicensis Archid fit episc. Cameracensis, & Romæ ordinatur 194. 195. 196. *Obtinet à Gregorio papa priuilegium cum excommunicatione contra inuasores bonorum ecclesiæ suæ.* 196. 197. *Nouum Castellum Peronæ siue S Mariæ, regia auctoritate firmauit, quod nũc Cameracesiũ dicitur.* 200. 201. *Mon. S. Autberti curat ampliari. quod & duabus villis locupletauit.* 203. *Multa patitur à VValtero Castellano.* 212. *Plura à VValtero eiusdem VValteri filio.* 213. 214. *Mors Erluini & sepultura.* 215. 216.

S. Er-

INDEX.

S. Ermini vita & conuerſatio. 260.
Euoſium patria S. Gaugerici 315. *poſt.*
Excommunicati nec abſoluendi, nec in cœmiterio ſepeliendi, niſi pœnituerint. 307. 314.
Excommunicationem ſpernens, ſubitò miſerrima morte interiit quidam nobilis. 76.
Excommunicatum ab vno epiſcopo non eſſe abſoluendum ab alio ſine eius conſilio. 316.
FAro conſiliarius Ragnacharii. 11.
Fiducia principum eccleſiæ benefacientium 192. 202.
Fiſciacum monaſterium Canonicorum. 254.
Florinenſis campus. 282. 284.
Fredorum exactio. 64. 101. 110. 116. 127. 190.
Friſones Aquatici alieni à ſacra communione. 298.
Fulbertus epiſc. corpus S. Vindiciani honorificè leuat 57. *Dei eccleſiam multis commodis munire ſemper laborat.* 112. *Contra Iſaac Comitem victoriam obtinet ibid. &* 113. *Eius integritas & zelus in dirimendis principum conſanguineorum matrimoniis* 117. 118. *Confortat ſuos vt viriliter dimicent contra Hungaros* 121. *Curat corpus S. Hermetis Rotnacenſibus reſtitui* 125 *Ottoni Imp. mittit corpus S. Theoderici, & alterius epiſcopi cum aliquot articulis S. Autberti* 130. *Eius teſtimonio & auxilio in ſynodo Artoldus reſtituitur, & Hugo expellitur.* 131. 132.
Fulcuinus abbas Altimontenſis 279.
Fulradi abbatis S. Vedaſti irregularis vita 185. *Excommunicatur à Rothardo epiſcopo. ibid. Inimicitias excitat inter Arnulfum Comitem & Rothardum. ibid &* 208. *Detrectat ſubdi Epiſcopo.* 188. *Rurſus excommunicatus ab Erluino miſcet omnia* 209 *deponitur agente Balduino Comite Fland. & abbatia primùm Heriberto, deinde Richardo traditur.* 210.
Fulradus rapta pecunia fugit ad Arnulfum Remenſem Archiepiſcopum, & tandem malè perit. 211.
Fur quidam in baſilica S. Gaugerici, ipſo intimante comprehenditur. 32.
Galliarum conditio tempore Clodionis. 9.
S. Gaugericus fuit 39. *annis epiſcopus* 226. *Multis claret miraculis ante & poſt mortem ibid. &* 227. *& ſex pag. ſequentibus. Hinc ipſius eccleſia valde fuit dotata à regibus & principibus.* 226.
S. Gaugerici eccleſia in monte ſita vbi antè fuit lucus dæmonio.

moniorum 225. Fuit olim regalis abbatia omni sufficientia florens 227. fratres eiusdem ecclesiæ victum sumunt in communi refectorio 228. In eius honorem multæ passim extructæ ecclesiæ ibid. Energumeni & phrenetici multi ad eius reliquias ætate auctoris sanantur 229 Cõtractus sanatur 232. Incendium eius meritis extinguitur. 233.

Gemegium cœnobium 248.

Gerardus episcopus Cameracensis 219. 267. Eius patria, genus, & educatio ibid. Cameracum honorificè deducitur & suscipitur 268. Ordinatur episc. 272. Consecrat monast. Altimontense 279.

Gerardus epis. pacificator 280. 282. 286. 303. 316. Pacis causa tolerat matrimonium consanguineorum 283. Florinis duo fundat monasteria 290. Reclamat ordinationi Ebulonis Remensis Archiep. 304. Improbat consilium episcoporum, qui sibi regalia iura vendicare volebãt 206. Eiusdem epistola ad Leodicenses Archidiaconos 307. 308. Tres epistolæ hortatoriæ ad diuersos episcopos 317. & sequentibus. Item ad Leduinum Abbatem S. Vedastis 305. post.

Gerardi epis. pietas 307. eiusdem commiseratio 312. Vetere diruta, ædificat nouam ecclesiam B. Mariæ Cameraci & solemniter dedicat 330. 331. Eidem multa ornamenta & possessiones attribuit 333 Monasterium S. Andreæ à fundamento constituit, & multa ei bona attribuit 334. Prudenter refellit grauia onera & decreta quæ episcopi Franciæ toti populo volebant imponere 338. vsque 342. Alloquitur populum de salute animæ, & imperfectos excusat 344. 345. Rogatu epis. Leodicensis Nihardi leuat Traiecti corpora SS. Gondulfi & Monulfi 348. Interfuit ibidem consecrationi ecclesiæ S. Seruatij & Mettis S. Stephani 348. Gerardi epistola ad Henricum iij. Imp. 391. Moritur Gerardus 358.

Gerbertus Archiepis. Remensis, quo litteratior nemo postea extitit 195. Idem posthac papa, dictus Siluester ij. 205.

Gogicum castrum 162. 174.

Gorgiensis schola 174.

S. Guntmari monasterium Canonicorum 266.

H Adulfus epis. ab Engranno eleuatus & mulier à demonio liberata 61. 62.

Halitcharius epis. vir doctrina apostolicus, sex libellos scripsit de remedijs peccatorum, & ordine pœnit. 66. Ebonis archiep.

archiep. Remenſis ad eum litteræ ibid. Reſcriptio Halitcharij ad Ebonem 68.
Halitcharius miſſus ab Imp. Conſtantinopolim plurimas adfert reliquias 69. Sepultus eſt in monte S Eligij ibid.
Hamatica, Hamaticum, & Hamatgia monaſterii 43. 247
Haſnum abbatia regalis 246
Haſprum monaſterium 248. Quomodo monaſterio S. Vedaſti ceſſerit 250.
Henin in eccleſia S. Martini xij. Canonici deputantur 245.
Henricus Dux Baioariorum Ottoni ij. Imp. noluit ſubiugari 159. Sed non multo poſt victus, ſeſe dedidit 160. Eo mortuo, iterum adſpirat ad Imperium, & Ottonem iij. filium Ottonis ij. tenet in cuſtodia 179.
Henricus dicti Henrici filius vir pius & ſtrenuus Imperator eligitur 206. Valentianas contra Balduinum Fland. Comitem fruſtra obſidet 207. Caſtrum Gandauum inuadit 208. Dat Balduino Valentianas in beneficium ibid. Gerardo capellano ſuo dat epiſcopatum Cameracenſem 219. 267. In Bauenberg dedicari iubet nouum epiſcopium 270. In Italiam proficiſcitur 289. Comitia eiuſdem ſolemnia cum Rotberto Francorum rege 316. poſt. Eius munificentia 317. 318. 319. Obitus eius ſuccedente Conrado 335.
Henricus iij. aliàs ij. dicti Conradi filius ſit Imp. 347. Lietberto dat epiſcopatum Cameracenſem 359. Bello ſe accingit aduerſus Balduinum Comitem Flandriæ, ductore Iohanne aduocato Atrebatenſi 362. Factis pontibus Scaldim tranſit iuxta Valentianas 364. Terram Balduini præda & incendio deuaſtat ibid. & 365. Cum gloria ad ſua reuertitur 368.
Herbrandus abbas S. Giſleni multa mala à Comite Montenſi Rainero patitur 297.
Herigeri Laubienſis abbatis laus 182, 183.
Herivvardus dolosè gratiam Tetdonis ſibi comparat. 169.
Herluinus, vide Erluinus.
S. Hermes martyr ex Rotnaſce transfertur Endam metu Danorum 124.
S. Hetto 254.
Hildovvardus epiſc. tabulas eburneas dat eccleſiæ Cameracenſi 62. Ab Imp. Ludouico Pio præceptum immunitatis ſuper bonis eiuſdem eccleſiæ impetrauit 62. 63. Interfuit Synodo Nouiomenſi 65.

Hincmarus Remensis Archiep. 71. *Eiusdem scripta plurima.* 73. 74. 82. *Eiusdem epistola ad Nicolaum papam pro ecclesia Cameracensi* 79.

Hominum Deo seruientium tria genera ab initio. 339.

Hungarorum grassatio per has regiones 119. *Cameracum expugnare non valentes, suburbia exurunt* 120 123. *Nituntur incendere templum B. Mariæ, tela ardentia certatim iaculantes* 122. *Templum S. Gaugerici incendunt, & multos in eo repertos occidunt.* 124.

Hugo Magnus, Gallorum princeps. 114.

S. Hugo Rotomagensis episc fit monachus. 249.

Hugo VValteri nepos Castellatura Cameracensi donatur à Lietberto 362. *Malicia inferior non est præcedentibus Castellanis* 371. 372. *Excommunicatur à Lietberto ibid. Flagrat amore Adæ neptis Richildis Comitissæ Montensis* 374. *Eam absolutus & renouato iuramento fidelitatis, accipit vxorem* 375. *Non diu post iuramentum violauit. ibid. Cameraco relicto Oiseium se confert, & quidquid potest mali infert episcopo suo.* 376. *Episcopum ducit captiuum.* 378 *Expellitur tãdẽ à finibus Cameracensiũ.* 379.

IHam, nunc Einham monasterium. 264.

Imperij afflictatio. 179. 180.

Iohannes aduocatus Atrebatensis in vxorem ducit viduam VValteri Castellani Cameracensis. 356. *Castellaturam à Gerardo episcopo nititur impetrare, sed frustra ibid. Lietberto recenter episcopo designato ciuitatis introitum negare parat, nisi se Castellanum constituat.* 360. 361. *Inuadit ecclesiam eiusq; thesauros, & domum episcopalem.* 360. *Ignominiosè ab vrbe expellitur,* 362. *Deficiens à Balduino transfugit ad Henricum Imp.* 363. *Deducit Imp. exercitum contra Balduinum Comitem Flandriæ, vt per Imp Castellaturam Camerac. accipiat* 364. *Ea adepta deducit vlterius Imp. exercitum.* 367.

Iohannes alius, Castellanus Cameracensis à Tetdone epis. ab vrbe exclusus, multa infert damna. 157. 158.

Iohannes episc. Hilduino expulso subrogatur. 80. *Præceptum super possessiones quas in pago Condrensi S. Mariæ adquisiuit.* 84. *Ecclesiam Laubiensem ab inquietudine Karlensium liberauit* 90. *Eum Hincmarus Laudunensis iudicem poscit* 91. *Sepultus est in ecclesia sanctæ Crucis, à Gerardo episcopo ad ecclesiam B. Mariæ translatus* 91. 92. *Miraculis adhuc clarebat auctoris tempore.* 92. *Epitaphium eiusdem.* 81.

Isaac

Isaac Comes per Fulbertum epis. à ciuitate Cameracensi expellitur. 112. *Datur eidem in beneficium abbatia B. Humberti, & S. Gaugerici ibid.*
Islense Castellum. 367.
Iulius Cæsar expugnat Atrebatum 6. 7.
KArlenses irregulariùs ordinant quàm Lotharienses. 271.
Karlensium & Lothariensium factio & discordia 90. 161.
Karolus Dux Lotharingiæ, frater Lotharij regis Franciæ, tuitionis causa Cameracum ingressus, multa mala facit. 172. 175.
Karolus Simplex præceptum super rebus ecclesiæ B. Mariæ renouauit 105. *Abbatias Marellias & Crispinium Stephano episcopo concessit.* 108.
LAmbræ ab episc. Berengario Arnulfo Comiti promissa 135. *Sed vi reextortæ.* 136.
Lambræ in beneficium datæ VValtero Castellano impostori. 168.
Lambræ olim fiscus & portus regius B. Mariæ Cameracensis. 244. *Sigebertus rex Franciæ fuit ibi sepultus. ibid.*
S. Landelinus 257. 258.
Lantbertus Comes Lensensis interfectus. 367.
Lantbertus Comes, scilicet Louaniensis. 276. *Cadit in prælio.* 282. 284.
Laubiense cœnobium 257.
Laubienses à Rothardo & Notgero episcopis petunt in abbatem Herigerum. 181.
Laubiensis abbas Engebrandus deponitur. 287.
Leduinus siue Lietvvinus abbas S. Vedasti 242. 251. 288. *Eius laudes* 350.
Lenense monasterium Canonicorum. 244.
S. Leodegarius Augustodunensis episcopus super domum regiam constituitur 9. *Ab Ebroino martyrio affligitur in diœcesi Atrebatensi. ibid. Miraculis claret statim à morte.* 40. *De corpore eius trium episcoporum pia disceptatio. ibid.*
Lietberti patria & educatio 353. *Scholastici munus exercet* 354. *Gerardo episcopo à consilijs existens, Archidiaconatu & Præpositura honoratur* 355. *Gerardum episcopum senectute grauem adiuuat ibid fit episcopus cum omnium exultatione* 359. *A Balduino Comite Fland. magna cum gloria introducitur Cameracum* 361. 362. *Castellaturam Cameracensem dat Hugoni legitimo hæredi*

redi 362. Vexatus ab Imp. eandem inuitus annuit Iohãni aduocato Atrebatensi 366. 367. Cum gratia Imp. fouet Hugonem 368. 369. Hugonem propter varia facinora excommunicat 372. Eiusdem Hugonis municipia destruit 373.

Lietbertus ab eo capitur & incarceratur 378. Liberatur per Arnulfum Comitem Fland. eiusq; matrem Richildẽ ibid. Hugonem procul expellit à finibus Cameracensium 379. Lietberti munificentia in ecclesiam B. Mariæ ibid. Monasterium sancti Sepulchri ædificauit, & in ecclesia S. Autberti Canonicos Regulares constituit 380.

Lotharius rex Karlenſium siue francorum Ottonem ij. Imp. ex improuiso inuadit 162. Eundem Ottonem insequitur vsque ad fluuium Axonam 165. Idem mortuo Arnulfo sene Flandrensium Comite, partem Flandriæ vsque ad Lisam inuasit 170. Bona episcopij Atrebatensis occupat 172. Ambit Imperium 179. Inuadit vrbem Virdunensem, & Cameracensi minatur 180.

Lucau Canonicorum ecclesia 242.

Ludus regularis clericorum VViboldi Episcopi 143.

Ludouici Pij Imp. deiectio & restitutio 70.

Ludouicus Caroli Simplicis filius impugnatur ab Hugone Magno, & VVillelmo Duce Rotomagensium 114. Iuuatur per Imp Ottonem primum ibid.

Lutosa monasterium Canonicorum 263.

MAraculum monasterium Canonicorum 148. 241.

Maricolæ seu Mareclæ monasterium S. Huntberti. 52. 108. 253.

Marcenia monast. S. Rictrudis 246.

S. Mariæ ecclesia Cameracensis miraculis illustratur 221. 222. 223. 224.

Maslinæ monasterium Canonicorum 265.

S. Mauruntus filius S. Rictrudis honorificè tractat S Amatum 41. 42. Eundem Hamaticum deducit & Broïlum 43.

S. Maxellendis virgo martyrizatur 42. 44. Harduinus eius interfector mox cæcus efficitur ibid. Corpus eius ad locum interfectionis refertur, & interfector lumen recipit 45.

Melbodiense monasterium 257.

Merevvedæ terribilis conflictus 291.

Mons Martyrum iuxta Parisios 164.

Mons S. Mariæ, in quo Synodus celebrata 304.

Mon-

Montensis conflictus 161.
NEbula ex pera. 27.
Neuvehoua datur ecclesiæ Cameracensi à Rotnacẽsibus (125.
Nocherus siue Notgerus Leodicensis episcopus 174. 181. 190. 194.
Nordmannorum horribilis grassatio Atrebati, Cameraci & alijs vicinis locis 94.
Numeri mysticè explicati 146 & sequentibus.
OTto primus Imp. adiuuans Ludouvicũ, magnã Franciæ partẽ deuastat 114. 115. Fulbertum episc. inuisit, eiq; cõfert abbatiam S. Gaugerici, & præcepto corroborat 115. 116. Immunitates ecclesiæ Cameracensis renouat & auget 126. Teloneum ciuitatis Cameracensis cum moneta episcopo contulit ibid. & 128. Quatuordecim Episcopatus, & vnam Metropolim erexit 129. Petit à Fulberto Episcopo sibi dari corpora S. Gaugerici, & S. Autberti 130. Eiusdem Imp. mors 159.
Otto secundus filius eius succedit ei in Imperio ibid. Hic castrum Bussud expugnat 160. Henricũ Baioariorũ Ducem ad deditionem cogit ibid. Lothario regi denunciat se vlciscendi causa in Galliam venturũ 163. Quod & facit 164. In reditu iuxta Axonam fluuium Lotharium cum suo exercitu ad certamen prouocat 166. Otto Imp. & rex Lotharius tandem pacem ineunt. 176.
Otto inconsultè contra Saracenos pugnans vincitur 177. Callidè euasit manus hostium 178. Non multo post moritur 179.
Otto tertius, filius Ottonis secundi, eripitur è manibus Henrici Ducis Baioariorum 180 Confirmat immunitates, & bona ecclesiæ Cameracensis 189. Dat Rothardo episcopo forastum siue siluam 192. 193. Romæ consecratur à Gregorio papa 196. Heroicus ipsius conatus in restaurando Imperio Romano, & ecclesia 204. Periculum ei impendẽs à Romanis 205. Mors ipsius & sepultura ibi. & 206.
PAganorum persecutio in ecclesias Galliarum 13. 14. 15. 22.
Pas ecclesiæ Canonicorum 242.
Potatoris blasphemi in sacram communionem pœna horribilis 298.
Praiecti martyris monasterium 224. (83.
Presbyter qui se castrauerat, an manere possit in suo ordine
Prodigia in cælo visa ante mortem Ottonis iij. 205. 206. Item ante mortem Conradi Imp. 347. 348.

Qualem

QValem te inuenero, talem te iudicabo. 312.
Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio præsentatur ibid.
RAgnacharius rex Cameracensium libidini deditus occiditur. 11. 12.
S. Ragnulfus Martyr. 61.
Rainerus & Lantbertus rapinis insistunt 161.
Regna vnde floreant aut pereant. 313. post.
Reliquiæ ab incesta moniali traditæ Comiti incesto. 285.
Reliquiæ Atrebati inuentæ, ad quas multa fiunt miracula 240. 275. 276.
Reliquiæ aliæ Atrebati inuentæ. 350.
Remensis Synodus sub Sonnatio episcopo. 30. Eiusdem decreta ibid. & 31. 32.
S. Remigij laus 19. Gallica gens per eum ad Christum conuersa. ibid Vices suas in Gallijs ei commisit Hormisda papa ibid Ad Synodum Viennensem vocatus, pro se mittit S Vedastum. 23. Duas villas per testamentum suum dat ecclesiæ Atrebatensi. 25.
Richardus abbas S. Vedasti, onus prælaturæ sponte deponit 288. Eiusdem laudes. 351.
Romanorum aggeres apud Mareolum 8.
Rotbodus Comes Namurcensis Imperatori reconciliatur. 277.
Rothardus nobili prosapia ortus, & pijs moribus adornatus fit episcopus post Tetdonem 174. Vinciacum castrum diruit. 175. Ecclesiam B. Mariæ perfecit & ornauit. 176. Lotharium regem Franciæ sapienter auertit ab inuasione vrbis Cameracensis 180. Prædium Fontanas ecclesiæ B. Mariæ adquisiuit 189 Litteras immunitatis super rebus S. Mariæ ab Ottone iij. obtinuit ibidem. Mors eius & sepultura. 194.
Rotnasce monasterium Canonicorum. 264.
Rotradus episcopus Iohanni succedit 93. Sub eo Cameracum, & templum S. Gaugerici à Nordmannis succenditur 94. Sepelitur in ecclesia S. Autberti. ibidem.
SAlica lex. 47.
S. Saluij monasterium. 252.
Sanctis monasterium virginum. 228.
S. Saturninæ vita & martyrium. ibidem
Sepeliendos non esse in cœmiterio raptores & alios publicos peccatores. 296. 299. Nec excommunicatos. 307. 317.
Serraldus clericus Cameracensis miro modo templum B. Mariæ

Mariæ ab incendio Hungarorum eripit. 122.
Serui seu mancipia ecclesiæ 64. 88.
Silua data ecclesiæ Cameracensi ab Ottone iij. 193.
Singulare certamen prudenter auersum 167.
Stephanus episc. res ecclesiæ ampliauit, & præceptis regijs confirmari curauit 104. 105. *Interfuit Synodo in Trosslegio, vbi cum Isaac Comite conciliatur* 105. *Ecclesiam B. Mariæ fecit hæredem, & res ab ea subtractas recuperauit.* 111.
Suessionensis Synodus. 71. 72.
Sungeias monasterium. 265.
Synodus Engulenheimensis. 121.
S. THeodericus *episcopus spectatæ sanctitatis & prophetiæ spiritu illustratus* 69. *Ab Ebone in iudicem eligitur* 70. *Ordinationem clericorum fecit in monasterio Laubiensi ibid. Dedicauit monasterium in Vvalaro ibid. Corpus S. Vedasti inuenit* 71. *Eidem periculum suis prædicenti coxa frangitur* 75. *Sepultus est in monasterio S. Autberti, sed postea translatus in Germaniam* 78.
Theodericus rex Francorum & Ebroinus in Luxouio monasterio recluduntur 39. *Theodericus auget res ecclesiæ Atrebatensis* 46.
Tetdo fit episcopus Cameracensis, reiectis precibus Rotberti monachi 155. 156. *Multas à suis militibus & vasallis sustinet iniurias* 157. 167. 168. *Vvalterum Lenensis castri vasallum in ciuitatem Cameracensem recipit* 158. *Miraculis claret, & Coloniæ moritur ac sepelitur* 171.
Triburiensis Synodus 337.
VAlentianense *castrum à Balduino Comite Flãdriæ obsessum & expugnatum* 206. 207. *Ab Henrico Imp. frustra obsidetur ibid. Redditur à Balduino, sed postea eidem datur in beneficium* 208.
Valentianense monasterium Canonicorum S. Iohannis 251.
S. *Vedastus catechizat Clodoueum, & ad S. Remigium ducit* 19. *In itinere cæcum illuminat ibidem. Vinum de sicco vase produxit* 20. *A S. Remigio & Clodoueo Atrebatum mittitur* 12. 16. *Vtrique ecclesiæ, id est Atrebatensi & Cameracensi præficitur* 13. 21. *In introitu vrbis Atrebatensis claudum vnum, alterum cæcum curat.* 21. *Templum reparat, & populos circumiacentes ab idololatria ad Dei cultum conuertit* 23. *Ad Synodum Viennensem à B. Remigio dirigitur ibidem. Migrat ex hoc seculo, sepelitur in ecclesia B. Mariæ, sed postea transfertur ad*

locum, vbi nunc quieſcit 25. *Alius à vinculis tertiò liberatur ibidem. Corpus eius Beluacum transfertur tempore perſecutionis Danorum* 187. *Refertur per Dodilonem ibidem.*

S. Vedaſti monaſterium 241. *Eiuſdem laus* 211.

Vedulfus Dominici ſucceſſor ſedem epiſcopalem Atrebato transfert Cameracum. 28.

Vienna in Gallia multa prodigia & clades acciderunt, & ob id ieiunium triduanum ante aſcenſionem Domini inſtitutum 54.

S. Vincentius qui & Madelgarius monaſticum habitum ſumit 36. 37. 255. 256.

S. Vindicianus epiſcopus 38. *Transfert corpus S. Maxellendis* 45 *Ex rebus propriis multa donat eccleſiæ Atrebatenſi, quæ à Iohanne papa priuilegio confirmari curauit* 46. *Adhibito ſecum S. Lantberto Leodecenſi conſecrat monaſterium in Hunolcurth* 51. *Sepelitur in monte S. Eligij* 55. *Eius tumulo quidam ignoranter inſultans excæcatur, & voto ei facto illuminatur* 57. *Alius cæcus, & quædam cæca ad eius tumulum illuminantur* 58. 59. *Multi diuerſis cruciatibus plexi, quòd templum eius violauerint* 59. 60.

S. Vindiciani monaſterium in monte S. Eligij 242.

Violatoribus eccleſiæ dira imprecatio & excommunicatio 49. 52. 90.

Vrbium conditarum cauſa & ratio 3. 4.

SS. Vrſmari & Ermini monaſterium 259.

Walcravilla Balduino in beneficium data 270.

S. Waldetrudis & Aldegundis à S. Autberto velantur 37. 257.

Waldetrudis fons ſanguinolentus conſpicitur 281.

Walterus Caſtellanus Cameracenſis, VValteri Lenenſis filius, vterque homo doloſus & fraudulentus 158. *VValterus impoſtor ibid. &* 168 *multas moleſtias Rothardo epiſcopo excitat* 176. *Similiter Erluino* 211. *ac tandem in malicia moritur, ſuccedente ſibi filio VValtero* 213.

Walterus filius iam dicti VValteri domum epiſcopalem Erluino adhuc viuente inuaſit 212. 214. *Funus epiſcopi impiè prohibet ſepultura* 215. *Eiuſdem ferocitas & ſæuitia in ciues* 216. 217. 270. *A legatis Imp. increpatur* 268. *Ad Imp. citatus pœnitentiam ſimulat datis obſidibus* 272. *Vaſtat iterum bona epiſcopi & ſuburbium ciuitatis incendit, iterumq; pœnitentiam ſimulans, veniam impe-*

impetrat 274. 275. *Eiusdem ingens malicia & Gerardi episcopi patientia* 319. *post. Forma fidelitatis quam episcopo promisit* 320. *& multis seq. Redit ad ingenium, & rursus condonat episcopus* 324. 325. *Dat obsides episcopo ibidem &* 327. *Ab episcopo excommunicatus & expulsus peiora designat* 328. 329. *Pax cum VValtero initur ab episcopo* 344. *Et tandem ab inimicis suis interficitur* 255. *Vidua eius pessima perorem ducit maritum* 356.

Waslerum monasterium 254.

Wenricus abbas S. Gisleni 295.

VViboldus episcopus ex primoribus Cameracensium ortus. 153. *Clericis regularem ludum composuit* 142. *qui subiungitur* 143. *& sequentibus. Pergit in Italiam, & fatigatus assiduo itinere, non multo post obijt* 154.

Vulpodo episcopus Leodicensis praclarae vitae 186. 187.

Z *Ventebolchus rex* 106.

FINIS.

* ERRATVLA. Pag. 25. lin. 23. lege ad. 101. 17. possessiones. 117. 19. junxit. 121. 5. ingemuit. 159. in marg. lege 973. 173. 18. sarcina. 205. 28. ipso. 302. 14. extorrem. 303. 9. post vocem partim, adde: blandimenta verborum iactans, partim. 320. 14. ad. 362. 8. prinatum. 363. 19. Scaldim. 444. 17. hac 469. 9. cubos. 498. 13. vbi. 500. 19. effecta. 506. 7. agens. 562. 1. Isiaco.

APPROBATIO.

Hoc Chronicon Cameracenſe & Atrebatenſe cum ſubiunctis notis ſeu ſcholijs, quæ mirificè dictum Chronicon illuſtrant, vtiliter excudetur. Actum Duaci die 16. Aprilis 1615.

IACOBVS POLLET *Sacræ Theologiæ Doctor ordinariuſq; Profeſſor.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google